





In
Porphyr.
1
7
35









D. ARSENII
CRVDELII PVPPIENSIS
MONACHI ORDINIS
VALLISVMBROSAE
DOCTORIS THEOLOGI
IN
PORPHYRII
QVINQVE VNIVERSALIA

[illegible] elucidationes.

QVIBVS [illegible] INSERVNTVR

Disputationes [illegible]

[illegible] & explanatae.


[illegible]

FLORENTIAE,

APVD PHILIPPVM IVNCTAM

M D L X.

[illegible]



D. ARSENII
CRUDELII PUPPIENSIS
MONACHI ORDINIS VALLISUMBROSAE
DOCTORIS THEOLOGI
IN
PORPHYRII
QUINQUE UNIVERSALIA

absolutissimæ dilucidationes.

QUIBUS PASSIM INSERUNTUR

Disputationes quam plurimæ ad Peripatheticorum aures examinatæ & explanatæ.

NOVITER IMPRESSAE.





FLORENTIAE,

APUD PHILIPPUM IUNCTAM.

M D I C.

Cum licentia Superiorum, & Priuilegio.



RELIGIOSÆ ET SPECTATISSIMAE IVVENTVTI

Ordinis & Congregationis Vallisumbrosæ in Passinianensis Cœnobij Museo ingenuis studijs operam danti.

D. ARSENIVS CRVDELIVS PVPPIENSIS eiusdem Congregationis Monachus & Doctor Theologus. F. P. O.





EST veræ pietatis munus, Venerabilis excultaq; iuuentus, ab eo quem semel inter caros connumeraueris, nullo vnquá tempore amorem abijcere: sed potius sollicitè consilio, studioq; prospicere, & omnibus neruis contendere, ne is qui à te diligitur, quicquam detrimenti non solum nõ patiatur: verum ad fœliciorem quoque,

ſi per te licuerit, conditionem promoueatur, Thaletem namque Mileſium dicere ſolitum accepi, æquè abſentium atque præſentium amicorũ oportere meminiſſe: quandoquidem animorum vinculum amicitia ſit, quod locorum interuallo, nec tẽporis interſtitio dirimi nequeat, in huius ſententiam deſcendit apud Ariſtotelẽ ille poeta qui dixit non eſſe amatorem, quiſquis perpetuo non amat. Quo circa, Ego qui ab adoleſcentia mea in iſtud lyceum, tanquam in virtutum officinam, religioſis moribus, artibuſque ingenuis expoliendus traditus fui: non potui per omne vitæ tempus non illius meminiſſe. Verum eò recens eiuſdem recordatio menti præſsius inheret, quo plures annos ibidem Patrum iuſſu Phyloſophiæ ac Theologiæ arcana publicè interpretatus ſum, Poſtubi ex feraci iſtius lycei cultu vberrimam Dei munere meſſem fecìſſem; in qua cum aliquot primitiarum quas priſci de more alicui certo numini, libare ſoliti erant, optionem fecerim: non diutius anceps fui, cum nam iure id primo offerrem; imo mihi ſuccurrit ſtatim iſtius ſacri Collegij ſolita pietas: cui æquum eſt, vt hæc multoque maiora conſecrarem; quandoquidem inde virtutum ſemina alimentaq; deprompſerim. Quocirca par fuerat, ni mihi ingrati animi notam inuri voluiſſem, quoſcunq; fecerim progreſſus, iſti ſciẽtiarum theſauro, vti Amaltheæ cornu, me acceptum referre. Ad hæc

lib. 2. Reth

autem

autem ſexcenta in cauſa fuere, quibus ita propenſior factus ſum, vt ſi quid ab re alienum in menté venturum foret, ne latum quidem (vt dicitur) vnguem à ſententia diſceſsiſſem. Primo nanq; cum iſthæc ſacra ędes, ex multis delecta Diui Patris Ioannis Gvalberti noſtri ordinis inſtitutoris Sacro corpori ſit veluti ſedes & ſcrinium: libuit etiam haſce ingenij mei opes illic recondere: ſi tanti quoque Patris diuitias, monaſticique ritus, piorumq; morum opulentam includit ſupellectilem. Eſt ſanè iſtic in eandem lancem appēdere priſcorum præſentiumq; ſtudia & opera; tunc facile deprehendetur æquale in vtriſque pondus: præter quam quod hac noſtra tempeſtate, varia cùm hebraici, gręci, latiniq; Eloquij, tùm Phyloſophiæ, Theologiæ, atque concionum ornamenta acceſſere: in quibus adeo fœlici auſpicio vos met optimi iuuenes abdidiſtis, quod doctiſſimos quoſque conuentus, ſedes, & ſuggeſtus, quo diſſerendi gratia conueneritis, gloria & laude cohoneſtabitis. Huic tam inſigni operi cum idem Diuus Pater & Vexilifer noſter, ſolita pietate cōſultum voluiſſet, eiq; tanquam ſummam manum imponeret; qui vigili perſeuerantia, omnium virtutum altrice, tenellas adhuc plantas cuſtodiret, ac in dies ad meliora proueheret; in ſuum locum ſufficere curauit. Ecce tibi Reuerendiſs. Pater D. Marcvs à Pelago totius Congregationis noſtræ Genera-

LIS PRESIDENS suffectus adest: cui si eadem cum Diuo IOANNE apud nos est dignitas, ita pari quoque gressu, vitæ morumq; integritate, nec non insigni peritia eius vestigia sectatur. Hic veluti Ianus alter eo affectu ac æmulatione, quæ virum tantarum opum Patrem & custodem decēt; digitum quidem à recto virtutis calle deflectere iuuentutem minimè patitur: ne quod est diuturno labore, & sollicitudine satis abunde partum, si in minimis conniueretur, tantillo decresceret. Et ne inceptum tam insigne optimo frustraretur successu, huius muneris partem admodum R. P. D. CESARI Mainardo ABBATI vestro dignissimo demandandum curauit. Quippe qui probè nosset, hoc illi cordi futurum, cum sibi à suo superiori iniunctum cognosceret, cui non acquiescere nefas arbitraretur: tum ob commune Congregationis emolumentum, quod tanquam proprium in se recipere minimè veretur: tum quoque ob insignē in DEVM pietatem, quam cum religiosa virtute vnà cum lacte in cunis imbibit, secumq; in crepúdijs aluit, adultus etiam non vulgari literarum ornamento decorauit. Hic DEI opus literarumq; progressus tanta sollicitudine exequitur, vt dignus sit cui cum Homero dicatur, Hic vbicunque senex fuerit simul ante retroq; aspiciet. Te ergo religiosa iuuentus rogo; vt arduum glorię callem obnixè superare contendas. & eò manibus & pedibus cæ-

Iliados 3

lerius

lerius ſcandere coneris quo difficilior ſe ſe offert aditus: cum dictum ſit Non iuuat ex facili lecta corona iugo; Nam via virtutis petit ardua callē, Difficilemq́; aditum primum ſpectantibus offert, ſed requiem prębet feſſis in vertice ſummo. At quorſum hęc? cum tu ornatiſsime cætus dicere poſsis, quid me ipſum properātem exagitas ſtimulo? ſcio equidem non eſſe currentibus addendum calcar; tamen hæc dixiſſe volui; quia nouerā te mihi perinde quaſi alterum Pindarum ſe laudanti reſponſurum, habeo gratias, & in beneficiorum numero reponām; efficiam vt de me vera ſemper prædices. illius quippe pręclaræ virtutes laudatorem, ſicut tuæ me effecere. Modo verò cum pro comperto habeam, te nolle ſi poſſes, & non poſſe ſi velles à dulci Muſarum cōſuetudine diuelli; quia toto pectore earum deguſtaſti ambroſiam; ſine qua nil te dignum exiſtimas: placuit paruo ſanè munere, at magni Animi ſigno, tot virtutum inſignia & merita, quibus deuinctum me fateor, venerari. Quod ni par tuæ fuerit expectationi, ſicut nec meę, qua tui obſeruantiſsimus ſum, gratæ menti; pietas tamen, qua ad id impellor, nihilo eſt ambobus minor. ideo ſi ad donum animum intenderis, fateor ingenuè (modo abſit verbo inuidia) à te ibi non nulla reperienda; quæ ſerijs literarum ſtudijs non parum allatura ſint vtilitatis. Non enim me fugit exiguum quidem eſſe munus, at opportunū: quod

facile deprehendere poteris, si legeris & perlegeris. Quod si vti exopto ex sententia successerit: fateberis arbitror cum Homero, parua quidem sed munera grata sunt: si vero ad Animum, quo hoc tibi offertur, mentem conuerteris, proculdubio insita tibi à natura humanitas munus gratũ efficiet: cum non sim nescius longè maiorem vim ad sitim animi tui sedandam huic muneri inesse, quam aquæ ambabus manibus à Colono haustæ, Xerxique sitienti propinatæ; quæ nihilominus eidem acceptissima fuit, & quia in necessitate gratis, & quia libenti animo collata fuerat. Vos igitur præstantissimi iuuenes, comiter oblatum, humaniter accipite munusculũ; & illius vulgati dicti memores estote, largientium Animum optimum esse. Faxit itaque Devs, vt hisce lucubrationibus magno cum fœnore fruamini: in quibus quidquid boni occurrerit, vni Deo, à quo est omne datum optimum refertote; sin minus humanæ infirmitati ascribitote; etenim non omnia possumus omnes: propẽsionem tamen Animi erga vos mei semper ęqui, bonique consulite, obsecro. Valete ex Abbatia Sancti Laurentij Cultus boni. viij. kalend. Apr. MDXCIX.

ADMO-



ADMODVM R.P.D. CAESARI MAINARDO,

Abbatiæ Sancti Michaelis de Passiniano Ordinis Vallisumbrosæ Abbati Dignissimo.

PHILIPPVS IVNCTA S. P. D.





Bseruantia erga te mea CAESAR Abbas dignissime, quæ ab innumeris tuis virtutibus emanat, memoriam tui excitauit; cũ nuperrimè dilucidationes ac Disputationes in PORPHYRII Isagogen à R. P. Magistro D. ARSENIO Puppiensi æditæ mihi excudendæ traderentur. Deprehendi namque, cum præ manibus haberem ex Epistolæ inscriptione, eruditissimæ tuæ iuuentuti, cui non minus re, quam nomine CAESAR & dignitate, & virtute præsides; esse offerendas. Qua ex re con-

tinuò

tinuò officium, quo erga te affectus sum, mihi aurem vellit, vt tantæ fœlicitati congratulans hanc tibi letitiæ meæ epistolam, tanquam nuntium conscriberem. Quanquam non me latet, nec gloriæ tuæ, nec amoris erga te mei nullam ex eo fieri accessionem; tamen veræ necessitudinis munus, quo tuo fœlici euentu lætor, exigit; vt signa quibus tibi gratuler, proferam. En effectu do, semperque dabo. Congratulor igitur admodum tibi, quod tua virtus non minus alijs, quam tibi gloriam pariat. Proinde à DEO tibi hæc, & multo maiora, vti semper meritus es, expetam, optabo, & obnixè precabor. Vale. Florentiæ, ex officina nostra Typographica. viij. Kal. Apr. MDIC.



AVTHOR



AVTHOR AD LECTOREM.





OSTI, candidisſime lector, ſuo quemque Artificem opere impensè delectari, perinde quaſi rebus quibuſdam ex ſe prognatis. Equidem Ego ſic existimo neceſſarium malum cuicunque innatum eſſe homini; qui cum viuere, nec ſine eo quiſquam mortalium eſſe queat. Quamobrem fit vt iuxta Euripidis ſententiam, moleſta cum ſit res, neceſſaria tamen. Natura enim comparatum eſt, vt quiſquis viuit eorum, quæ ſuo labore aut ſtudio parta ſunt, magno teneatur amore: inter quæ principem locum partus obtinet; quippe in quo non ſolum ſtudium aut laborem collocaueris, ſed in eo te ipſum iterum viuere, videre, & alloqui ſubinde cognoſcis. Quo fit vt idem ſit ſuimet amor, & partus, & quemadmodum in rebus noſtris plerunque conniuemus ita & in partu: de quo ex SOCRATIS ſententia rectius obſtetrix, quam Mater iudicat. Tamen amor ille, cui, vt inquit THEOCRITVS, non pulchra, ea pulchra videntur; me cæcum ingenuè fateor ſicut pleroſque mortalium reddidit; huic vni ſi quid in hoc opere me fugerit, vitio vertatur. Homo enim ſum, nec extra telorum humanæ conditionis iactum poſitus: Ego quoque communem ſequi errorem quo ſuum cuique pulchrum apparet, aſſiduè cogor. Quamobrem, amabò te peritiſsime

lib. 4 ethi.

lector

lector, a te mihi condonetur non peculiaris error; quando quidem non semel CICERO innuerit cum ait, suo quisque studio maximè ducitur, & alibi vterque suo studio delectatur, & HORATIVS, Dum mala delectant mea me vel denique fallunt,& idem alibi Turpia decipiunt cæcum vitia aut etiam ipsa hæc delectant, veluti Balbinũ polypus Agnæ. Sed esto hoc Poetis,& Amasiis suum contagium. Quid quod si viris cùm doctrina multum, tùm sanctitate maximè præditis tale quid acciderit? Ecce tibi D. AMBROSIVS eiusdem erroris testis ita ad SABINVM scribens, Vnumquemque fallunt sua scripta, & Authorem prætereunt, atque vt filij etiam deformes delectant parentes; sic etiam scriptorem indecores quoque sermones sui palpant. An tibi huius grauissimi Authoris sententia, qua necessarij non criminis, sed erroris neminem non manifestum teneri, probat, non sit satis? Audi quæso quid de se sentiat Diuus ille Augustinus, ad Marcellinum sic scribens,Ego me fateor ex eorum numero esse conari; qui proficiendo scribunt,& scribendo proficiunt. Proficiebat sanè cum in dies doctiora officiosorum monitu fortasse, edere conaretur. Quo fit vt tanti viri hoc euitare mendum nequiuerint? Quid mihi fiet, quibuscum in nullo sum comparandus? Tantum profectò abest amantissime lector, vt eorum mihi in hoc opere vendicem authoritatem, vt ab eruditissimo quoque mihi ignotum iri minimè ex optem. Itaque si quid me oscitantem, aut leui brachio attingentem, aut oculis, (vt aiunt) clausis agentem præterierit; qui videris, obsecro, non minus liberè quam comiter corripe: ea enim quæ natura fiunt, non miranda aut dolenda, sed potius condonanda sunt. Opus igitur nostrum, cui benignum vnquam deesse lectorem nollem; quæstionibus destituitur prolegomenis; quòd visum nobis sit in rem huius tractatus ne quicquã fore; propterea quòd placuit prædicamentorum operi præfigere, quod breui editurum spero. Vniuersalium quoque collationes siue communitates abscindere non fuit abrè, cum satis superque ex cuiuslibet definitione id notum esse queat. Quòd autem multa occurrerint quæsita, quæ metaphysicum sapiant negocium, id in

lib. 8 epis. 70.

ep. 7.

causa

causa fuit; quod ita exigebant Porphyrii verba, quibus multa compendio perstrinxit, ac summis digitis attigit, quæ lectori scrupulum aliquem iniјcere poterant. Et ne quid in hoc opere desiderari poset, ea breuitate (non sat tamen scio an obscurus fuerim) ac facilitate explicare tentaui, vt ita plana fierent atque aperta, quòd Delio non opus eset natatore. Cæterum ea me extimulauit emulatio, quo, ne me peruersè nimium amarem, attentè cauerem: moris enim est ijs qui se nimio prosequuntur amore, malle, vt alij errent, quam suus deprehendatur error. Quorum opinio quanto à recto tramite recedat; videant, qui fore censent multo vtilius esse curare, ne ad eundem quo ipsi cæteri impingant lapidem. gratias igitur studioso lectori. hasce meas, qualescunque lucubrationes, non minus percurrenti, quam officioso studio corrigenti semper habebo: inuido autem, & perperam detrectanti, nec non rabide laceranti, veniam do. Vale.



POR-



PORPHYRII VITA.





ORPHYRIVS genere Phœnix, Patria Tyrius, Amelij & Plotini auditor fuit, Aureliani & Diocletiani tempestate vixit. Hic ingenio pollens, breui ad omnium scientiarum apicem peruenit. Huic (eò magnitudinis acie ingenij attigit) abdita rimari, à sensibus penitus aliena, varijsque ambagibus obducta, curiosa indagatione penetrare semper in animo fuit. Argutissimus Dialecticus, loquax, Pertinax, suoque ingenio multo plus æquo semper tribuit. Hic (Eusebio teste) christianam fidem aliquando professus est, quam auxim dicere, vix à limine salutauit; adeo enim leuiter imbutus erat, vt eum turpiter ab ea deficere, aliquot verberibus apud Cæsaream Palestinæ à quibusdam christianis meritò percussum, minimè puduerit. Quinimo id tam grauiter habuit, quòd non Christi solum cultui nuntium remitteret; verum omnia sanctæ Religionis arcana etiam, oracula, & legem, rabida & virulenta impietate euertere funditus conaretur. Hanc exitialem tartarei Cerberi spumam xv. voluminibus complexus est. quibus optimo antidoto Eusebius Pamphilus, Methodius, Hieronymus & Augustinus non paucioribus voluminibus, nec minori doctrina occurrerunt. Discipulos igitur inter alios Iambicum Phylosophum insignem, & Chrysaorium patritium Romanum habuit, in cuius gratiam hic conscriptus est libellus. Quippe qui, cum ex Aristotelis officina sit decerptus, & ad illius phylosophiam exhauriendam maximè

conducat,

conducat, atque aduersus catholicam fidem nihil contineat, ideo ab Ecclesia permittitur, publicisq; Phylosophorum Achademijs explanandus proponitur. Agit enim de quinque vniuersalibus Genere, Specie, Differentia, Proprio, & Accidente, quorum notitiam ad scientias, ne dum vtilem, verum & necessariam peripateticæ Phylosophiæ sectatores arbitrantur. Liber hic (introductio) simpliciter inscribitur, at cuius rei sit introductio, cur Author dimiserit, dicatur quod vel per Antonomasiam ob libri præstantiam, dimisit: vel quia ad Chrysaorium scribit, ex quo subintelligitur, ad id quod ab eo expetitum fuerat, esse introductionem, vt in ipsius exordio sit manifestum. Scribendi methodo facili, id est introductorio modo vtitur, definiendo, diuidendo, ac exemplis singula explanando. Ordinem & doctrinæ & naturæ seruauit; naturæ dum à prioribus, doctrinæ dum ab vniuersalioribus inchoauit hunc tractatum; quem in tres partes secat, in exordium, in singulorum vniuersalium explanationem, in ipsorum inter se comparationem: inscriptionis titulum, alij de quinque vocibus, ponunt eo quod de vocibus & non de rebus iuxta eorum sententiam Dialectica agit; alij de quinque prædicabilibus, complurimi vero de quinque Vniuersalibus faciunt: cuius inscriptionis ratio in huius libelli explanatione diligentius explicabitur. exordium igitur operis sic incipit, Cum sit necessarium.



D. PAN-



D. PANCRATII MONACHI ORDINIS VALLISVMBROSAE.



Epigramma.

QVam labyrinthæus logices deterruit error;
Ocyus huc gressus verte Iuuenta tuos.

Explicat ambages, mæandros Cressa remouit;
Dat deducta glomo fila Puella vagis.

Limine, quæ sinuosa regit vestigia, primo;
Et docet errantes, est Ariadna, vias.

Huic glomus est; & fila duces errantibus offert,
I, data confestim corripe fila manu.

His spiras, fallax iter, anfractusque viarum,
Tu memor esto, breui discere cuncta potes.

D. ARSE-

INDEX PRIMVS DISPVTATIONVM PRINCIPALIVM,

Quæ in hoc volumine, ad Peripateticorum aures dilucidantur.

De Vniuersalibus Disputationes decem.

Disputatio prima habet Dilucidationes duas.

Logicę Ars. † *secundæ*

Ad

Disputatio vnica de intentionibus.

De Specie disputationes sex.

De in-

De Indiuiduo disputatio vnica, habet dilucidationes tres.

De differentia disputationes vndecim.

Disputatio prima continet dilucidationes quatuor.

6 An

De Proprio disputationes tres.

Dilu-

INDEX.

FINIS.

INDEX SECVNDVS QVESTIVNCVLARVM, ET DVBITATIONVM,

Quæ in commentarijs huius libelli ab Authore dilucidantur.

In Prohemio, quod Dilucidationes quatuor continet.

In capite de Genere, quod habet textuum dilucidationes sex.

C

In capite de Specie, quod habet textuum dilucidationes duodecim.

In capite de differentia quod habet textuum dilucidationes decē.

In capite de Proprio, quod habet textuum dilucidationes tres.

In capite de Accidente, quod habet textuum dilucidationes quatuor.

FINIS.

INDEX TERTIVS
RERVM PRAECIPVARVM. AC SENTENTIARVM NOTABILIVM,

Quæ in hoc volumine continentur,

Alphabetico ordine congestus: in quo numerus paginam significat: 1. primam, 2. secundam columnam paginæ designat. quatuor vero elementa A B C D locum rerum, & sententiarum ostendunt.

A

Anima

Color

Differre

G.

H.

I.

prima

INDEX.

INDEX.

Subie-

T.

V.

INDEX.

FINIS.

Errata quæ ex Typographorum, aut correctorum indiligentia, & incuria , huic volumini adheſerunt, ſic ſunt emendanda.

Pa.	col.	lit.	error.	correptio.
3	2	d	referat,	reſerat.
4	2	a	libro 2.	capite 2.
5	1	b	viſibile	riſibile.
3	2	b	Præmium	Prohemium.
17	2	c	intellectum	intellectus
19	1	a	generationum	generationem
20	1	a	Phyloſophus	Phyloſophis.
21	1	b	ſeparatus	ſeparatas.
24	1	a	homo corruptibilis.	incorruptibilis
24	2	c	ſui rationem	ſecundum
26	2	c	nō intellectus	non intellectis
28	2	c	tamen	tantum
30	1	b	vnde Animal	vnde ſenſitiuū
40	1	c	conceſſit	conuenit
41	2	c	deſitionem	deſitionem
45	2	a	poſitio	poſitionem
46	1	d	poſito,	poſitio.
49	2	b	hi	ſic
50	1	a	his vis	his viſis
51	1	d	potuit	ponit
53	1	c	pars	parte
55	2	c	eſt ſi	& ſi
65	1	c	& Architam	vt Architam
70	2	d	ſenſatu	ſenſum
71	1	d	modo,	homo
74	2	d	inquantum	inquarum
76	2	c	eſſe res.	ecce res
81	2	c	ſuppoſitorum	ſuppoſitionem
98	1	d	oē prędicatur	prędicatum
122	1	d	intenio	intentio
127	1	b	vltima	vltimum
136	2	d	demerſus	demerſus
139	2	b	accedens	accidens
141	1	c	definire	definiri
141	2	b	inuentioni	intentioni
147	1	b	eſt Aſinus	& Aſinus
162	1	b	ſecundo	ſecundum
162	2	d	proprinqui	propinquius
166	1	d	ſub ſpecie	ſub genere
172	2	d	ſpecies pars	ſpeciei pars
196	1	a	attendendi	aſcendendi
196	2	b	generaliſſimus	generaliſſimis
209	1	c	& ꝑ oppoſitas	eſt ꝑ oppoſitas
162	1	c	capitulū ſcđo	ſecundum
226	1	a	poſito	poſitis.
226	2	a	quæ	quo.
253	1	c	poſtea	poſita.
296	1	b	ex Diuus Thomas.	ex diuo Thoma.
309	2	c	leteraliter	lateraliter
313	1	c	conſiderātius	conſiderantes.

Admonendus præterea eſt lector, occurſura ſibi aliquoties quædam mēda ſatis leuia, & idcirco hic tacita;vt cum vnum elementum pro altero apponitur. v.g. ſ.pro.f.vel econtra,& ita de reliquis. illud quoque animaduertet , quandoque quedam apponi,vel ſubtrahi,quę gramaticalem diſſonantiam faciunt.v.g. ſi dicatur Authoris intentionis aduerſatur. vt multoties ex iniuria accidit.

Prætereą hoc etiam conſpiciet inter legendum , in vocum interpunctionibus eſſe erratum non raro;aut quia vbi opus eſt,non eſt interpunctio;aut quia ibi eſt,vbi minime opus eſt ; aut quia non eſt talis , qualem eſſe oportebat interpunctiones autem ſiue diſtinctiones , appello , ,.;: . ? ſed huiuſmodi ſunt hæc, vt lectorem nec fallere, nec remorari queant .

Expliciunt

Expliciunt absolutissimæ Dilucidationes, & Disputationes in Porphyrij quinque vniuersalia: ad Peripateticorum aures examinatæ & explanatæ per D. Arseniũ Crudelium Puppiensem, Ordinis Vallisumbrosæ Monachũ D.T. inchoatæ quarto Idus Iulij 1595. in festo almi Patris IOANNIS GVALBERTI, eiusdem ordinis institutoris. & expletæ kalendis Octobris 1598. atque die decima eiusdem mensis in solemnitate translationis corporis eiusdem almi patris IOANNIS, in cænobio Sancti Michaelis de Passiniano; Reuerendissimo Patri Præsidi Generali, ac R.R.P.P. Visitatoribus eiusdem ordinis, typis excudendæ, humillimis pracibus oblatæ.

Reuerendiss. Patris Præsidentis Generalis, ordinis Vallisumbrosæ. & R.R. P.P. Visitatorum licentia imprimendi hunc libellum.

Nos D. MARCVS Ordinis Vallisũbrosæ Presidens Generalis, perlectis ac approbatis Dilucidationibus & Disputatio iibus in Porphyrij Isagogen editis per D. Arsenium Puppiensem, nostri ordinis Monachum, D.T. in quibus, cũ nihil deprehenderimus, (quantum ipsi diiudicare valemus) quod fidei catholicæ, christianæque Disciplinæ, ac morum integritati aduersetur: imo studiosis iuuenibus gratas admodum vtilesque futuras nouerimus: ideo eiusdem Precibus moti, licentiam typis mandandi, easque imprimendi, (accedente tamen Florentinæ Ciuitatis superiorum consensu) concedimus; in quorum fidem, propria manu subscripsimus, & nostri ordinis sigillo muniuimus. Datum in nostra solita Residentia in Abbatia S. Bartholomei de Ripolis, prope & extra mœnia Ciuitatis Florentię. Die vigesima octobris. 1598.

D. MARCVS Presidens Generalis, manu propria.
D. THEODORVS primus Visitator.
D. HIPOLITVS secundus Visitator.

Approbatio huius operis per R.P.F. Michaelem de Arrighis Florentinum, ordinis Prædicatorum, & Regentem conuentus Sanctæ Mariæ Nouellæ Florentiæ.

Ego F. Michael Arrigus Ordinis prędicatorum Conuentus Sanctæ Mariæ Nouellæ Regens, vidi hæc super Porphyrium commentaria, in quibus & quæstiones non modicum vtiles continentur. Cumque nihil quod Catholicæ fidei vel optimis moribus aduersetur: imo quam plurima scitu admodum digna, ne dum logicis, verumetiam Phylosophis, ac Metaphysicis in ipsis reperire mi;

perer mi;

pererim; ideo ea typis excudenda, & in publicum edenda esse iudicaui & approbaui. Die 27. mensis octobris. 1598.

F. Michael Arrighus, qui supra manu propria.

Imprimatur Florentiæ, accedente consensu R. P. Inquisitoris. Die 28. Octobris. 1598.

Antonius Beniuenius Vicarius Generalis Florentinus.

De mandato admodum R. P. Inquisitoris Florentiæ, P. Magistri Dionysij Constacciarij, ord. Min. Conu. Frater Antonius de Massa Vicarius Sancti officij, & eiusdem ordinis, concedit licentiam imprimendi Florentiæ. Datum Florentiæ die 29. octobris. 1598.

REGISTRVM.

*ABCDEFGHIKLMNOPQRSTVXYZ††††.

Omnes ſunt quaterniones preter †. ††. †††. duernionem & ††††. terniones.



FLORENTIAE,
APVD PHILIPPVM IVNCTAM.
MDLXXXXIX.



DOMINI ARSENII CRVDELII PVPPIENSIS.

CONGREGATIONIS VALLISVMBROSAE MONACHI, ET SACRAE THEOLOGIAE PROFESSORIS.

In Porphyrij quinque Vniuersalia absolutissimæ Dilucidationes.

PROHEMIVM PORPHYRII.

Dilucidatio I.



VM sit necessarium Chrysaori & ad eam, quæ est apud Aristotelem, Prædicamentorum doctrinam, nosse quid sit Genus, quid Differentia, quid Species, quid Proprium, & quid Accidens.

Entium nullum reperiri potest, cui suapte natura boni cupiditas haud insit, si quidem omnium rerum origo & Principiũ, ipsum bonũ est. quæ cũ pro earũ capacitatis natura boni participes fiāt ab eo quoquo pacto perficiuntur; malũ vero appetit nemo. q; si quis ipsum expetere inueniatur, non tamẽ sub ratione mali, sed boni illud expetere, fateri necessarium est: ita hoc in loco Ammonius scribit. hinc fit vt si quempiam ad aliquid prosequendum hortari velimus, bonum inde ipsi prouenturum ostendamus, vt ea de causa in nostram sententiam illum protrahamus. hoc idem profectò Porphyrium seruasse, nullus est qui ambigat,

ſi illius verba diligenter intuitus fue-
rit; quippe qui iuuenum animos ad
hunc ſuum libellum excitare volens;
bonum ex eo ipſis prouēturum, in hu-
ius operis initio indicare conatur. Bo-
num etenim quod ex hoc libello ema
nat, quadrifariã ſpargitur, inquit Boe-
tius, dum prædicamentorum facilis
cognitio, & Diffinitionum integra aſ-
ſignatio, & Diuiſionum recta perſpe-
ctio, & Demonſtrationum veriſſima
concluſio, inde exhauritur, quemad-
modum in litera inſinuatur. Verum
enim vero cum Author hac voce (ne-
ceſſarium) vtatur dicens, (cum ſit ne-
ceſſarium) hinc dubitandi occaſionem
haud modicam præſtitit, nùm hæc ne-
ceſſitas ſuper libellum, ac tractatum
ab eo editum, vel ſuper materiam de
qua in eo agit, cadat; ita vt huius libel
li cognitio, aut ipſorum quinque vni-
uerſaliũ notitia, ad prædicta quatuor
ſit neceſſaria, quod ſi de libello tantũ
Author intelligat, tunc abſque dubio
diminutus apparebit Ariſtoteles Pe-
ripateticorum Princeps, nec non lo-
gicæ inuentor, ac conſumator, qui hũc
libellum neglectum reliquit; vel ſaltẽ
in Topicorum lib. 1. ſuperfluus cenſe-
bitur, dum ibi ea pertractat, quæ prius
pertractanda erant. Ad huius diffi-
cultatis ſolutionem, ea diſtinctione
nunc opus eſt, quæ in lib. 5. metaphyſ.
textu 6. ab Ariſtotele aſſignatur, ſcili-
cet Neceſſarium multis modis dici-
tur: ſed ne in terminorum multiplici
ſignificatione, nouitiorum intellectus
confundantur, ideo ad bimembrem di
ſtinctionem tot modos reducentes di-
cimus. Neceſſarium bifariam ſumi,
vno modo abſolutè, ſiue ſimpliciter, al
tero modo ex ſuppoſitione: primo mo
do dicitur neceſſarium illud quod ex
ſua natura habet, vt aliter eſſe ne-
queat; hęc neceſſitas, cum ab intrin-
ſeco proueniat, tunc à duplici capite
originabitur, vel à forma, vt ſi aliqua
figura ſit triangulus, abſque dubio ne-
ceſſarium erit, ipſum tres angulos ha-
bere: aut à materia, vt ſi aliquid ex cõ-
A trarijs componatur, tunc neceſſariò ac
ſimpliciter erit corruptioni obnoxiũ.
Neceſſarium autem ex ſuppoſitione,
& ſi penès ſuppoſitionum varietatem
multis modis dicatur, in præſenti ta-
men cæteris obmiſſis de neceſſariò ex
ſuppoſitione finis eſt ſermo: quod ne-
ceſſarium ex fine adhuc duplex eſt,
vnum ſine quo finis obtineri nequa-
quam poteſt, quod à quibuſdam ne-
ceſſarium ad eſſe, vel ad completum
eſſe rei nuncupatur, quo pacto cibus
B & reſpiratio dicuntur Animali neceſ-
ſaria, cibus quidem propter deperditæ
humiditatis reſtaurationem, reſpira-
tio autem ob calidiſſimi cordis refri-
gerationem: alterum ſine quo & ſi fi-
nis ſimpliciter haberi queat, attamen
commodè quiſpiam ipſum haud aſſe-
quetur, quod alij neceſſarium ad benè
eſſe vocant, vt æquus ad iter peragen-
dum: ex hac poſita diſtinctione ad ob-
iectionem reſpondetur', quod ſi de li-
bello & opuſculo Porphyrij ſermo
fiat, tunc hic libellus non eſt ſimplici-
C ter neceſſarius: etenim huius libelli
Authorem tot tantique Phyloſophi
præceſſerunt, qui aliorum Phyloſo-
phorum ſcripta minimè ignorauerũt;
vtilis tamen eſt, & ad benè eſſe neceſ-
ſarius, cum perceptis his quæ in eo
pertractantur, facilior ad prædicta nec
non commodior aditus fiat; huic po-
ſitioni Ammonius, Boetius, Albertus,
Paulus Venetus, Caietanus, Sotus, &
Toletus, quos vidimus conſentiunt: ſi
verò de horum quinque Vniuerſaliũ
D cognitione ad prædicamenta & cæte-
ra præfata capeſſenda ſit ſermo, tunc
de hac re poſitiones extant; quidam
namque Iuniores autumant horum
quinque vniuerſalium cognitionem
ad prædicamentorum doctrinam ca-
piendam, nequaquam neceſſariam eſ-
ſe, imo hanc eſſe nonnullorum Anti-
quorum interpretum Porphyrij ſen-
tentiam aſſerunt: ſed hi & mentem &
verba eorumdem nõ attigerunt, haud
animaduertentes, quod nõ de horum
quinque vniuerſalium cognitione, ſed

de hoc

A de hoc opusculo a Porphyrio edito ipsi loquebantur. Veruntamen cum circa opiniones recensendas diutius immorari non velimus, dicamus nos, quod cum nunc sit sermo de necessitate ex suppositione finis, quæ necessitas duplex est, vt iam dictum est; ideo horum quinque prædicabilium cognitio non solùm ad prædicamentorum doctrinam intelligendam, sed etiam ad cæteras doctrinas cõquirendas necessaria est, necessitate ex suppositione finis primo modo sumpta, ita vt absq; B horum prehabita aliquo modo cognitione, ipsas scientias adipisci nequeamus: sed consideratione quadam nũc opus est, ita vt cum Auerroe dicatur, prædicabilium notitiam bifariam cõsiderari posse; primo modo vt quis necessariò eam habeat, priusquam ad præfatorum disciplinam accedat, & hoc modo non est simpliciter necessaria, sed vtilis, his namque præcognitis faciliori modo dicenda intelligentur: alio modo vt dum Præceptor C prędicamẽtorum doctrinam discipulis tradit, in simul & ipsorum prædicabilium notitiam præbeat, quid genus, quid species sit explanãdo, quod est horum cognitionem aliquo modo discipulũ prehabere, & ita prædicabilium cognitio necessaria est: nisi enim, dum prædicamentorum, & Definitionis, & Diuisionis, & Demonstrationis naturam, & conditiones Doctor explanat, prædicabilium notitiam tradat, quid D vnumquodque illorum sit, vel significet indicans, impossibile est vt reliqua intelligantur; & ita præfatum dubium solutioni patet.

Libellus iste in tres partes ab Authore partitur, videlicet in Proemiũ, quod incipit ibi (cum sit necessariũ:) in tractatum ibi, (videtur autem neque genus) in epilogum, & sunt communitates: quod etsi quidam in dubium vertant; nùm communitates sint quædam, eorum quæ dicta sunt, epilogatio, eo quod Author in his longiorem sermonem, quàm in tractatu protraxerit, ad rem tamen parui refert: etenim cum eorũdem prædicabilium non nullas conuenientias ac differentias ibi explanet, propterea prolixioré sermonem agere necessarium fuit: quę autem ad huius proœmij literæ dilucidationem spectare videntur, ad proximam sequentem lectionem differantur; verborum namquè longitudo, & aures defatigat, & mentem à contemplatione distrahit.

Dilucidatio 2.

Cum sit necessarium Chrysaori.

PRœmium hoc totum, penès duos textus in eo contẽtos, in duas principales partes diuiditur; in quarum prima audientium discipulorum attentionem captat, in secũda docilitatem C prestat, atque in vtraq; simul eorundem beneuolentiam postulat: attentionem captat, dum sui ipsius Authoris intentionem, & operis vtilitaté proponit: intentionem aperit, ex eo quod de quinque vniuersalibus se tractaturum pollicetur; vtilitatem ostendit eo quia eorũdem notitiam ad plura intelligenda fore necessariam fatetur: nec ab re diximus Authorem in prima parte Discipulorum attentionem captare, dum suam intentionem, D & operis vtilitatem referat, cum apud omnes sapientes diffinitum sit, Discipulum quempiam haud attentè præceptoris doctrinam audire posse, nisi ipsius docentis intẽtionem præcognouerit; nec animum ad audiendum adhibere, nisi aliquid emolumenti inde se percepturum sperauerit; ex quibus duobus perceptis, Discipulũ erga præceptorem, beneuolum fieri, nullus qui rectè sapit, est qui ambigat. priori igitur textu, qui incipit Cum sit necessarium, Author suam intentionem aperit, simulque operis vtilitatem ostendit:

dit intentionem, dicens se velle agere de quinque vniuersalibus; vtilitatem, dum proponit necessarium esse nosse, quid sit genus, quid differentia, quid species, quid Proprium, quid Accidēs: ex quibus verbis nos hanc quadrimēbrem conclusionem colligimus, videlicet, quinque prædicabilium cognitio, atq; exacta notitia, ne dum vtilis, sed necessaria est ad quatuor intelligenda, nempe ad prædicamentorum doctrinam capiendam, ad diffinitionū integram assignationem componendam, ad diuisionū rectam perspectionem faciendam, ad demonstrationum verissimam conclusionem exhauriendam: Conclusio probatur prius in vniuersū hac ratione; illud est ad aliud conquirendum simpliciter necessariū, sine quo illud obtineri impossibile est sed sine præhabita horū quinque vniuersalium cognitione, impossibile est prædicamentorum doctrinam, definitionis, diuisionis, ac demonstrationis naturam à nobis sciri & haberi, ergo quinque prędicabilium cognitio, est ad ea conquirenda, simpliciter necessaria. Maior propositio de qua necessitate intelligatur, ex his quę in superiori lectione dicuntur, satis liquet: Minorem ponit Author in litera, dum dicit necessarium esse nosse quid genus, quid differentia; c. verùm vt huius minoris partes singulæ fiant clariores, his rationibus comprobantur: & primo probatur quod notitia quinque prædicabilium ad prædicamentorum doctrinam consequendam, sit necessaria.

1 Prędicamentum est quædam coordinatio plurium prædicabilium secundum ordinem superioris & inferioris, in recta linea prędicamentali, & à latere: in recta etenim genera & species ponuntur; à latere differentię collocātur, vt in arbore Porphyriana manifestabitur; Proprium à rei natura, id est, à principijs essentialibus speciei originem trahit, Accidens verò commune ab indiuidui natura, id est, a

A principiis materialibus oritur; igitur vt sciamus quæ in quolibet prædicamento reponantur, & quę ab ipsorum natura sint extranea, necessarium est nosse quid sit genus, quid differentia, quid species, quid proprium, & quid accidens. hęc ratio ex magno Alberto tractatu primo super Porphyrium libro 2. sumitur.

2 Secunda pars sic manifestatur. Vera & propria definitio de sola specie assignatur; cuius definitionis par-

B tes essentiales sunt genus proximum & specifica differentia, sicut Aristoteles in libro 6. topicorum, cap. 1. & in libro 7. meth. textu 43. dicit: Accidentia quæcunque sint, siue propria, siue commuunia, veram definitionem non ingrediuntur; v. g. si homo definiatur, dicetur quod est Animal rationale, non autem quod sit risibile, quod est accidens Proprium; vel album, quod est Accidens commune: igitur si quid sit genus, quid species,

C quid ve differentia ignoretur, tunc veræ definitionis naturam ignorare necessarium erit; ergo horum cognitio ad veræ definitionis assignationem, est simpliciter necessaria, sumitur hæc ratio ex Boetio editione secunda super Porphyrium.

3 Tertia pars hoc modo declaratur. Diuisio multis modis fit, nam aliquando Genus diuiditur in suas species per differentias essentiales; v. g. Animal quod est genus diuiditur in

D hominem, & brutum, quæ sūt species, per rationale & irrationale, quę sunt specificæ differentiæ; vt cum dicitur Animalium aliud rationale, vt homo, aliud irrationale vt brutum: quandoq; diuiditur accidens in subiecta; v. g. cū dicitur, bonorum alia sunt in Anima, alia in corpore: rursus subiectum diuiditur vel in accidentia propria; vt puta numerorum alius par, alius impar; aut in accidentia communia, vt corporum alia sunt alba, alia nigra: igitur ad cognitionem verę diuisionis, quæ sit per se, & quæ per accidens, ne-

cessarium est horum quinque vniuersalium notitiam præhabere, ac præcipuè cum diuisio generis per differentias ordinatè facta, definitiones largiatur, sicut ex Aristotele in lib 7. metaphys. in text. 43. colligitur. hanc rationem Ammonius & Boetius ferunt.

4 Quarta pars sic sylogizatur: Aristoteles in lib. 1. posteriorum cap. 4. docet in demonstratione potissima, nihil aliud quam propriam passionem de suo subiecto, per definitionem tanquam per medium concludi: Definitio etenim est demonstratio sola positione differens, vt in eodem lib. cap. 7. philosophus scribit; v. g. si risibilitas, quæ hominis propria passio censetur, de eo demonstretur, media definitione hominis efficietur huiusmodi demonstratio sic, Omne Animal rationale est visibile, Omnis homo est Animal rationale, ergo omnis homo est visibilis: quapropter si hæc quinque vniuersalia ignorentur, tunc necessarium erit demonstrationis naturam ignorare, ad quam conficiendam, & species, & Proprium, & partes essentiales definitionis, quæ sunt proximum genus & specifica differentia, in vnum concurrunt, ita Ammonius côcludit: quibus positis rationibus Paulus Venetus, Caietanus, Sotus, Toletus, quàm libenter subscribunt; vnde proposita conclusio satis superq; dilucidata est: Concludatur igitur cognitionem horum quinque prædicabilium, ad ea quæ dicta sunt, esse simpliciter necessariam.

Sed ad huius textus clariorem intellectum, vnum consideratu dignum sese offert, videlicet, quem ordinem in horum quinque vniuersalium assignatione Porphyrius seruet: etenim in priori loco genus posuit, in secundo differentiam assignauit, in tertio speciem collocauit dicês, Cum sit necessarium nosse, quid sit genus, quid differentia, quid species: verùm non abs re hoc eum fecisse, fateri opus est, cum ordo naturæ, quem nunc seruat,

A id poposcerit: nam vnumquodque totum eo quod ex suis partibus constituitur; ob id, eisdem partibus constitutiuis, naturaliter posterius esse, non est qui dubitet: species est quoddam totum, vt infra in cap. de differentia, ipse Author per quandam similitudinem scribit; Genus & differentia sunt eiusdem totius partes essentiales constitutiuæ, ideo cum partes prioritate naturæ suum totum præcedant, propterea priori loco partes assignat, genus scilicet & Differentiam, quàm speciem, quæ est quoddam totum. Vlterius, quia partium aliæ locum materiæ tenent, & aliæ locum formæ habent; atque materia prioritate naturę formam præcedit quemadmodû eodê ordine potentia est prior actu, ita in libro 7. & 9. metaphys. Aristoteles scribit, & Genus locum materię possidet, Differêtia verò formę, vt ibidem Porphyrius docet, ideo in priori loco genus assignat, in posteriori differentiam

C in vltimo speciem tanquam ex vtrisq; compositum: post hęc tandem numerat accidentia, quorum vnum cum à natura speciei oriatur, vt Proprium; & alterum à natura indiuidui profluat, vt accidens commune; hinc factum est, vt Porphyrius in quarto loco Proprium assignaret, & in postremo accidens commune constitueret.

Dubitabit fortasse aliquis duplici dubitatione, quarum prima est, cur Author in enumerãdo diffinitionem,

D diuisionem, ac demonstrationem, diuisioni definitionem præponit, & has demonstrationi: Diuisio namque definitionem præcedit, quemadmodum Aristoteles pluribus in locis docet: altera est, cur resolutionem, quæ à diuisione alia est, neglectam reliquit; nam prima omnium est diuidendi ratio, altera definiendi, tertia demonstrandi, quarta deniq; resoluendi; tamen triû dumtaxat mentionem fecit Porphyrius, & resolutionê neglexisse videtur.

Ad primam, Ammonius respondet nihil ad rem esse, cum ea quæ in no-

ſtra doctrina à nobis pertractanda sūt, vt nobis libuerit ordinare poſſimus: ſed quia ipſe cognouit hanc ſolutionē non eſſe phyloſopho dignam, ob id aliam inſinuat dicens compoſita definitione eſſe nobis primo cognita, ideo definitio diuiſioni præponitur, cum illa ad compoſitorum notitiam tendat: demonſtrationem vltimo loco ponit, eo quia & definitionem ex qua conficitur, & diuiſionem neceſſario præſupponit.

Ad ſecundam idē Ammonius multis ſolutionibus reſpondet, inquiens Porphyrium ideo reliquiſſe reſolutionem; vel quia diuiſioni contraria eſt, eo quòd Diuiſio vnum accipiens in plura diſtribuit, & reſolutio vſque eò procedit, dum in vnum deſinat: nā ſi hominem accipiat, & in partes diſſoluat, partes illas in humores, hos in elementa, hæc denique in materiam & formam partietur, elementa enim ex materia & forma conſtant: vel quia Diuiſio à ſimplicibus ad compoſita progreditur, & reſolutio à compoſitis ad ſimplicia regreditur; & ei qui definit aduerſatur is, qui reſoluit, quoniā alter rei naturam coniungit, alter diſpergit: tandem concludit reſolutionem ideo dimiſſam fuiſſe, quia demonſtrationi etiam opponitur: etenim cū reſolutio diuiſioni, ſine qua definitio eſſe nequit aduerſetur, & demonſtratio definitione conficitur, fit conſequens vt etiam demonſtrationi opponatur: ac propterea eam neglexit Porphyrius, quippe quæ cum prædictis nullam conuenientiam habeat, quæ tamen ad inuicem ordinantur. & de primo textu hæc dicta ſufficiant.

Dilucidatio 3.

Vtili exiſtente iſtarum rerū ſpeculatione, compendioſam tibi traditionem faciens, ten- A tabo breuiter, velut introductionis modo, ea quæ ab antiquis dicta ſunt, aggredi altioribus quidē quæſtionibus abſtinens, ſimpliciores verò mediocriter coniectans.

TRIA ſunt; teſte Ammonio, quæ iuuenum Animos à legendis veterum libris retrahere, ac reijcere cōſueuerunt: primum eſt verborum B longitudo, nam ſermo prolixus & aures defatigat, & mentem à contemplatione diſtrahit: hinc Samiorum legatis prolixiori vtentibus oratione, fertur Spartanos dixiſſe, prima ſumus obliti, poſtrema non intelleximus, quia prima non meminimus. Secundum eſt orationum obſcuritas, etenim cum ea quæ vel leguntur, aut audiuntur, intelligi nequeunt, facilius ſpernuntur. Tertium eſt ſententiarum ac materie- C rum recondita magnitudo, & altitudo; nam ſæpe ſæpius ob ipſarum rerum magnitudinem, à ſpe eò perueniendi decidentes, ab incepto deſiſtimus. hęc tria Porphyrius contemplatus, vt Diſcipulorum animos ad ſuum opuſculum perlegendum excitet; pollicetur ſe ſubterfugiturum eſſe verborum ac dictorum longitudinem, dum compēdioſam, ac breuem traditionem ſe facturum dicit; orationum obſcuritatē, dum veluti introductionis modo, ſci- D licet ſimpliciter procedendo, & non diſputando, ſe proceſſurum promittit: ſententiarum profunditatem, dum ab altioribus illis quæſtionibus, quæ logicæ limitem ſupergrediuntur, ſe ſe abſtinere inquit, ſimpliciores illas dūtaxat pertractans, quæ à tirunculis faciliori modo capi poſſint; atque hæc tria Porphyrius promittens, dociles ac beneuolos ſimul, auditores reddit: quod enim ex operis vtilitate diſcipulis demonſtrata, & ex introductorio modo procedendi, Diſcipuli efficiantur Magiſtro beneuoli, negare quis haud

haud potest: verùm vt dicenda dictis continuentur, vos monitos velim meminisse ea, quæ in superiori lectione diximus, videlicet cognitionem horũ quinque prædicabilium, ne dum ad Prædicamentorum doctrinam percipiendam, sed & ad definitionis, diuisionis, ac Demonstrationis assignationem, maxime necessariam esse: hinc Author sub infert, quod vtili existente istarum rerum speculatione, ad ea nempe, quæ dicta sunt, ob id verborũ prolixitatem euitando, introductorio ac præceptorio modo de his quinque vniuersalibus, sermonem se facturum dicit, & altiores quæstiones deuitans, simpliciores mediocriter coniectans, hæc omnia se determinaturum pollicetur.

Sed difficultas nec quidem parui ponderis, ex verbis eiusdem Authoris originem deducens, nunc suboriri videtur, dum sibi met nequaquam constare apparet: nam supra dixit notitiã horum quinque prædicabilium, ad ea quæ dicta sunt, necessariam esse, nunc verò eorumdem cognitionem esse vtilem asserit, dicens, vtili existente istarum rerum speculatione.

Ad huius difficultatis resolutionem sunt plures modi dicendi: quidam respõdent quod aliud est dicere vtilem ad demonstrationes, & diuisiones, & definitiones conficiendas, aliud est ad artem definiendi, diuidendi, & demonstrandi cognoscendam: nam primo modo cognitio horum vniuersalium vtilis tantùm est; cum absque horum cognitione, multæ scientiæ, vt puta Geometria & Aritmetica diuidant, definiant, & demonstrent: at secundo modo non solùm vtilis, sed necessaria est horum cognitio: quapropter ipsorum opinio est, quod Porphyrius intẽdat notitiam horum vniuersalium, necessariam esse ad prædicamentorũ doctrinam intelligendam, ac similiter ad cognoscendam artem diuidendi, definiendi, & demõstrandi; sed ad Definitiones, diuisiones, ac Demonstra-

A tiones conficiendas vtilem tantùm esse, propter præfatas scientias, quæ sine horum cognitione diuidunt, definiũt, & demonstrant.

Sed hec solutio nulla est, neque earum sciẽtiarum exempla ad rem pertinent, quoniam in vnaquaque scientia sermo est semper habendus iuxta subiectam materiam: quare credendũ non est, Authorem in tam paucis verbis tot diuersa intellexisse, preter quã quod nec illæ scientiæ veram definiB tionem, vel demonstrationem formabunt, si quid nominis saltem ignorent.

Et ideo alij dicunt, quod Author sumit vtile pro necessario, quod verũ esse ex eo maximè conijcitur, quod non de suo libello, sed de subiecta materia intendit: alio tamen vocabulo vtitur, ne in tàm paucis verbis idẽ repetendo, auditoribus molestiam inferret, quæ responsio ferè omnibus communis est.

Alio pretera modo huic dubitaC tioni respondere possumus, distinguendo de vtili, scilicet, vtile duobus modis dicitur, vno modo illud dicitur vtile quod alteri conducit, tamen ad esse rei non est omnino necessarium, altero modo illud dicitur vtile, quod propter aliud expetitur, siue sit omnino necessarium sicut cibus Animali, siue non sit omnino necessarium, sicut vestis homini: nunc autem vtile in hac secunda significatione accipitur, pro eo videlicet quod propter aliud expeD titur, tanquam omnino necessarium; quem modum dicendi Toletus sequitur.

Mox de generibus & speciebus, illud quidem siue subsistant, siue in solis nudis intellectibus posita sint; & siue subsistentia corporalia sint, an incorporalia: & vtrum separata, an in sensibilibus posita, & circa hæc consistentia dicere re-

cusabo: altissimum enim est huiusmodi negocium, & maioris egens inquisitionis.

QVoniam a sententiarum recondita magnitudine se abstinere Porphyrius pollicitus est, dum dixit, ab altioribus quidem quæstionibus abstinens, simpliciores verò mediocriter cõiectans, & hoc ne iuuenum Animos ab hoc suo opusculo legendo reijceret, iure inquit Boetius, quis scientia roboratus quæreret, quæ nam sint illæ questiones, à quibus ob earum altitudinem se abstinere Author pollicetur: ac propterea in hoc textu eas explicare conatur, atque etiam ne forte lector nihil amplius putaret occultum, præterquam quod ipse dixisset. Igitur tres questiones de natura vniuersalium inter antiquiores philosophos in controuersiam versabantur, & quas Author in litera insinuat: sed vt ea quæ tractanda sunt, faciliori intelligentia comprehendantur, prius statuendum est quot modis vniuersale dicatur, & de quo sit sermo. Sciendum ergo quod Vniuersale est multiplex; Vnum quod vniuersale complexum nuncupari à Philosophis consueuit, quod nihil aliud est, quam quælibet propositio vniuersalis, cui signum vniuersale termini distributiuum apponitur, vt omnis & nullus; & hoc est duplex vel in materia necessaria, vt puta cum dicitur omnis homo est Animal; vel in materia contingẽti; v.g. omnis homo currit; quarum propositionũ veritas & falsitas à veritate & falsitate singularium pendet: Alterum Vniuersale dicitur incomplexum; quod „ vt verbis Ammonij viri doctissimi, nec minus Platonici, quam Aristotelici, vtar, triplex est; Primum quod vniuersale ante multa, siue vt alij dicunt, ante rem dicitur, Secundum Vniuersale in multis, seu in re vocatur; Tertium Vniuersale post multa, siue post rem nuncupatur: Vniuersale ante rẽ, iuxta A Platonis sententiam, intelliguntur Ideę à singularibus separatæ, quarum participatione vnumquodque indiuiduum cuiuscunque speciei existit: at secundum Aristotelem, huiusmodi Vniuersale ante rem nullum est; vnde in lib. 1. de Anima text. 8. protulit illa verba aduersus Platonem, Vniuersale aut nihil est, aut posterius est: sunt tamen qui per vniuersale ante rem interpretantur Deum, qui dicitur Vniuersale in essendo & in causando, eo quòd B omnium rerum causa vniuersalissima existat: Vniuersale in multis siue in re, illud dicitur, quod cum de multis prædicetur, in multis existat, necessarium est: & ab aliis vocatur natura in rebus fundamentaliter existens, vt Animal, Homo, Bos, Leo. Vniuersale post multa illud dicitur, quod opere intellectus perficitur, vt genus & species: hæc itaque post multa dicuntur, quia intellectus conuenientiam multorum in vna natura apprehendens, inde C concipit & format vniuersale, genus vel speciem illud nominando, vt infra dicetur: nunc ad intentionem textus Porphyrij non est sermo de vniuersali cõplexo, sed de incõplexo, nec de quolibet horum, sed de secũdo, quod dicitur vniuersale in multis; quia est aptũ natum esse in, & prædicari de multis, vt genus & species, & vniuersale in prædicando communiter appellatur: de his igitur vniuersalibus in prædicando tres quæstiones inter D Philosophos olim in controuersiam versabantur: quarum dilucidatio, ne hi qui legunt, tędio afficiantur, ad sequentem lectionem differatur.

Dilucidatio 4.

Quæstiones, quæ inter Philosophos olim in cõtrouersiam versabantur, & à Porphyrio insinuantur in textu, explanantur.

Circa

CIrca principia maxime esse elaborandum, Diui Platonis sententia est, & ab Aristotele in libro 1. cœli in textu 33. adducta, ibique ratione comprobata, quia paruus error in principio fit maximus in fine: qua quidem sententia vnusquisque mouetur, vt totis viribus, totoque conatu circa principia alicuius tractatus fatigetur; etenim his cognitis ac dilucidatis, tunc ad reliqua pertractanda ingressus facilior erit: De Vniuersalibus nũc sermo est, quorum natura in toto hoc opusculo pertractatur; quapropter vt ea quæ de ipsis dicenda sunt, clariori intellectu comprehendantur, ideo quot quę ve quæstiones de ipsis fierent, nunc dilucidandum est: iam in superiori lectione diximus, quot modis Vniuersale sumatur, ac de qua vniuersalis significatione sit in præsentiarum intentio, & tandem conclusimus tres questiones inter veteres philosophos de his reperiri, quarum dilucidationem, ne hoc opusculum legentes tedio afficerentur, ad præsentem lectionem detulimus: Igitur diximus quod de vniuersalium natura, tres questiones inter priscos Philosophos in controuersiam extabant, quas Porphyrius in textu apponit: & prima est an Genera & species substantię subsistant, siue in solis nudis intellectibus posita sint; quod est dicere an Genera & species existant in rerum natura, vel potius in solo intellectu sint, ita vt aliud esse non habeant, quàm cognosci. Circa quę verba textus, illud est animaduertendum, quod in textu grçco non tot particulę, quot in latino ponuntur: nam in grçco legitur in solis nudis intellectibus, sed in latino additur puris: hinc Porphyrij interpretes, magnum Albertũ sequentes, nonnulla misteria referant, vnde per ly solis, diuinum intellectum intelligunt, qui solus, primo ac principaliter dicitur intellectus, & solus, quia vnicus est, cui nec est, neque alius æqualis esse potest: per ly nudis, humanum intellectum exponunt, qui in

A suî principio est tanquam tabula rasa & nuda, eo quod omni cognitione est denudatus, sicut Aristoteles in libro 3. de Anima in textu 13. scribit; per ly puris, intellectum Angelicum interpretantur, qui purus est, & nulli corpori vnitus, neque vt forma vnibilis: Caietanus verò alio sensu hęc verba exponit, nam per (solis) intelligit intellectum tantùm, ita vt extra animam, nihil eorum sit in rerum natura: per illam particulam (nudis) exclusionem

B indumenti accidentium dicit, ita vt non sint composita indumentis accidentium, sicut corpora mixta: per ly puris, intendit remouere ab illis materiæ ac phantasmatum admixtionem, quod est dicere, quod non sint mixta aliqua corporeitate, nec aliqua conditione phantasmatis, quę à conditionibus materię non sunt omnino depurata, sed mihi probatur Soti expositio, videlicet in verbis illis, misterium latere nullum, sed posteriores particu-

C las esse prioris exaggerationem, vt sensus sit huiusmodi, an Vniuersalia nullo modo sint in rerum natura, sed in solo meroque intellectu reperiantur, neque aliud esse habeant, quàm intellectu cognosci: hanc eandem interpretationem habent Ammonius, & Boetius in editione secunda, Burleus, Paulus Venetus, ac postremum Toletus. Secunda questio erat, esto quod Genera & species sint extra intellectum, atque in rerum natura existant, tunc

D aliud quæsitum dubitationem parat, an scilicet sint entia corporalia vel incorporalia, cuius dubietatis rationem reddit Boetius dicens, omne quod est, aut corporeum, aut incorporeum esse necesse est, genus igitur & species in aliquo horum esse oportebit, vel ergo erunt quid corporeum vel incorporeum, neque enim quid sint diligenter intenduntur, nisi in quo horum reponi debeant, agnoscatur. Tertia questio, supposito quod genera & species sint extra animam, corporeque inexpertia sint, adhuc quæri potest, an in singu-

singularibus sensibilibus sint, aut ab illis seiuncta existant: ab his igitur tribus quaestionibus Author pollicetur se velle abstinere; cuius rei rationem reddit, eo quod de huiusmodi quaestionibus peragere altissimum negocium est, & maioris egens inquisitionis processu: hinc nonnulli expositores distinguunt, Vniuersale trifariam considerari posse, primo quatenus quoddam diffinibile est, & quo ad sua essentialia predicata, & penès hanc consideratio-
B nem, muneris est Metaphysici, cuius est ipsum quod quid est rerum considerare, sicut Aristotel. in lib. 6. meth. scribit: secundo prout in rerum natura existens in singularibus habet esse, & iuxta hanc habitam considerationem ad naturalem Phylosophum spectat: tertio modo inquantum tali naturę communi attribuuntur ab intellectu quędam prędicata intentionalia; v. g. intellectus considerans Animalis naturā conuenire pluribus specie dif-
C ferentibus, attribuit illi de pluribus prædicari, ac per consequens eam naturam vocat genus; vel vt alij dicunt vniuersale consideratum quatenus est predicabile & subiicibile, sic ad logicū adtinet, vt infra dicetur.

Illud verò quemadmodum de his, ac de Propositis, magis probabiliter Antiqui tractaue-
D runt, & horum maximè Peripatetici, tibi nūc tentabo monstrare.

Tandem Porphyrius concludit se velle tractare de his videlicet generibus & speciebus, ac de aliis propositis vniuersalibus, eo modo quo Antiqui probabiliter, idest verisimiliter tractauerunt, & maximè Peripatetici, qui logicę studio se dedicarunt; quasi dicat quod non penès metaphysicam considerationem, sed logicam de his ac similibus pertractare intendit. Sed dum

A Porphyrius se imitaturum Peripateticos pollicetur, dubitabit quis, quos per Peripateticos intelligat, Platonicos, an Aristotelicos? Ammonius cui Sotus subscribit, arbitratur Platonicos intelligere, tùm quia Plato fuit primus qui deambulando docere cœpit, tùm ex eo quod Porphyrius fuit Platonicus, ita vt in hoc opusculo verba Platonis in multis sequatur. Boetius autem, quem Caietanus, Gratia Deus, & Toletus sequuntur, interpretatur Aristotelicos, nam hi Peripateticorum nomen sibi retinuerunt: horum positio verisimilior habetur, eo quod Author in initio huius prœmij ostendit hunc libellum compilasse, vt inde Aristotelis prędicamētorum doctrina facilius percipiatur.

Sed contra textum vnica dubitatio oritur; cum Vniuersalia sint quinque, sicut in principio dictum est, de quibus Author est determinaturus, cur igitur in propositis quæstionibus de genere & de specie tantùm mētionem facit, & tria sub silentio pręterit? ad hanc dubitationem respondet Paulus Venetus, quod apud veteres Philosophos de his duobus tantùm disputatio extabat: tùm primo quia hęc duo sola, nempe Genus & species prędicantur in quid, & totum dicunt; reliqua verò tria in quale prædicantur, ac rei partem designant; tùm etiam quia sola genera & species videntur habere modum essendi per se, cętera autem videntur importare modum essendi in alio, ac propterea de illis duobus tantùm mentionem facit: & hęc quo ad huius Prœmij literæ explanationem, dicta sufficiant.

Disputatio prima de Vniuersalibus.

Vtrum Vniuersalia sint in rebus, vel solo intellectu.

Dilu-

Dilucidatio I.

Quid & quotuplex ſit Vniuerſale:& de quo, in hoc opuſculo ſit intentio; ac ordo procedendi, in dilucidandis diſputationibus explanatur.

ARISTOTELES Phyloſophorum omnium ſapientiſſimus, inter gentes vbique locorum celebratiſſimus, naturalium necnon ſupranaturalium archanorum rimator acutiſſimus, in primo capite primi libri Topicorum ita ſcribit. Probabilia autem ſunt quæ videntur omnibus aut plurimis, aut ſapientibus: & his vel omnibus, vel plurimis, vel maximè familiaribus & probatis. & eſt ac ſi diceret. Illuſtrium ac celeberrimorum Phyloſophorum, ſententiarum complurium cognitionem, ſuppeditare haud modicam vim, & copiam ad diſſerendum probabiliter de omni re propoſita, nemini dubitandi locus relinquitur. Si quidem hoc ducitur probabile, quod videtur omnibus ſapientibus, aut pluribus, aut etiam vni, ſi modo is cæteris antecellat. Etenim multitudinem & varietatem opinionum in re aliqua verſantium, eo vſque nos deducere, vt non ſolum dubitemus, verum enim vero & animaduertamus difficultates, quæ in ea re latent, omnibus eſt in cõfeſſo, vnde & ipſe Philoſophus, in libro primo cœli textu *101.* inquit contrariorum demonſtrationes, dubitationes ſunt de contrarijs: quam nam vtilitatem afferat hominibus, ſcire bene dubitare, & perſpectas habere difficultates, quibus id quod diſputatur inuoluitur & tegitur, perpulchre quidem Ariſtoteles in initio 3. libri diuinę Phylosophiæ his verbis explanat: Eſt autem operę prætium aliquid facultatis

A habere volentibus, bene dubitare: nã poſterior facultas, ſolutio eorum eſt, quæ ante dubitata fuerunt: illi enim qui quærunt, niſi primò dubitent, ſimiles illis ſunt qui quonam ire oporteat ignorant, & adhuc vtrum inuenerint quod quęritur an non, cognoſcere poſſunt: finis etenim his non eſt manifeſtus, illi autem, qui antea dubitauerit, pateſcit. Alienis namque opinionibus diligenter enarratis, haud difficile nobis ſit intelligere, quid in illis

B probandum & amplectendum, quid item fugiendum ac reiciendum ſit: vnde in lib. 1. de anima textu *19.* inquit, oportet percurrere opiniones priorũ, qui de anima aliquid enunciauerunt, vt bene quidem dicta accipiamus, ſi quid autem eſt non bene hoc euitemus. Nos igitur in his noſtris dilucidationibus, quas ad ſtudioſorum iuuenum, dialecticę ſtudia capeſcentium, vtilitatem, elaborauimus, eo ordine incedemus, vt alienis opinionibus al-

C latis, atque diſcuſſis, tandem ijs, quę ſapientibus plurimis, vel vni cæteris præcellenti, probabiliores videntur, noſmetipſos ſubſcribamus: vnum autem omnes ſcire velim, non magiſtris & Doctoribus, quorum corigiam calceamentorum ſoluere, me haud dignũ fateor, ſed opinionibus, & his quatenus vero diſſonare videntur, me ipſum aduerſatum iri. Porphyrij igitur prohemio quo ad literę expoſitionẽ abſoluto: modo eas quęſtiones enodare

D exordiar, quarum reſolutio apud Philoſophos, nec vna, nec eadem eſt. Et quia Dialectici, propterea has quæſtiones reddiderunt obſcuras, quod nullo ferè ordine ſeruato, terminos ac concluſiones ob difficultatem ſeorsũ diſcutiendas ſimul miſcuere, ideo aſſignato ordine in ſingulis dilucidationibus, cùm textuum, tùm diſputationum, ſingulas materias ſcitu neceſſarias, vt in initio cuiuſq; apparebit explanabo. at ne in eiſdem ſępius repetendis, vel audientium aures, vel legẽtium mentes ab attẽtione diſtraham.

ideo

ideo à terminorum distinctione, & eorum dilucidatione, distinctis notandis appositis, inchoabo.

Sit ergo primum notãdum ad propositę quęstionis intelligentiam, Vniuersalia apud Phylosophos sunt duplicia: alia complexa, & alia incomplexa: Vniuersalia complexa sunt omnes propositiones, in quibus terminus communis signo vniuersali determinatus subiicitur: explanantur hæc quę dicuntur; terminus communis, dicitur ille qui est aptus natus pluribus inesse, & de pluribus prędicari, & dicitur communis quia illius significatum est multis communicabile; exempli gratia, corpus Animal, homo, & similia; sunt termini communes, quia corpus signat corporeitatem, quę pluribus corporibus est communicabilis: Animal significat substantiam animatam sensitiuam, omnibus Animalibus communicabilem: homo dicit humanitatem ab omnibus hominibus actu vel aptitudine participatam: signum vero Vniuersale dicitur illud, quod facit terminum, cui adiungitur, teneri Vniuersaliter, id est pro omnibus suis suppositis, siue sit affirmatiuum, vt omnis, siue negatiuum, vt nullus.

Sit secundum notandum, Vniuersalia complexa, quia sunt propositiones, quę ex subiecto & prędicato, & copula conficiuntur, sicut Aristoteles in libro primo periherm. docet, ideo in triplici materia formantur: aut in materia necessaria, & est quando prędicatum est de essentia subiecti, vel saltem ex principijs essentialibus ipsius emanat, vt Proprium, exemplum primi, omnis homo est Animal, exemplum secundi omnis homo est risibilis. Animal enim ita est de essentia hominis, quod homo sine animali esse vel intelligi nequit; risibilitas ita ab hominis natura fluit, vt homo sine ea esse, aut forte intelligi non possit. vel formantur in materia contingenti, vt quando prædicatum ita contingenter subiecto cõuenit, vt præter illius sub-

A iecti corruptionem, adesse possit, eo quia illi non repugnat, vel abesse quia necessario ei nõ inest, vt si dicatur omnis homo currit, nullus homo currit: vel in materia remota, vt quando prędicatum nullo modo subiecto conuenit, imo prorsus illi repugnat, vt si diceretur lignum est lapis, homo est equus: & de his complexis vniuersalibus non est intentio in hoc opusculo pertractare.

Sit tertium notandum: Vniuersalia

B incomplexa sunt multiplicia: nam alia dicuntur Vniuersalia in essendo, & sũt illa, quæ per se subsistunt, & ab omnibus singularibus realiter separata, non à loco, aut à tempore, aut à materia dependentia, & per quorum participationem, quæ in vniuerso producuntur, fiunt talia indiuidua & singularia; quo quidem modo separatę ideę omnium rerum à Platone assignabantur: exempli gratia aiebat vnam esse hominis ideam separatam, à qua omni-

C bus hominibus esse per se communicabatur: & de his Vniuersalibus Aristoteles in lib. 7. meth. & alibi sepissime verba facit. Alia dicuntur Vniuersalia in causando, & sunt illa quę ab omni materia separati & per se subsistentia, horum omnium inferiorum causę vniuersales & efficientes nuncupantur, vt cęlestes intelligentię, de quibus in lib. 12. meth. Aristoteles scribit.

Alia sunt Vniuersalia in repręsen-

D tando, vt similitudines, siue imagines, siue illæ species intelligibiles, quę virtute intellectus agentis resultant in intellectu possibili ex conuersione intellectus agentis supra phantasmata, quę quidem similitudines sunt repręsentatiuę eorum, quorum sunt phantasmata, solùm quantum ad naturam speciei, vt S. Thomas in p. p. q. 85. art. 1. ad 3. explanat, & de his scribit Aristoteles in lib. 3. de anima textu 33. non lapis, sed species lapidis est in anima: alia sunt Vniuersalia in significando, vt voces vniuocę seu conceptus vniuoci, vt

uoci, vt istæ voces, Animal, homo, quæ secundum idem nomen significāt omne Animal, & omnem hominem: tandem alia sunt Vniuersalia in prædicando, vt illæ naturæ communes, quæ ad plura sub se posita, quendam ordinem habent, & de quibus formaliter & diuisim prędicantur, & affirmantur, vt si dicatur homo est Animal, æquus est Animal: Sortes est homo, Plato est homo.

Sit quartum notandum, quando in hac quæstione quæritur vtrum Vniuersalia sint in rebus, vel in solo intellectu, intentio non est de vniuersalibus in causando; etenim notissimum est, huiusmodi in rerum natura existere, imo substantias nobilissimas esse ab omni materia seiunctas, ingenerabiles incorruptibiles, quarum virtutè tota huius mundi machina gubernatur & regitur; quę quidem substantiæ difficiles sunt cognitu, vnde Aristoteles in initio libri secundi meth. scribit, quemadmodum enim vespertilionum oculi ad lumen diei se habent, ita & intellectus animæ nostræ, ad ea quę manifestissima omnium sunt: ab effectu tamen nobis innotescunt, vt in libro 12. meth. patet: neque etiam dubitatio est de vniuersalibus in repræsentando, nam certissimum est huiusmodi Vniuersalia esse species intelligibiles, in intellectu subiectiuè existentes; sed quæstio est de Vniuersalibus in prędicando, an scilicet illę naturæ communes aptæ natæ dici de multis sint aliquo modo in rebus, vel sint solę voces & conceptus, vt sunt Vniuersalia in significando: nam hic est sensus huius quæstionis.

Sit quintum notandum: Vniuersale duobus in locis ab Aristotele diffinitur, primo in libro 7. meth. text. 45. vbi inquit Vniuersale esse illud quod est aptum natum esse in multis, & hæc definitio est essentialis, nam ad hoc quod aliqua natura sit vniuersalis, satis est quod sit apta nata esse in multis secundo definitur in lib. 1. perihermenias capite quinto, vbi dicitur Vniuersale est id, quod de pluribus prædicari aptum natum est, & hæc definitio datur per propriam passionem, nā aptitudo ad prædicari de pluribus ex natura ipsius Vniuersalis emanat, non aliter quam ex natura hominis aptitudo ad ridendum fluat: vnde aptitudo ad prædicari de multis supponit aptitudinem ad esse in multis, sicut actu prædicari supponit actu inesse, alioquin non vere prædicaretur, quia ab eo quod res est vel nō est, dicitur oratio vera vel falsa, inquit Aristoteles in capite de substantia, nam si verum est dicere Sortes est homo, oportet humanam naturam Socrati inesse.

Sit sextum notandum: vt aliqua natura sit Vniuersalis, tres conditiones requirūtur, sicut ex allatis duabus definitionibus colligitur, prima vt ipsa natura sit vna, hanc conditionem insinuat Aristoteles in libro primo post: textu 25. vbi ait species quidem igitur esse, aut vnum aliquid extra multa nō necesse est esse, si Demonstratio erit, esse tamen vnum de multis, necesse est: secūda vt sit apta nata esse in multis, nam si natura sit vna, & nō sit apta nata esse in multis, non habebit rationem vniuersalitatis, sed singularitatis, hanc conditionem ponit Aristoteles in lib. 7. meth. textu 45. vbi inquit, Prima namque substantia vniuscuiusque, quę propria cuiusque est, quæ alij non inest, Vniuersale vero commune: hoc enim dicitur vniuersale, quod pluribus natura aptum est inesse. tertia q̄ prędicetur de illis, quibus inest, vniuoce, idest, secundū idē nomen, & secūdū eandē ratione, nā hoc est vniuoce prędicari, vt ex prędicamētorū præludijs colligitur, & hanc conditionē assignauit Phylosophus in lib. 1. post. c. 8. vbi scribit, oportet itaque Vniuersale aliquod vnum, & idem de pluribus esse non æquiuocum: & ex his quæ dicta sunt, satis constat tituli quæstionis explanatio: cætera verò in sequenti patebunt.

Dilu-

Dilucidatio 2.

Gulielmi Occhæ, ac cæterorum Nominalium asserentium Vniuersalia vllo modo esse in rebus, examinatur & reiicitur.

DIuersitatem opinantium in re aliqua, difficultatem eiusdem rei arguere, omnibus notũ est, inquit Auerroes: qua propter cum inter veteres, ac recentiores phylosophos, diuersæ sint de entitate Vniuersalium opiniones, ideo non facile sit hanc quæstionem dilucidare: at quia ars in his quę potest, naturam in suis operibus ordine incedentem, imitatur, ita Aristoteles in libro 2. de physico auditu textu 77. scribit, ideo & nos ordine quodam incedamus, quo hi qui logicę studia inchoant, eam facile assequi possint: ab illorum igitur phylosophorum sentẽtijs sermonem exordiamur, qui Vniuersalia in rebus reperiri prorsus negant vt tandem ad illum modum explanandum perueniamus, quo ab Aristotelicæ doctrinę sectatoribus, Vniuersalia in rebus reperiri affirmatur.

Gulielmus Occham in libro primo sent. dist. 2. q. 4. & 5. & in sua logica capite 14. quem postea nominales sequuntur, ita vt rem ipsam scitu difficilem reddiderint; negat Vniuersalia esse in rebus; & arbitratur Vniuersale in prædicando, (de quo nunc est quęstio) idem esse quod Vniuersale in significando, ita vt nulla sit natura communis per vocem & conceptum immediate significata, quæ de multis prędicetur: sed tantùm sit vox communis, vt Animal, homo significans plura habentia inter se aliquam similitudinẽ, & de his vox illa prædicatur.

Ad huius positionis intellectũ, animaduertendum est, quod quemadmodum singulare duobus modis sumitur. vno pro singulari in essendo, & est illud indiuiduum, quod materialibus A conditionibus nempe his carnibus & his ossibus in seipso est indiuisum, & à ceteris distinctum, vt Sortes, vel Plato: alio modo pro singulari in significando, & est ille terminus, vel vox, vel nomen, vnum solum significãs, vt hoc nomen Sortes signat tantùm illud indiuiduum: ita (inquit) Vniuersale duobus modis sumitur, vno, pro Vniuersali in re, quod est illa natura pluribus communis, vt natura Animalis aut hominis; alio modo sumitur pro B Vniuersali in significando, & est vox vel nomen plura significans diuisim, quæ plura aliquam similitudinem inter se habent; vt hoc nomen Animal significat diuisim hominem. & ęquũ, qui in natura sensitiua conueniunt? similiter homo signat diuisim Socratẽ & Platonem, qui in humanitate similes sunt. idem dicatur de aliis generibus & speciebus, hac distinctione posita, illico duæ conclusiones ad mẽtem nominalium eliciuntur.

C 1 Prima est hęc, Vniuersale vt dicit naturam communem pluribus nullum est à parte rei.

2 Secunda, Vniuersalia in significando sunt multa, vt hę voces, substãtia, Animal. &c. Primam conclusionẽ authoritatibus & rationibus probare nituntur.

1 Aristoteles in lib 1. post text. 35. inquit, Species enim valeant & genera, monstra enim sunt. Pręterea in libro 7. meth. textu 57. ait, quare patet, D quod nihil vniuersalium separatim pręter singularia est: ergo vniuersale in re nihil est.

2 Præterea, rationibus sic arguunt: Si Vniuersale est aliquid in re, aut à se ipso, aut à nullo, aut per alterius actionem in esse producitur; sed nullo horum modorum contingit ipsum habere esse, ergo nullo modo in re extra intellectum est, maior per sufficientẽ diuisionem est manifesta: minor quo ad singulas partes probatur. primo nõ producitur à se ipso, quia nulla res est sui ipsius principium effectiuum, alio-

quin

quin idem respectu eiusdem esset simul principium actiuum & passiuum, quod est falsum, nam potentia actiua à passiua distinguitur, vt dicitur in libro 9. meth. text. 10. non à nullo, quia quidquid est citra Deum, ab aliqua causa, aut naturali, aut supra naturali est productum: si vero dicatur quod per alterius productionem producitur; tunc arguitur, ergo illud productum non est natura vniuersalis; consequentia probatur authoritate Aristotelis in lib. 1. meth. cap. 1. dicentis, actiones ac generationes omnes circa singulare, sunt: non enim hominem, nisi per accidens sanat qui medetur, sed Calliam aut Socratem, vel alium quempiam eorum, qui sic dicuntur, cui accidit hominem esse, & in lib. 7. meth. textu 27. inquit, hoc autem quod in alio fit, aut ab arte, aut à natura, aut potentia, vt qui facit sphærã æneam, in hoc enim hanc formã facit.

3 Pręterea, Si Vniuersale reperitur in re, vt communiter dicitur, vel est prius ipsis rebus, quibus inest, aut posterius: non prius quia Aristoteles in libro primo de anima text. 8. inquit, Vniuersale aut nihil est, aut posterius est: non posterius, quia Vniuersale respectu singularium est in aliquo genere causæ: causa est semper prior effectu, ergo nullo modo est in re.

4 Pręterea, Arguunt argumento Aristotelis contra Platonem in lib. 7. meth. textu 45. Vniuersale est illud, quod aptum natum est esse in multis; sed vna res non potest esse in multis: vt idem color non potest esse in pluribus subiectis distinctis, & multo minus vna substantialis natura, in pluribus suppositis, ergo Vniuersale non est in re.

5 Si Vniuersale est in re, aut est substantia, aut accidens: non substantia, quia Aristoteles in libro 7. meth. textu 45. dicit, videtur namque impossibile esse substantiam quodcúque eorum, quę vniuersaliter dicuntur: non accidens, quia tunc natura Animalis,

A vel hominis esset Accidens, quod est falsum; igitur dicendum est quod Vniuersale non sit in re. & hęc sunt potissima opinionis argumenta.

Ad secundam conclusionem confirmandam, inquiunt notum esse omnibus, multa esse Vniuersalia in significando, vt hę voces Animal, homo, æquus, quę in intellectu subiectiuè existentes sunt communes pluribus: nam hæc vox, Animal, de pluribus animalibus dicitur, quę in natura B animalitatis similia sunt: ita & de reliquis nominibus & conceptibus genericis & specificis: ergo cum huiusmodi cõceptus: sint tantùm in intellectu, sequitur quod vniuersale nullo modo est in re extra intellectum.

Hęc opinio (referente Paulo Veneto in prima opinione relata super prologum Porphyrij) antiquior est, quàm ab Occha fuerit enunciata: Epicurei etenim dixerunt genera & species, nullum esse in re extra C intellectum habere, ea ratione moti, quod Vniuersale est in pluribus, & dicitur de pluribus, sed extra intellectum nullum tale reperitur, quia omne quod est extra animam est realiter indiuiduum, & singulare: quam opinionem Occhanistę deinde tanquam enunciatam veritatem defendunt: & forte inquit Sotus in q. 1. de vniuersalibus nõ discrepat ab ea Heracliti & Cratilli, putantium in rerum natura pręter sẽsibilia nil aliud reperiri, vnde capere D non potuerunt quomodo vniuersalia quæ sunt in rebus, communicentur singularibus per pręedicationem; ac propterea scientiam de rebus haberi posse negabant, sicut Aristoteles in libro 4 meth. text. 22. refert.

Sed contra hanc opinionem, est omnium Peripateticorum, scilicet, magni Alberti, D.Thom. Scoti, & ante Auerrois in lib. 3. meth. com. 12. communis sententia, asserentium Vniuersale in prædicando habere aliquo modo esse in re extra intellectum: nam de Vniuersali in significando, quod sit tãtùm in in-

in intellectu, non sit qui ambigat: at de Vniuersalibus in prędicando, hanc conclusionem assignant: Vniuersalia in prędicando habent esse in rebus: probatur authoritatibus & rationibus.

1 Aristoteles in lib. 1. perhyermenias cap. 5. facit hanc diuisionem; rerum hę quidem sunt Vniuersales, illę vero singulares: vt homo quidem Vniuersalium est, Callias vero eorum quę sunt singularia: in hoc loco non diuidit voces, sed res.

2 Confirmatur authoritate eiusdem Phylosophi in lib. 1. post c. 2. vbi loquens de cognitione rerum inquit: Dico autem ad nos priora & notiora, propinquiora sensui: simpliciter autē priora & notiora quę longius sunt: & explanans quæ sint hęc subdit, sunt autem longissima quidem Vniuersalia maxime, proxima autem singularia; & opponuntur hæc ad inuicem.

3 Præterea, in eodem lib. c. 8. scribit, si non sit vniuersale neque mediū demonstrationis erit, quare neque demonstratio: oportet itaque aliquod vnum & idem de pluribus esse non æquiuocum.

4 Pręterea in eodem lib. c. 20. comparationem faciens inter demonstrationem rerum vniuersalium & singularium, quę earum sit potior: multis rationibus ostendet Demonstrationē vniuersalium esse potiorem demonstratione singularium: ac tandem in calce, eiusdem capitis concludit, Vniuersale intellectu cognosci, singulare sensu percipi: quo in loco fit notum, ab Aristotele fieri comparationem nō inter voces vniuersales & singulares, sed inter res, & res, ergo, &c.

5 Præterea in lib. 3. meth. text. 20. inquit quod si Vniuersalia non sint, sed singularia, tunc non erunt scibilia, ipsius enim vniuersalis omnes scientię sunt: & Auerroes in eodem libro com. 12. ait, quod esse Vniuersale non est dubium: quoniam dubium nō est, nisi de natura illius quid sit:

A 6 Item ad eandem conclusionem arguitur sic: Aristoteles in lib. 6. meth. text. 2. distinguit scientias reales in triplici genere, vt ibi patet; atque scientiæ dicuntur reales quia sunt de rebus, vt scientia naturalis de rebus naturalibus: mathematicæ de mathematicis: sed scientia non habetur nisi de Vniuersalibus, vt Aristoteles in lib. 1. post: textu 11. scribit, ergo sunt res vniuersales. idem apertis verbis affirmat in lib 7. meth. scientiam & demō-
B strationem esse de vniuersalibus, quæ sunt perpetua, & non de singularibus, quæ sunt corruptibilia.

Nec aliquid est glossa nominalium dicentium, quod cum dicitur scientia est de vniuersalibus, id est, de propositionibus vniuersalibus, & non de rebus: qua propter quando cognoscitur quod homo sit risibilis, inquiunt scientiam non esse de homine, neque de risibilitate, sed de propositione, homo est risibilis; nam hæc glossa (inquam)
C nihil est; quoniam non dicitur quod Phylosophia naturalis sit de propositionibus, sed de rebus: vt ex authoritatibus Aristotelis liquide patet.

7 Præterea ad eandem conclusionem arguit Paulus Venetus sic: seclusa omni operatione intellectus, verum est dicere ex natura rei, homo est rationalis, homo est risibilis: color est adæquatum obiectum visus, & sic de alijs: igitur hæ propositiones aut verificantur respectu huius & illius ho-
D minis, respectu huius & illius coloris: vel respectu hominis & coloris in communi: si hoc secundo modo, ergo ex natura rei dantur vniuersalia: si primo modo, ergo si homo est rationalis vel risibilis quatenus est hic homo, alteri homini ab ipso non conuenit: & si color vt hic color est adæquatum obiectum visus, ergo dato quocunque alio colore, præter illum, visus non videret.

8 Præterea hę propositiones sunt verę homo est Animal, æquus est Animal: Sortes est homo, Plato est homo igitur illud prædicatum Animal, & homo,

homo, aut ſupponit pro rebus, aut pro vocibus, ſi pro re, ergo cum ſint termini vniuerſales ſic dantur vniuerſalia in re: ſi pro vocibus, vt inquiunt nominales; Contra Ariſtoteles in libro 1. elenchorum, cap. 1. habet hæc verba, nam quia fieri non poteſt, vt res ipſas ferentes diſputemus, ſed nominibus pro rebus vtimur ſignis; & quod accidit in nominibus, in rebus quoque arbitramur accidere: & exemplificans de calculis inquit, & ſicut his vſu venit, qui calculis ſupputant, vt quod in calculis colligunt, in rebus numeratis inueniant, ita quod vocibus prædicamus eſt in rebus; ex quibus verbis colligitur, cōtra nominales quod res prædicantur realiter & obiectiue, & voces inſtrumentaliter & tanquam ſigna: & propterea quando dicitur homo eſt Animal, Sortes eſt homo, ſicut in his prędicationibus, ſubiectum ſupponit pro ea re, quę eſt homo, & Sortes: ita illud prędicatum Animal, & homo, nō ſupponit pro nomine, ſed pro ratione communi, quę pluribus ineſt: vnde rebus principaliter & fundamentaliter conuenit prædicari, nominibus verò inſtrumētaliter, ſed proprie, quia prædicari & dici, magis proprie conuenit vocibus, quam rebus: his tamen vt dictum eſt conuenit principaliter & fundamentaliter: quapropter Ariſtot. in lib. 1. perhyer. cap. 5. inquit quod cum rerū aliæ ſint vniuerſales, & aliæ ſingulares, neceſſe eſt aliquid de vniuerſalibus rebus, & aliquid de ſingularibus enunciari: & in capite de ſubſtantia, ait, quod ſecundæ ſubſtantię, vt genera & ſpecies quæ ſunt in primis de illis prędicantur: ex his igitur authoritatibus & rationibus patet quod Vniuerſalia in prędicando ſunt aliquo modo in rebus extra intellectum: ſupereſt nunc vt rationibus & argumentis nominalium reſpondeatur.

Ad omnes authoritates Ariſtotelis, ex pluribus locis vbi loquitur contra Platonem, reſpondetur quod illius intentio non eſt negare Vniuerſalia, niſi A eo modo quo à Platone aſſignantur, videlicet à rebus realiter ſeparata; & ideo dixit quod erant monſtra à veritate diſſonantia, quia de natura Vniuerſalis non eſt ſeparari, ſed ineſſe, & de pluribus prędicari, vt in ſequentibus dicetur.

Ad ſecundum negatur minor quo ad illam partem, ſcilicet quod nō producantur per actionem alterius: ad illius probationem reſpondetur, quod illa authoritas Ariſtotelis intelligitur B de rebus per ſe exiſtentibus, Vniuerſalia non per ſe exiſtunt: vel dicatur & melius, quod illa authoritas Ariſtotelis intelligitur de his quæ producuntur aut generatione naturæ vt homo, aut productione artis proprie dictæ vt ſcannum; vnde Ariſtot. in lib. 7. meth. ſcribit in textu 27. qui facit ſpheram æneam, facit formam in hac materia: at Vniuerſalia producuntur per abſtractionem intellectus qui facit vniuerſalitatem in rebus, vt dicit Auerroes in lib. 1. de anima textu com. 8. C quæ propoſitio comentatoris, (quia ſermo eſt de vniuerſalibus in prædicando) debet intelligi ſecundario & ex conſequenti: eo quod huiuſmodi entia potius conſequuntur ad actum intellectum, & ad ipſum reſultant, quā per ipſum fiant, vt dicetur.

Ad tertium reſpondetur, quod in vniuerſali duo conſiderantur, materiale & formale, res denominata, & ratio vniuerſalitatis: ſi primo modo cō- D ſideratur, ideſt, quoad materiale, id eſt quo ad illam naturam, vt res eſt; puta Animal, aut homo, ſic Vniuerſale eſt prius: ſi autem ſumatur formaliter, id eſt pro intentione Vniuerſalitatis, puta Animal vt genus, homo vt ſpecies, ſic eſt poſterius, quia illa intentio Vniuerſalitatis, ex ſingularibus colligitur; & ad hunc ſenſum dixit Ariſtoteles, Vniuerſale aut nihil eſſe, quia non eſt quid ſeparatum, vt Plato dicebat, aut poſterius eſſe, quia intentio vniuerſalitatis per operationem intellectus abſtrahentis à ſingularibus re-

sultat: & quando dicitur Vniuersale respectu singularium est in aliquo genere causę, & causa est prior effectu: respondetur quod prius multis modis dicitur, sicut author est Aristoteles in post prædicamentis, quorum altero modo illud dicitur prius à quo non conuertitur subsistendi consequentia, vt duo sunt priora tribus: & hoc modo dicitur Vniuersale esse prius, quoniam sequitur homo est ergo Animal est, & non è conuerso: Sortes est, ergo homo est, & non e conuerso.

Ad quartum dicitur, quod quamuis res & natura quæ in se est realiter vna non possit esse in pluribus; tamen res quę per abstractionem intellectus fit vna, potest esse in pluribus: modo ratio Vniuersalitatis fit vna, opere intellectus.

Ad quintum est communis distinctio, quod Vniuersale duobus modis consideratur, vno modo fundamentaliter, & sic Vniuersale de genere substantiæ est substantia, vt Animal, homo, ęquus: & Vniuersale de genere accidentis est accidens, vt color, albedo, & similia: alio modo quo ad rationem vniuersalitatis: & quia huiusmodi ratio in omnibus prędicamentis est ens rationis, eo quod ratio vniuersalitatis non conuenit rebus nisi opere intellectus, nec aliud esse habet, quam esse obiectiuè in intellectu, sic Vniuersale est accidens: & iuxta hunc sensum Aristoteles in 7. meth. 35. dixit Vniuersale non est substantia, id est, quo ad rationem vniuersalitatis, nec tamen sequitur ergo natura Animalis, vel hominis est accidens quia in se sunt substantia: sed ratio vniuersalitatis quæ est ens rationis, non conuenit illis nisi per operationem intellectus, vt dictum est: & hæc satis.

Disputatio 2. de Vniuersalibus.

A *An Vniuersalia in prædicando, sint Vniuersalia in essendo: quod est quærere, An Vniuersalia in prædicando existant extra animam, a singularibus realiter separata.*

Dilucidatio I.

B **Platonis opinio affirmantis Vniuersalia in prædicando, esse Vninersalia in essendo, idest à singularibus realiter separata, referatur, & explanatur.**

DISPVTATIO de Vniuersalibus, an quidquam præter singularia sint, non solum difficillima, sed maximè necessaria est, scribit Aristoteles in lib. 3. meth. cap. 4. quod autem sit difficillima, nec mirum, eo C quod difficillima hominibus cognitu, sunt ea, quę maximè Vniuersalia sunt, inquit ipsemet Aristotel. in lib. 1. c. 2. eiusdem phylosophiæ: cuius dicti rationem reddens & causam subdit, si quidem remotissima sunt a sensu: ac nomine Vniuersalium eo in loco, non tantum causas vniuersales, idest vniuersalia in causando, (vt sunt intelligentię à materia separatæ) intelligit: nam hęc ad cognoscendum difficillima sunt, quia cum sint immaterialia, D nullam magnitudinem habentia, vt in lib. 12. meth. ostenditur, a sensu sunt maximè remota: propterea in lib. 2. noster intellectus in cognitione horũ abstractorum, ad oculum noctuę in visione solis, comparatur: sed illis verbis etiam vniuersalia prædicata, id est in prędicando, cõplectitur, vt D. Thomas interpretatur: huiusmodi igitur Vniuersalia sunt nobis cognitu difficillima, quia omnis nostra cognitio à sensu originem ducit, & hæc à sensu longissime absunt, vnde in lib. 1. post. cap. 20. dicitur, Vniuersalia intellectu,

& sin-

& singularia sensu percipiuntur: maximè vero necessaria est hæc disputatio, quia his vniuersalibus ignoratis, non solum de rebus scientiam, sed etiam ipsarum multarum generationum posse fieri, & esse, haud facile est intelligere igitur his de causis nos moti, hanc disputationem dilucidare statuimus: an Vniuersalia in prędicando, sint Vniuersalia in essendo, id est, sint extra animam à singularibus realiter separata: & vt à iunioribus faciliori intellectu capiatur, ideo priori loco Platonis opinionem explanabimus, quam rationibus peripateticis, vt à veritate dissonantem abiicere studebimus.

Plato (referente Aristot. in libro 7. meth. à textu 17. vsque ad 32. aliisque pluribus in locis) arbitratur Vniuersalia de genere substantię speciatim, ita in re extra animam esse disiuncta, vt neque à loco, neque a tempore vllo modo dependeant: cum hac tamē separatione, id ipsum singularia habent, quod non nisi per ipsorum Vniuersalium participationem producebantur hoc & hoc, atque per eorundem quidditatem, definiebantur, & cognoscebantur: & hæc vniuersalia, ideas appellabat: sed vt iuniores mentem Platonis attingant, ideo exemplis explanetur. Censebat Plato esse hominem Vniuersalem, ab hominibus singularibus realiter extra animam separatū; quem hominem, aiebat, à loco non dependere, vti singulares homines qui sunt hic & ibi, id est, in hoc & illo loco, quia vbique erat, eo quod ab omnibus participabatur: nec à tempore quemadmodum singulares homines, quorum duratio tempore mensuratur, quia æternus est: & per illius hominis vniuersalis participationem, homines fiebant singulares: nam Sortes, Plato, Cicero, & reliqui, ideo erant homines, quia essentię & naturę illius hominis separati participes erant: Exēplum huius participationis aptè commodissimum est illud, quod ab Ammonio in Prohemio Porphyrij assignatur, scilicet de annulo alicuius hominis imagine insignito, per cuius impressionem in multis tabulis cæreis, sigillationes multæ efficiūtur: & quod de homine dicitur, de cęteris rerum speciebus, vt puta Leonis, Aequi, Asini, quarum indiuidua nullum ordinem, prioritatis & posterioritatis ad inuicem habēt, intelligebat: & quamuis ad hanc positionem tuendam, multis varijsque rationibus Plato mouetur, huic tamen nostro negocio 3. tantùm deseruiunt, quarum prima ex parte intellectus procedit, secunda ex necessitate sciētiæ rerum sensibilium; tertia ob generationem quarumdam rerum deducebatur.

1 Prima ex parte intellectus, existimabat Plato quod ea quę opere intellectus separantur, etiam in re essent separata, ex quo sic arguebat: Res eo modo se habent ad esse, quo se habēt ad intelligi à nostro intellectu; sed sic est quod noster intellectus intelligit quidditatem generis; v. g. Animalis, nulla specie illius intellecta, scilicet neque hominis, neque leonis; & quidditatem speciei, scilicet hominis, nullo indiuiduo ipsius intellecto, videlicet neque Sorte, neque Platone, ergo etiam extra intellectum sunt separata; maior ex eo patet quòd noster intellectus ab ipsis rebus mouetur: minor est clara, quia cum natura generis abstrahat ab omnibus speciebus: & species ab omnibus indiuiduus, ideo sine his intelligi possunt.

2 Secunda ratio ex parte scientię sic formatur: scientia non est nisi de rebus necessarijs, perpetuis ingenerabilibus, ac aliter se habere impossibilibus: sed indiuidua, & singularia sensibilia, sunt contingentia & corruptibilia, ergo necessarium est assignare Ideas rerum ab his separatas, de quibus vt de necessarijs & sempiternis scientia habeatur: minor est sensui nota, ac propter eorum continuum motum & fluxum, Heraclitus & Cratil-

lus, nescientes vniuersalitatis naturam, ideo scientiam de rebus haberi posse negabant, vt Aristoteles in lib. 4. meth. text. 22. scribit: maior ab omnibus phylosophus conceditur, & vt notissima supponitur etiam ab Aristot. in lib. 1. post. textu 11. & lib. 7. meth. textu 53. vbi inquit quod singularium non est definitio, nec demonstratio, ac per consequens neque scientia.

Quod si quis dixisset ea Vniuersalia & quidditates esse vnitas singularibus tunc Plato arguebat, singularia sunt corruptibilia, ergo & ipsa Vniuersalia essent corruptibilia, saltem ad singularium corruptionem, quod est falsum.

3 Tertia ratio ex parte generationis animatorum duplici ex capite formabatur, primo ex parte Animalium, quę generantur ex semine; secundo ex parte eorum, quę ex putrefacta materia producuntur: prima sic formatur, Omne quod generatur, generatur à sibi simile, aut in genere, aut in specie; sed Animalia quę generantur ex semine, non generantur à sibi simile neque in genere, neque in specie; ergo necessarium erit assignare ideas separatas Animalium quarum virtute, hęc inferiora generantur: maior propositio est nota, quia nihil educitur de potentia in actum nisi ab aliquo agente sui generis propinqui, vel suę speciei: minor probatur, nam semen ex quo fit Animal est inanimatum, Animal autem est animatum, ergo non sunt eiusdem generis propinqui, & multo minus eiusdem speciei specialissimæ.

4 Ex parte Animatorum, quę ex putrida materia generantur, sic arguebat. Multa Animalia generantur ex putrida materia, vt mures, muscæ & similia, ergo cum hęc Animalia non generentur à sibi simile in genere, vel specie proxima: necessarium est assignare species abstractas, à quibus producuntur: igitur hæc sunt principalia motiua, quibus Plato mouebatur ad assignandas ideas rerum, & ab his separatas: verum est quod ex Aristot.

A in libro 7. meth. non colliguntur nisi duæ rationes Platonis, illa videlicet, quæ procedit ex parte scientiæ, & altera ex parte generationis: primam confutat Aristoteles in eodem libro à textu 16. vsque ad 21. inclusiuè: alteram à textu 22. vsque ad 32. vt Paulo inferius dicetur: eam vero quæ ex parte intellectus procedit, assignat S. Thomas de veritate in q. 21. art. 4. & Paulus Venetus in prohem. Porphyrij.

An autem hæc sit vera Platonis opi-
B nio, vel quid aliud in Idearum positione senserit, dubium est: eo quod impossibilitatem quandam sonare videtur, ita vt difficillimum sit creditu Platonem Phylosophorum suæ ætatis doctissimum talia sensisse; quapropter multi suspicantur Aristotelem id Platoni impingisse; imo S. Thom. in lib. 4. de regimine Principum cap. 4. fatetur Aristotelem multa antiquis Phylosophis imposuisse: sed quod Plato per ideas à singularibus separatas aliud
C senserit ab eo, quod Aristoteles sibi imponit, textatur S. August. in lib. 83. quæstionum, in q. 46. & habentur in tomo 4. duo etenim ibi dicit, vnum, non esse verisimile, aut nullos fuisse sapientes ante Platonem, aut res quas Plato ideas vocauit, non intellexisse. Si quidem in eis tanta vis constituitur, vt nisi illis intellectis sapiens esse non possit: sed alio fortasse, atque alio nomine, ab alijs atque alijs nuncupatæ sunt, Plato tamen primus fuit, qui
D hoc nomine idea, eas appellauit: licet enim cuique rei incognitę, quæ nullum habeat vsitatum nomen, quodlibet nomen imponere: aliud quod dicit, est, quod Platonem quasi exponens, videtur per ideas intellexisse, non Vniuersalia separata, vt Aristoteles sibi imponit, sed formas rerum in mente diuina existentes: vnde subdit hæc verba: Ideę sunt principales quædam formę, vel rationes rerum stabiles atque incommutabiles; quæ ipsæ formatæ non sunt, ac per hoc æternæ, ac semper eodem modo se habentes,

bentes, quæ diuina intelligentia continentur: sed cùm ipsæ neque oriantur, neque intereant, secundum eas tamen formari dicitur omne quod oriri & interire potest, & omne quod oritur, & interit: hęc D. August. prefato loco: item Seneca in lib. epist. 66. inquit quod Deus exẽplaria rerum intra se habet, quas Plato ideas vocat: confirmatur hæc positio authoritate multorum illustrium interpretũ Aristotelis, scilicet Platonem non intellexisse per ideas nisi rationes separatus in intellectu diuino: Ammonius in lib. 1. de anima in expositione textus octaui, & Simplicius in lib. 1. cœli super textum 19. idem affirmant: imo ex latinis Boetius in secunda æditione libri de interpretatione inquit inter Platonem & Aristotelem non esse differentiam quo ad hanc positionem, nisi in verbis solùm: & quod Aristoteles senserit idem quod Plato, probant authoritatibus eiusdem Phylosophi tùm in lib. 12. meth. textu 52. vbi ait, quod quemadmodum duplex est ordo, vnus qui est in Duce, alter qui est in exercitu, & ille qui est in exercitu causatur ab illo qui est in Duce; ita duplex est bonum vniuersi, vnum in ipso, alterum in primo efficiẽte à quo est illud Vniuersi: tũ quia in 3. meth. putat esse inconueniens Deum non cognoscere omnia, quæ tamen ab eo non cognoscerentur, (inquiunt ij) nisi ideas & rationes omniũ haberet: tùm vlterius quia in lib. 2. physicorum describens causã formalẽ, asserit ipsã esse rationem & exẽplar: Confirmatur pręterea per Auerroem in li. 12. meth. com. 37. dicentẽ quod opinio affirmantium Deũ omnia intelligere, quodam modo est vera; & quodam modo non: nam sub rationibus singularibus, quæ sunt infinitæ non est vera, sed bene sub rationibus spiritualibus: & ita concludunt ideas etiã ad aures Aristotel. esse in Deo, & propterea in verbis solum à Platone discrepare: imo & Theologi assignãt in Deo ideas, à diuina natura

A nõ nisi ratione distinctas, vt S. Th. p. p. q. 15. per totam explanat, vnde & S. August. in eodem loco inquit quod alia ratione conditus est homo, & alia ratione æquus.

Ex altera parte, multis probatur; Aristotelẽ non verbis solũ, sed re ipsa à Platone discrepare, tùm quia in li. 1. post. inquit Valeant ideæ, quia monstra sunt: tùm quia in lib. 7. meth. ostẽdit ideas, neq; ad scientiam, neq; ad generationem esse necessarias: & hoc nõ
B est discrimen de vocibus, sed de rebus, inq̃ Zimara in suis tabulis sup̃ Arist. litera (ydea:) Præterea Sotꝰ in q. 1. de Vniuersalibus, affirmat esse Difficillimum creditu, quod eo tempore Platone adhuc viuente, vel saltem multis discipulis eius, rem tam absurdã Aristoteles Platonis imposuerit, nisi de tali positione Plato aliquid dixisset: Cõfirmatur, inquiunt alij, ex eo quod passim fertur Platonem de Aristotele dixisse, in me Aristoteles recalcitrat, nõ
C secus atque in matrem pulli geniti: & Aristoteles e contra Amicus Sortes, amicus Plato, sed magis amica veritas: & tandem in altissimis præsertim Phylosophię quæstionibus (inquit Themistius in libro primo de anima capite 20.) non æquum est aliud dicere, & aliud sentire: manifestum autem est inter altissimas Phylosophiæ quæstiones esse illam de Ideis: altissimum enim inquit Porphyrius, est huiusmodi negocium, & maioris indi-
D gens inquisitionis: Quapropter concludunt hi, Aristotelem ne dum vocibus verum etiam intellectu à Platone dissentire: Veruntamen, inquit Toletus in q. 2. quidquid Plato de Ideis senserit, parum huic negocio est: nam hoc modo, hocque sensu, ab Aristotele pluribus in locis sæpissime explanari notum est: ideo & nos Aristotelis sententiam ac interpretationem sequentes; Platonicam opinionem peripateticis rationibus, in sequenti dilucidatione abijcere studebimus.

Dilucidatio 2.

Platonis opinio de separatis Vniuersalibus abiicitur, & illius argumenta enodantur.

MElius verò fortasse est, vt Vniuersale consideremus, & quomodo dicatur inquiramus: quanquam arduã nobis hanc quęstionem futuram video: propterea quod amici sunt, qui formas introduxerunt: sed forsan rectius esse, & oportere videretur, vt pro veritatis salute, vnusquisque & præsertim Phylosophi sua quoque propria refutarent. nam licet amici ambo sint, sanctum est veritatem ipsis in honore anteponere. verba sunt Aristotelis in initio sexti capitis primi libri ethicorum; ex quibus fit omnibus satis notum, Phylosophi præsertim esse veras opiniones à falsis innotescere & secernere, & has quæ à verò longè distant condemnare, etiam & si ab amicis dicantur: illas approbare, quæ veritatem continent, eo quod veritas amicitiæ in honore semper anteponenda est quamobrem Aristoteles non vt in Platonem recalcitraret, sed vt ipsam veritatem ipsi anteponeret, videns sui Magistri sententiam de idæis, quas separatas assignabat, à vero prorsus distare, imo impossibilitatem quandam præ se ferre, sæpissime vel ideas deridet, vel rationibus eas confutat. in libro 7. meth. à textu 16. vsque ad 21. inclusiue ostendit eas ideas non esse necessarias ad scientiam de rebus saluandam: ac deinde à textu 22. vsque ad 32. eas ad generationem non prodesse, rationibus demonstrat: vnde Auerroes in comm. 22. eiusdem libri inquit, Aristoteles intendit in hoc capite declarare quoniam formæ Platonis nihil prosunt ad generationẽ; quia cum destruxerit eas non prodesse, in scientia, si concesserimus eas esse, vult etiam in hoc capite destruere eas nõ

A prodesse ad generationem: nos autem non tantùm ex lib. 7. metaph. sed ex alijs quoque locis Aristotelicæ officinæ, ideas, quas Plato à singularibus separatas assignat, abijcere studeamus. igitur contra Platonicam opinionem, his rationibus arguatur.

1 Primo, illud quod prædicatur de aliquo essentialiter & in recto, non est ab eo realiter separatum extra animam; sed res quæ dicitur genus, prædicatur de suis speciebus essentialiter B & in recto, ita vt hæc sit prædicatio essentialis & in recto, homo est Animal, ęquus est Animal: & species prædicatur essentialiter, & in recto de suis indiuiduis, vt si dicatur Sortes est homo, hic æquus est ęquus, ergo neque genus à speciebus, neque species ab indiuiduis, realiter extra animam separantur: minor etiam apud Platonem conceditur: maior sic probatur; quando genus prædicatur de speciebus, vt cum dicitur homo est Animal, C ęquus est Animal: & species similiter prędicatur de suis indiuiduis, vt cum dicitur Plato est homo, hic æquus est ęquus, hę prędicationes aut sunt verę aut falsę: si falsæ, ergo falsa est opinio Platonis asserentis, quidditates Vniuersalium esse quidditates singulariũ, & de his prædicari: si verę, ergo verum est quod natura Animalis est in homine & in æquo, & natura hominis in suis indiuiduis, quia ab eo quod res est, vel non est, oratio dicitur vera vel D falsa: igitur sequitur quod res per prędicatum significata, insit rei significatæ per subiectum, & ita non est separata: hanc rationem magni facit S. Thomas in tractatu de ente essentia cap. 4. & de verit. q. 21. art. 4.

2 Præterea contra eandem opinionem arguitur ratione Aristotelis ex lib. 7. meth. text. 45. & 58. Vniuersale est illud quod aptum natum est esse in multis, nam hæc est natura & essentialis conditio Vniuersalis, quod sit multis communicabile, sed idea separata à Platone posita non est communica-

nicabilis multis, ergo non est Vniuersale: minor probatur. omne quod per se subsistit extra animam, est vnum numero & quid singulare, quod & Plato concedebat, sed vna substantia numero non potest esse in pluribus hominibus ab inuicem realiter distinctis.

3 Præterea, Generans debet esse eiusdem speciei cum re generata; hæc propositio ita est apud Platonem euidens, quod est fortior ratio, qua mouebatur ad ponendum ideas separatas, vt Auerroes in lib. 7. com. 31. scribit: sed forma separata, si esset, non esset eiusdem speciei cum re generata, ergo non est necessarium eam assignare ad saluandam generationem: minor probatur, forma separata est per se subsistens, & forma indiuidui generati non est per se subsistens, quia compositum est quod fit per se subsistens: hãc rationem deducit Aristot. in lib. 7. à textu 28. vsque ad 32. vt dictum est, quam Auerroes ibi magni facit.

4 Præterea, Corruptibile & incorruptibile differunt genere, sed idea à materia separata est incorruptibilis, & indiuiduum sensibile est corruptibile, ergo differunt genere, ac per consequens homo separatus, & homo singularis non erunt eiusdem speciei, minor quo ad singulas partes conceditur à Platone: maior est Aristot. in lib. 10. meth. in textu vltimo ex professo contra hanc positionem Platonis, quo in loco habet hæc verba in calce illius capitis, Manifestum itaque est, quod non contingit tales formas esse, quales quidam aiunt; erit namque & ipse homo hic quidem corruptibilis, ille vero incorruptibilis, quamuis formæ eedem specie esse dicantur, & non æquiuoce: quæ vero genere diuersa sunt, plus distant, quam quæ specie.

Circa illam propositionem, corruptibile & incorruptibile differunt genere, animaduertendum est, quod Ioannes gandauensis in lib. 10. meth. q. 22. & Marcus Antonius Zimara in theoremate 62. dicunt quod illa pro-

A positio debet intelligi non de genere Physico, siue naturali, sed de genere logico: nam genus naturale dicitur, quod est commune multis, quę conueniunt in materia, vnde omnia habẽtia materiam conueniunt in genere naturali, & quę differunt materia differunt genere naturali: sed genus logicum est quod habet vnum modum prædicandi communem vniuocum de multis: & quæ conueniunt in hoc modo conueniunt in genere logico, &

B quæ in eo differunt, genere logico differunt, dicunt ergo hi quod illa propositio est intelligenda de genere logico: quia si intelligeret de genere naturali tunc ratio contra Platonem nõ concluderet: Nam Plato concederet, quod idea hominis, & homo singularis differunt genere naturali, quia ille homo separatus nõ habet materiam: quo concesso a Platone, non sequitur deinde quod differant specie: concederet enim Plato quod homo separa-

C tus & homo singularis differant genere physico, & tamẽ quod sint eiusdem speciei logicæ: & ideo vt ratio Aristotelis concludet, & non petat principium sic est formanda: corruptibile & incorruptibile differunt genere logico, ergo differunt specie, imo plusquã specie logica, quia distinctio generica est plusquam specifica: sed idea hominis secundum Platonem est incorruptibilis, & hic homo corruptibilis, ergo differunt specie logica, & plusquã

D specie: cuius oppositum dicit Plato.

Sed secundum D. Thomam in eodem lib. 10. meth. illa propositio est intelligenda de genere physico, nempe vt ea quæ non conueniunt in materia differant genere physico: loquendo autem logicè, nihil prohibet, vt quę non conueniunt in materia naturali conueniant tamen in genere logico, in quantum conueniunt in vna communi ratione vel substantiæ, vel qualitatis, vel alicuius huiusmodi: vnde secundum D. Thomæ interpretationem, sensus Aristotelis contra Pla-

tonem est ostendere, quod si ille homo separatus, & hic homo differunt genere, sumpto à natura, ergo nõ sunt eiusdem speciei naturalis: & formatur sic ratio, quę in vna natura omnino non conueniunt distant genere sumpto à natura, quod est genus physicum, sed corruptibile & incorruptibile, in vna natura omnino non conueniunt, ergo distant genere sumpto à natura: igitur cum homo separatus sit corruptibilis, & hic homo corruptibilis, sequitur quod non solum non sint eiusdem speciei naturalis, sed nec etiam generis: cuius oppositum Plato asserebat dicens quod homo separatus & hic homo sunt eiusdem naturæ, eo quod hic homo, per participationem hominis separati est homo: & hoc est quod Aristot. in eod. textu dicit, erit namque ipse homo, hic vero corruptibilis, ille autem incorruptibilis, quamuis formæ eadem specie id est, natura cum particularibus esse dicantur.

Vtraq; harum expositionum multis probatur, plerisq; tamẽ ea D.Th. probabilior videtur: nec valet dictũ Gãdauensis, & Zimarę, ergo ratio Aristotelis contra Platonẽ non concludit: quia Plato non concedit quod homo separatus & hic homo differant genere naturali, quãuis in materia nõ conueniãt imo affirmabat, quod sũt eiusdẽ generis naturalis, & eiusdẽ speciei naturalis: quod autẽ hæc sit intentio Platonis, manifestat Auerroes in eodẽ libro comm. vlt. vbi habet hęc verba, formæ separatæ ponuntur ęedem cũ singularibus in natura, ita quod nomẽ homo dicatur de separato & sensibili, vniuocè & non ęquiuoce, & dixit hoc, quia iste sermo est ponentiũ formas: ex his verbis colligitur quod homo separatus & homo singularis sunt eiusdẽ generis & speciei naturalis: Aristotel. vero hoc impugnat. s. quod nõ sint eiusdem speciei naturalis, quia corruptibile & incorruptibile secundum veritatem differunt genere, ergo si ille homo separatus est incorruptibilis, & hic homo corruptibilis etiam ad mentem Platonis, sequitur quod differant genere, ergo non erunt eiusdem speciei naturalis, vt Plato, quia distinctio generica est plusquã distinctio specifica.

A

5 Prętcrea ad eandem conclusionẽ sic arguitur, hæc prædicatio est vera Sortes & homo: & hæc alia est falsa Sortes est illa idea separata, alioquin Sortes esset homo separatus, ergo homo in communi non est homo per illum hominem separatum, neque hæc vox homo, signat illum, sed ipsam hominis naturam, existentem in Sorte, de quo dicitur.

B

6 Tandem Arist. in lib. 1. post. text. 35. deridens huiusmodi ideas, inquit, species enim valeant & genera. mostra enim sunt, & si sint, nihil ad rationem sunt: demonstrationes. n. de huiusmodi sunt: & in lib. 1. de anima textu 8. ait, Vniuersale aut nihil est scilicet quo ad modum à Platone positum, aut posterius est ipsis singularibus eo quod per abstractionem à singularibus efficitur, vt infra dicetur: his dictis, superest vt ad argumenta Platonis respondeantur.

C

Ad primũ negatur maior, non. n. est verũ vt illud quod intellectus intelligit separatum secũdũ rationem, sit separatum secundum esse: nam vt Auerroes inquit in lib. 12. meth. com. 39. intellectus est aptus natus separare ea sui rationem, quæ inesse naturæ sunt coniuncta, intelligendo scilicet vnum alijs non intellectis: visus etenim qui est minoris virtutis cognoscit vnum eorum quæ sunt in esse coniuncta, & non aliud; v.g. in pomo cognoscit colorem, & non odorem; multo magis intellectus per abstractionem cognoscit & intelligit vnum, cæteris non intellectis.

D

Ad secundum respondetur, quod singularia duobus modis considerantur, primo modo secundum rationem indiuidualem, & vt corruptibilia sunt, & sic de illis non habetur

scientia

scientia; alio modo secundum rationem abstractam & vniuersalem, & ita de illis habetur scientia: quod & si ipsa singularia sint corruptibilia secundum partes & successiue, non tamen omnia simul, vnde remanet semper ratio vniuersalitatis, & hoc sufficit vt de illis sit scientia.

Ad tertium respondetur ad maiorem satis esse quod generans sit simile generato, aut formaliter, vt cum homo generat hominem, aut virtualiter; licet enim semen ex quo Animal generatur, non sit eiusdem generis vel speciei cum re generata formaliter, est tamen virtualiter, eo quod ipsum habet virtutem actiuam determinatam ab illo à quo deciditur; vnde dicit Aristot. in lib. 1. physicorum, non quodlibet fit ex quolibet, sed ex suo determinato: non enim ex semine hominis generatur æquus, sed homo: neque ex semine æqui generatur homo, sed æquus, & sic de alijs.

Ad quartum similiter respondetur quod Generata ex materia putrefacta generantur à sibi simili virtualiter; nã illa materia est his conditionibus disposita specificis, vt ex ipsa producatur tale Animal, & non aliud: sed de hac re alibi dicetur: nunc sit satis ex peripatetica doctrina, argumenta soluisse: & hæc sufficiant.

Dilucidatio 3.

Vniuersalia non secundum esse, sed per operationem intellectus tantùm à suis singularibus separantur: & modus quo abstrahuntur, exponitur.

NOn enim veritas satis nota est, nec hominem mentibus clare elucescit, nisi dubitationum tenebræ discutiantur, atque aduersariorum opiniones reijciantur. nam in aliorum sententijs commemorandis id vtili-

A tatis consequimur, vt non solum eas, quę falsæ sunt redarguamus, verùm etiam & causas aperiamus cur illæ sint falsę; & si falsæ sunt, cur multis Phylosophis veræ visę fuerint; quod quantum ad veritatis firmitatem valeat, præclarè ostendit Aristoteles in libro septimo ethicorum capite decimo quarto his verbis: Quoniam autem non tantùm opus est, vt verum dicamùs, sed etiam oportet vt falsi causam explicemus: hoc enim ad fi-

B dem faciendam conducit; nam cum rationi consentanea visa fuerit causa, cur verum appareat esse quod verum non est, facit vt vero magis fidem adhibeamus, igitur quia in superioribus dilucidationibus ostensum est opinionem Platonis de Ideis realiter separatis, à veritate longe distare, & falsam esse; cuius falsitatis causa peripateticis rationibus est explicata: & cur ipsi Platoni vera apparuerit, ex suis scilicet positis rationibus mani-

C festatum est: nunc superest vt ipsa veritas confirmetur, scilicet, Vniuersalia in prædicando, (nam de his sermonem intelligi, dictum est) à suis singularibus non realiter extra animam, sed per operationem tantùm intellectus separari: & vt ipsa veritas faciliori intelligentia comprehendatur, aliqua notanda iaciuntur, ex quibus ipsa facile capietur.

Sit igitur primum notandum: Quidquid est in mundo est singula-

D re, & vnum numero; vnde Boetius in libro de vnitate & vno ait, omne quod est, ideo est, quia vnum numero est: quod fundamentum ex authoritatibus officine Aristotelis confirmatur, nam in libro primo metaphysicæ textu, siue capite primo, inquit, actiones ac generationes omnes circa singulare sunt, non enim hominem nisi per accidens sanat qui medetur, sed Calliam aut Socratem, aut alium quempiam eorũ, cui accidit hominem esse quæ propositio est intelligenda quod actiones recipiantur, siue,

siue exerceantur in singularibus, atque ad ipsa terminentur, ita Scotus in lib. 4. sent. dist. 12. q. 3. ad secundum di cit: & confirmatur ex lib. 7 meth. text. 26. & 27. vbi Phylosophus ostendit formam per se non generari, sed compositum ex materia & forma primo & per se generari; atq; ibi concludit omne quod fit, vel ab arte, vel à natura, vel potentia est hoc, id est, singulare; & habet hæc verba, Manifestum igitur ex dictis est, quod illud quidem, quod vt forma, aut vt substantia dicitur non fit: copulatio vero quę secundum hãc dicitur, fit, & quod in omni quod fit materia inest, & est hoc quidem hoc, illud vero hoc, & secundum Auerroe est, ac si dicat, ex dictis manifestum est formam nõ generari, sed compositum, quod ex materia & forma conficitur, quod compositum est hoc, id est, singulare: præterea in capite de substantia, ait Arist. quod si substantiæ secundę prædicantur, necessario de primis substantijs prædicãtur, nam si Animal de homine prędicatur, ergo de quodã homine Animal prædicatur, nam si de nullo quorundam hominem, ergo neque omnino de homine, quę consequentia non valeret, si naturæ haberent aliud esse, quàm esse singulare: & quod de substantijs dicitur, etiam de accidentibus intelligatur; nam omnia accidentia quæ sunt, sunt singularia & indiuidua, & si non per se, quia accidentis est inesse, vt dicitur in libro 7. meth textu 2. tamen ratione substantiarum quibus insunt; vnde in eodem capite de substantia inquit phylosophus, quod si color est in corpore, ergo est in quodam corpore, quod si nõ sit in quodam corpore, ergo neque est in corpore.

Sit secundum notandum. Res à natura confectę, quamquam multa in vnum collecta, coniunctaque in se habeant, exempli gratia in pomo sunt simul substantia, color, sapor, odor, tamen noster intellectus tali virtute à natura donatur; vt vnum altero ipso- A rum non intellecto, intelligat: non quod ex hac intellectione fiat earum rerum realis separatio: nam dum pomi colorem tantùm intellectus intelligit, odore & sapore non intellectis, ex hoc non fit pomi aut coloris intellecti aliqua mutatio; & hoc est quod Auerroes in lib. 12. meth. com. 39. ait, intellectus noster natus est, adunata in esse diuidere in ea ex quibus componitur, licet non diuidantur in esse: nec mirum de tali virtute nostri in- B tellectus, sensus etenim qui minoris est vis, vt puta visus, vnum eorum percipit, colorem videlicet, cęteris non perceptis: & hic modus quo noster intellectus vnum intelligit, reliquis non intellectus, appellatur abstractio, quę nil aliud est quam cognitio vnius, cæteris haud cognitis, quæ ei coniuncta sunt: & quod de abstractione coloris dicitur, à reliquis qualitatibus quę pomo insunt; affirmatur etiam de abstractione, qua noster intellectus abstrahit naturam Animalis a speciebus, & na- C turam hominis ab indiuiduis: nam & si natura Animalis non reperiatur re ipsa, nisi coniuncta homini, æquo, leoni. & natura hominis sit realiter vnita suis indiuiduis, vt Socrati, Platoni, Ciceroni, & pręter ipsos non existat, vt in lib. 7. meth. dicitur: tamen noster intellectus concipit naturam Animalis in se, quatenus scilicet est substantia animata sensitiua, non conceptis homine & ęquo quibus vnitur: pari ratione concipit hominem quatenus ex se est D natura rationalis, Socrate, Platone, aliisque indiuiduis non perceptis; & hæc consideratio dicitur abstractio.

Sit tertium notandum, quod ex cõmuni officina Phylosophorum colligitur, tamen apertissimis verbis habetur ex D. Thom. p. p. q. 85. art. 1. ad primum abstrahere contingit dupliciter, vno modo per modum compositionis & diuisionis, sicut cum intelligimus aliquid non esse in alio, vel ab eo esse separatum; v. g. si intelligamus colorem nõ esse in corpore colorato,

vel ab

vel ab eo eſſe ſeparatum,& hic modus non eſt ſine falſitate,nam ſi intellectus dicat colorem non eſſe in corpore colorato, tunc erit falſitas in opinione vel in oratione : alio modo per modũ ſimplicitatis, ſicut cum intelligimus vnum,alio non intellecto, (& hanc abſtractionem Scotiſtæ vocant pręciſiuam,) & hic modus abſtraendi nõ habet falſitatem, iuxta quem ſenſum ait Ariſtoteles in lib. 2. de phyſico auditu, textu 18. abſtrahentium non eſt mendacium : nam intellectus ſi conſideret colorem & proprietatem illius, nihil conſiderando de pomo colorato,tunc erit abſque falſitate opinionis & orationis; quia pomum non eſt de ratione coloris: & ideo nihil prohibet colorem intelligi, nihil intelligendo de pomo:& iuxta hunc ſecundum modum abſtrahitur Vniuerſale à ſingularibus; ex hoc enim quod intellectus conſiderat ea quæ pertinent ad rationem ſpeciei, cuiuslibet rei materialis, puta lapidis,aut hominis, aut ęqui,nõ cõſideratis principijs indiuidualibus, quæ non ſunt de ratione ſpeciei, tunc abſtrahit Vniuerſale à ſingularibus : vnde Auerroes in lib.1. de anima text. comm.8.ſcribit,intellectus eſt, qui facit vniuerſalitatem in rebus.

Sit quartum notandum, ſuppoſito nunc quod logica ſit de ſecundis intentionibus adiunctis primis, quemadmodum Auicẽna in ſua logica teſtatur : & quod prima intentio ſit conceptus immediatè abſtrahibilis à re,& ſecunda ſit conceptus immediate abſtrahibilis a conceptu, (& de quibus in capite de genere dicetur.) dicatur exemplariter quod abſtractio pręciſiua,ſiue per modum ſimplicitatis, hoc modo efficitur;v g. intellectus cognoſcens Socratem conuenire in natura humana cum Platone, abſtrahit ab illa natura hunc conceptum homo : videns autem hunc conceptum, homo, non prædicari niſi de differentibus numero: abſtrahit ab eo hunc conceptũ, ſpecies, quem humanitati tribuit, di-
A cens humanitatem eſſe naturam ſpecificatam, & hominem eſſe ſpeciem: ita quod hic conceptus,homo,non eſt ille conceptus,ſpecies,tamen de ſe inuicem prędicâtur ratione naturæ ſubſtratę,ſicut hic conceptus,album, non eſt ille conceptus, dulce, & tamen ratione lactis in quo fundantur,de ſe inuicem verificantur: Pręterea intellectus conſiderans hominem & æquum non conuenire in natura humanitatis, ſed animalitatis, abſtrahit ab Anima-
B litate hunc conceptum,Animal, & ab Animali abſtrahit hunc conceptum, genus, dicens Animal eſſe genus,quia prædicatur de homine & de æquo,qui differunt ſpecie:Deinde intuens quod aliqua indiuidua, quæ ſunt eiuſdem ſpeciei conueniunt in ratiocinari, homo vero & æquus in ſentire, abſtrahit ab illis indiuiduis;v.g. à Socrate & Platone hunc conceptum, rationale; ab homine & ab æquo hunc conceptum, ſenſitiuum, atque cognoſcens Plato-
C nem differre ab æquo per rationale : hominem & æquum à lapide per ſenſitiuum,ideo tam à rationali, quàm à ſenſitiuo abſtrahit hunc conceptum, differentia; Vlterius intellectus videns omnes homines conuenire in actu ridendi,ab his abſtrahit hunc conceptũ, riſibile, quem quia cognoſcit hominibus omnibus, & non alteri conuenire, & ab eo abſtrahit hunc conceptum, Proprium,dicens riſibile eſſe Propriũ: Tandem percipiens albedinem ineſſe
D homini & ęquo, ab ipſis abſtrahit hũc conceptum,album,quem cum cognoſcat non cuilibet homini & æquo cõuenire,nec tãtùm illis, ſed etiam alijs vt niui, lacti, ligno,lapidi, abſtrahit ab illo hunc conceptum accidens commune,inquiens album eſt accidens:ex his dictis duo clareſcunt, quod ſicut hęc nomina Album, riſibile, rationale,homo,Animal, ſunt nomina primæ intentionis ſignificantia. immediatè ipſas res : ita hęc alia nomina, genus, ſpecies,differentia,Proprium, Accidẽs ſunt nomina ſecundæ intentionis ſigni-

gnificantia ipsas primas intentiones, non simpliciter, sed quatenus secundis substernuntur; vnde hoc nomen genus significat Animal, non quatenus Animal, sed quatenus est quoddam prædicatum commune pluribus, & ita de alijs intelligatur: aliud, sicut Animal, homo, rationale, risibile, album; Sunt primæ intentiones: ita genus, species, differentia, Proprium, & accidens sunt secundę intentiones, de quibus per se considerat logicus: nam primas non considerat nisi per comparationem ad secundas: non enim considerat Animal aut hominem, in eo quod Animal aut homo sunt, sed in eo quod sunt genus & species: vt in capite de genere explanabitur.

Sit quintum notandum ex D. Tho. p.p.q.85.art.2.ad secundum, & est sententia Auicennæ in lib.5. suę meth. & Auerrois in lib.7.com.46. quod in nomine Vniuersalis duo includuntur; vnum est ipsa natura rei, quod ab alijs vocatur substratum, siue significatum materiale, & ab Auerroe dicitur fundamentum vniuersalitatis: aliud est ipsa abstractio, siue Vniuersalitas, siue ratio Vniuersalitatis, quod ab alijs significatum formale nuncupatur, & ab Auerroe qualitas accidens rei dicitur: & est ille ordo siue relatio, quam ipsa natura habet ad inferiora, de quibus prędicatur per operationem intellectus circa ipsam negociantis; v.g. in hoc Vniuersale, Genus, significatum materiale, est Animal, color, & huiusmodi, quod denominatur genus: sed significatum formale est genereitas, siue illa ratio vniuersalitatis, qua opere intellectus ad inferiora refertur, de quibus prædicatur.

Sit sextum notandum ex Auicenna in lib.5. suæ meth. capit. 1. quod cum Vniuersale in prędicando sit illud, quod in intellectu non est impossibile prędicari de multis, ideo tribus modis ad illa multa se habere potest: primo quod illa multa sint actu in rerum natura, sicut Animal vel homo obiecta

A intellectui sunt Vniuersalia, Animal ad hominem & ęquum; homo ad Socratem & Platonem, qui actu sunt in rerum natura: Secūdò quod illa multa non sint, possint tamen esse, vt Domus heptangula, siue mille angulorū, obiecta intellectui, est Vniuersale respectu plurium heptangulorum, quæ non sunt, possunt tamen esse: Tertio quod illa multa nec sint, nec esse possint sicut sol intellectui obiectus, est Vniuersale respectu plurium solum,

B quos impossibile, vt in capite de specie exactius explicabitur: Vniuersale primo modo sumptum, vocatur à S. Thom. p.p.q.*13*.art.*9*. in quo disputat de communicabilitate nominis dei; vocatur (inquam) secundum rem & secundum rationem, quia res illa puta humanitas realiter est in pluribus, & non solum vt obiecta intellectui: Vniuersale tertio modo, vocatur Vniuersale secundum rationem tantum, quia res illa, puta natura solis nō reperitur

C realiter in pluribus, sed vt obiecta intellectui tamen: sed Vniuersale secundo modo, potest dici Vniuersale secundum rem & secundum rationem, in potentia tamen, & in hoc distinguitur à primo: horum omnium dictorum subtilissimas rationes videas apud eūdem D. Thomam in pręallegato loco, & Caietanum ibidem, & in commentarijs super cap. 4. de ente & essentia: & infra in capite de specie explanabuntur: nunc vero sit satis huic nostro

D negocio hæc tantùm retulisse: quibus relatis & dictis ponuntur aliquæ conclusiones, ad aures peripateticorum; quarum prima est hæc.

1 Vniuersalia quo ad eorum significatum materiale, non sunt separata à singularibus realiter & extra animā.

Conclusio hæc est Aristot. in lib. 7. meth. contra Platonem, vbi multis rationibus probat, quod nihil sint præter singularia, tùm primo quia non possent affirmari verè de singularibus nisi eis inessent; tunc secundo quia forma separata si esset, non esset eiusdem

speciei,

ſpeciei , cum forma exiſtente in mate- A ria;tum tertio , quia Vniuerſale ſeparatum eſſet incorruptibile , ſingularia ſunt corruptibilia , ergo differunt genere,ergo pluſquam ſpecie:tum quarto , quia Vniuerſale eſt vnum in multis & de multis , ſed Vniuerſale ſi eſſet ſeparatum , eſſet natura ſingularis in ſe ipſo ergo non poſſet eſſe in multis : & tandem authoritates & rationes in ſuperiori dilucidatione contra Platonem adductæ ſunt ad hanc concluſionem confirmandam,& corroborandã. B

2 Secunda concluſio. Vniuerſalia ſolùm ratione à ſingularibus diſtinguuntur, concluſio hæc ſatis fit manifeſta ex dictis : non.n.inter hominẽ & Socratẽ,& inter Animal & hominẽ, ſiue ęquum eſt diſtinctio , niſi quatenus per operationem intellectus concipiũtur in ratione Vniuerſalis & ſingularis inferioris & ſuperioris: realiter tamen ſunt vna & eadem res homo & hic homo. Animal & hoc Animal.ſi vero latinorum aliqui oppoſitum ſentiant,ad C ſequentem dilucidationem differatur: & de pręſenti dicta ſufficiant.

Dilucidatio 4.

Sententiæ Ioannis Gãdauenſis , & Burlei, aſſerentium, Vniuerſalia diſtingui realiter à ſingularibus , non tamen ab illis realiter ſeparari, diſcutiuntur, & repelluntur. D

OMnes velle opiniones exquirere ſuperuacaneum fortaſſe eſt : ſatiſque erit ſi eas ſolummodo inueſtigemus , quæ extant maximæ , ac ſuper eminent,vel videntur rationem aliquã in ſe habere:ita ſcribit Ariſt. in cap. 4. libri primi æthicorum : qua propter cum Platonis opinio de Vniuerſalibus realiter ſeparatis à ſingularibus, tanquam maxima , ac alijs ſupereminens fuerit diſcuſſa,atque reiecta , ſuperuacaneum videtur nunc alias de eadem re opiniones adducere; vnde aptè id dici poſſet,quod Ariſtoteles in libro 3.de partibus Animalium cap.3. ſcriptum reliquit, ſcilicet ſtultum eſt, ſtultas opiniones admodum ſcrutari : Veruntamen quia Iohannes Gandauenſis & Burleus, poſitionem habent de Vniuerſalibus,veritati haud conſonam , ideo neceſſarium duxi eam hoc in loco apponere atque diſcutere, vt ex refutatione opinionis etiam horũ, firmior ac illuſtrior fiat ſententia illorum , qui ad aures peripateticas affirmant , Vniuerſalia non niſi ratione à ſuis ſingularibus diſtingui : & quamquam logicum negocium tranſcendat , tamen ſtudioſis iuuenibus , eam gratam fore cenſebo.

Ioannes Gandauenſis in lib. 1. de anima,q.8. poſtquam oſtendit Vniuerſalia abſtracta, per ſe ſubſiſtentia, præter ſingularia, ſecundum Platonis ſenſum,impoſſibilia eſſe: illico diſtinctionem ponit , & dicit, Vniuerſale bifariam ſumitur , primo pro intentionè Vniuerſalitatis , quod eſt eſſe pędicabile de pluribus . ſecundo pro re , ſiue vt verbis illius vtar, quæ ex tali intentione Vniuerſalis denominatur : qua diſtinctione poſita , ſub diuiſionem alterius membri aſſignat , quæ eſt hæc . Res quę denominatur Vniuerſalis eſt duplex , vna quę eſt apta nata reperiri in pluribus ſpecie differentibus,& hæc eſt natura generica,vt Animal : altera quæ eſt apta nata reperiri in pluribus numero differentibus, & hæc eſt natura ſpecifica,vt homo,vel æquus:his aſſignatis,ponit duas concluſiones, quarum prima eſt hæc .

1 Vniuerſale pro re,quæ eſt natura generica, realiter diſtinguitur à natura ſpecifica, vt natura Animalis realiter diſtinguitur à natura hominis , vel æqui .

2 Altera eſt hæc , Vniuerſale pro re, quæ eſt natura ſpecifica,non diſtinguitur realiter à ſuis indiuiduis,vt homo non diſtinguitur realiter à Socrate & Platone : neque ęquus ab hoc & illo

illo æquo: & quia de hac conclusione, inter ipsum, ac cęteros peripateticos nulla dissensio est, ideo circa primam probandam demoratur; cuius conclusionis rationes potissimę sunt hæ.

1 Prima, illa forma, siue natura, quam consequitur aliquod accidens, tali modo, quod non consequitur aliquam naturam specificam, siue hominis, siue ęqui, nec alicuius alterius speciei, nec simul omnes illas, distinguitur realiter ab omnibus illis: Sed naturam genericam cōsequitur aliquod accidens tali modo, quo non consequitur aliquam naturam specificam quæcunque sit illa, siue hominis, siue æqui; ergo natura generica realiter distinguitur à natura specifica: maiorem vt notam supponit, ex eo quod si essent idem realiter, tunc illud accidēs eodem modo consequeretur naturam genericam & specificam: minorem sic probat, sensus consequitur per se primo formam Animalis, vnde Animal cuicunque inest, per naturam Animalis inest, & nō inest per aliud cui prius insit: nec consequitur primo naturam hominis vt homo, quia tunc per naturam hominis inesset, cuicunque inesset, quod est absurdum, & ita de alijs.

2 Secunda est talis, forma actualis & potentialis distinguuntur realiter, sed forma generica est forma potentialis respectu formę specificæ, ergo distinguuntur realiter, maior est nota: minorem probat authoritate Aristotelis in lib. 7. meth. text. 41. in quo dicit, quod genus est potentia, & differentia est forma, ergo forma generica est potentialis respectu formæ specificę.

Alteram conclusionem sic probat, si natura specifica distingueretur realiter à naturis indiuiduorum, tunc species non diceret totum esse indiuiduorum, quod est contra Boetium in libro diuisionum.

Burleus deinde in prohemio physicorum tria dicit; primum, quod Vniuersalia secluso omni opere intelle-

A ctus, sunt in rerum natura, quod etiā confirmat in commētarijs super Prohemium Porphyrij: secundum Vniuersalia distinguuntur realiter à singularibus: tertium Vniuersalia quamuis distinguantur realiter à singularibus, tamen ab illis realiter non separantur: primum nunc tacitum pertrāsitur, in sequenti dilucidatione discutiendum: tertium paucis verbis manifestat, alioquin (inquit ipse) incideremus in opinionem Platonis, nam

B vt Auerroes in lib. 1. meth. comm. 31. scribit, mixtio vniuersalis cum particulari fortior est, quàm mixtio accidentis cum subiecto: secundum, quod est pręsentis negocij pluribus rationibus probare contendit.

1 Primo, illa quorum prædicata sunt contradictoria, distinguuntur realiter, sed vniuersalium & singularium sunt prædicata contradictoria, ergo vniuersalia & singularia distinguuntur realiter: maior fit nota per primum

C principium, videlicet impossibile est idem simul affirmari, & negari; minor probatur, vniuersale est semper & vbique, singulare est hic & nunc, ergo vbique & non vbique verificantur de illis simul.

2 Præterea: De Vniuersalibus est definitio, & scientia, non autem de singularibus, ergo Vniuersalia & singularia ipsorum distinguuntur realiter: antecedens quo ad singulas partes patet ex lib. 1. post. & 7. meth. text. 35. con-

D sequentia est nota, nam si essent idem realiter tunc de singularibus esset definitio & scientia, sicut est de vniuersalibus.

3 Præterea, illa realiter distinguūtur, quorum principia constitutiua sūt realiter diuersa; sed principia constitutiua vniuersalium & singularium sunt realiter diuersa, ergo Vniuersalia & singularia realiter distinguuntur: maior est manifesta, & minor probatur authoritate Aristotelis dicentis in libro 2. physicorum textu 38. dicentis, Vniuersalium causæ sunt vniuersales, & sin-

& singularium singulares: vnde homo in communi fit ex carnibus & ossibus in communi & singularis homo ex his carnibus & ex his ossibus conficitur.

4 Tandem confirmatur authoritate commentatoris in libro 3. meth. comm. 10. dicentis Vniuersale & singulare sunt duę naturæ, quoniam illud est intellectum, & hoc sensibile; vnde etiam Boetius dicit Vniuersale est dum intelligitur, & singulare dum sentitur, quod est etiam sententia Aristot. in lib. 1. post. cap. 20.

Sed contra has opiniones arguitur, & colliguntur rationes ex Zimara in annotationibus super q. 12. tertij libri meth. eiusdem Ioannis: & primo contra eum sic. Si natura generis distinguitur realiter à natura speciei, ergo sequitur quod genus non prædicetur prędicatione per se, in quid & verè de suis speciebus, vnde hæc prędicatio, homo est Animal, non erit per se, in quid, & vera: sed consequens est falsum, ergo & illud ex quo sequitur: falsitas patet authoritate Porphyrij in capite de specie, dicentis, genus prædicari per se de suis speciebus, & omne superius de suo inferiori: consequētia probatur, in omni prædicatione per se, in primo modo dicendi per se, denotatur identitas prædicati cū subiecto, quod manifestatur ex eo quod in hoc modo prędicatum est de essentia subiecti, vt dicitur in lib. 1. poster. cap. 4. ergo si natura generis distinguitur realiter à natura speciei: tunc ista prædicatio, homo est Animal, non est in primo modo dicendi per se; quia ibi non denotatur idemptitas prædicati cum subiecto: neque etiam est vera, quia ab eo quod res est, vel non est, oratio dicitur vera vel falsa, sed genus per te, realiter distinguitur à specie, ergo non est verum dicere quod homo sit Animal.

Ad hanc rationem, ipse Gandauensis vtitur hac distinctione. Genus dupliciter sumitur, vno modo pro aggregato, siue composito ex materia & for-

A ma generali, siue pro natura generali, quæ est in potentia ad species, & de qua natura Porphyrius dicit, quod potestate habet differentias, actu vero nullas: alio modo pro composito ex forma vltima & ex omnibus præcedentibus pertinentibus ad esse vnius speciei, sub forma generali; quod est dicere pro aggregato ex natura generica & natura specifica, sub ratione tamen naturæ genericæ: tunc subdit quod genus primo modo sumptum non præ- B dicatur de specie in recto, neq; in quid sed in obliquo, vt si dicatur homo est compositus ex Animali: at secundo modo sumptum prædicatur de specie in recto & in quid.

Contra hanc solutionem arguit Zimara pluribus verbis quàm opus exigat; summa tamen totius rationis est hęc: supponatur quod genus & species in prædicamento constituta, sunt ordinabilia in ratione superioris & inferioris, quod ex arbore Porphyriana fit C manifestum, tunc arguit, Genus vt sic aut dicit formam genericam tantùm, aut materiam formæ genericæ tātum, vel dicit compositum ex materia generali, & forma generali: & ita etiam quæratur de specie suo modo,

1 Si concedatur primum, tunc duo absurda sequuntur, vnum quod genus neque in recto, aliud neque in obliquo prædicatur de specie. Primum sic probatur, in omni prædicatione per se in qua superius prędicatur de suo in- D feriori, quæ est prædicatio recta, denotatur idemptitas prædicati cum subiecto, vt dictum est, sed genus quatenus dicit formam genericam tantùm, distinguitur realiter ab ipsa specie, vt opinio dicit, ergo in ea non denotatur idemptitas prædicati cum subiecto, ac per consequens non prędicatur in recto & in quid.

Aliud sic probatur, si genus vt dicit formam genericam tantùm, prædicatur de specie in obliquo, ita vt verum sit dicere homo componitur ex Animali in tali prędicatione illa proposi-

tio

tio (ex) debet denotare aliquod genus causæ, quia vt Auerroes scribit in lib. 5. meth. comm. 29. propositio (ex) denotat semper aliquod genus causę: igitur Genus respectu speciei aut dicit causam materialem, aut formalẽ, aut efficientem, aut finalem; alia namque genera causarum non reperiuntur, vel ad hæc reducuntur, inquit Arist. in lib. 2. physicorum text. 28. & in lib. 5. meth. cap. 2. sed genus nullam harum causarum propriè dicit speciei, ergo genus vt dicit formam genericã tantùm, non prædicatur in obliquo de specie: minor quo ad singulas partes probatur, & primo quod non dicat rationem causę materialis.

1 Genus est proportionale materiæ, & differentia formæ, sicut Porphyrius in capite de differẽtia scribit: imo Aristot. in lib. 8. meth. textu 10. inquit quod genus sumitur à materia, & non dicit quod sit materia: hoc idem affirmat Alexander in lib. 2. quęstionum naturalium. q. vltima: & Auerroes in lib. 1. meth. comm. 17. & in libro 12. comm. 14. scribit quod genus comparatur ad differentiam sicut potentia ad actum, ex quo est forma vniuersalis determinabilis per differentiã, quæ est forma particularis: ergo genus non est proprie materia: & in hoc deceptus est Ioannes, credens genus dicere aliquam materiam realem respectu speciei: cum tamen sit ipsi proportionale, vt dictum est.

2 Secundo, non dicit causam formalem distinctam, quia tunc formæ esset forma.

3 Tertio, non dicit causam efficientem, quia aut esset efficiẽs immateriale, aut materiale: si immateriale, tunc rediret Platonis opinio: si materiale, ergo per aliquam virtutem actiuam à se distinctã produceret speciẽ.

4 Quarto, non designat causam finalem, quia finis habet rationem optimi, vt dicit Aristot. in lib. 2. physicorũ textu 31. & in lib. 5. meth. cap. 2. modo cum species sit actualior & perfectior

A genere, esset finis illius, & non econtra: ergo genus, vt dicit formam genericam tantùm, neque in recto, neque in obliquo de specie dicitur.

Si secundum membrum concedatur, videlicet, quod homo & Animal sunt ordinabilia in prædicamento pro materijs tantum; tunc materię esset materia, quod est absurdum, sicut etiã formæ non est forma, vt dictum est: si detur tertium, scilicet quod sint ordinabilia in genere pro compositis ex

B materijs realibus, & formis realibus: tunc Animal non prædicabitur in recto de homine, quia vt sic, realiter distinguuntur: præterquam quod Aristoteles numquam huius compositionis meminit; imo apud illum, numquam reperiuntur Vniuersalia à singularibus distincta: his dictis soluantur argumenta Ianduni.

Ad primum respondetur quod sensitiuum consequitur Animal vt stat sub conceptu generico, & non vt stat

C sub conceptu specifico: sed hæc distinctio est per solum intellectum, vnde non sequitur quod genus distinguatur realiter à specie.

Ad secundum respondetur secundũ expositionẽ D. Thomę ibidem, quod Aristoteles intendit genus esse potentiam non quidem realiter, sed conceptibiliter, quia conceptus genericus comparatur ad specificum, vt materiale ad formale, & ex consequenti vt

D potentiale ad actum: ex hoc tamen non sequitur quod natura generis sit realiter distincta à natura speciei, sicut non sequitur genus esse materiam, quamuis habeat modum materiæ, vt in capite de differentia explicatius dilucidabitur.

1 Contra opinionem Burlei deinde arguitur sic; si Vniuersalia distinguuntur realiter à singularibus, & tamen sunt in ipsis, quia ab eis non separantur: tunc ex hac positione duo absurda oriuntur; vnum quod non prædicantur de singularibus in quid: alterum quod sunt formæ tantum assistẽtes: pri-

tes: primum probatur, si realiter distinguuntur, ergo quando dicitur homo est Animal, Sortes est homo, prædicatum non dicit identitatem cum subiecto, ac per consequens non dicit quid: secundum confirmatur, omne quod est in aliquo, & ab eo realiter distinguitur, vel est in eo vt accidens in subiecto, vel vt forma in materia, vel vt res locata in loco, vel vt pars in toto, vel vt forma assistens: si primo modo ergo vniuersalia de genere substãtię vt Animal & homo erunt accidẽs: si secundo modo, ergo Vniuersale erit singulare, quia omnis forma recepta in materia est singularis: si tertio modo, ergo Vniuersalia sunt hic & nunc, quod a Phylosopho negatur: si quarto modo, aut est pars essentialis, & tunc non distinguitur realiter, aut integralis, & tunc assignetur quæ sit: si vt forma assistens, vt dicendum esset, tunc redit opinio Platonis iam impugnata.

2 Pręterea, si opinio Burlei est vera, duo rursus inconuenientia sequuntur, vnum, quod tot sint vniuersalia, quot sunt singularia: alterum quod saltem vna & eadem res sit realiter communicata pluribus in his inferioribus, & horum vtrunque est falsum: sequela probatur: Animal vel homo qui est in Socrate & Platone, aut est idem aut alius: si alius ergo tot sunt vniuersalia, quot sunt singularia: si idẽ ergo vna & eadem res communicatur realiter pluribus quod apud Phylosophos, maximum absurdum censetur.

Ad rationes Burlæi, ad primam negatur minor, & ad illius probationem respondetur quod esse vbique & semper non conuenit Vniuersali realiter, sed tantùm per opus intellectus: natura enim pro quãto abstrahitur ab hic & nunc, dicitur, esse vbique & semper; ex quo non sequitur Vniuersale distingui realiter à singularibus.

Ad secundum iam dictum est de singularibus vt singularia sunt, non esse definitionem neque scientiam, sed prout per abstractionẽ fiũt vniuersalia.

A Ad tertium negatur minor, quia carnes & ossa non intelliguntur in cõmuni, nisi per operationem intellectus abstrahentis a singularibus.

Ad quartum dicitur quod Auerroes non intelligit Vniuersale & singulare esse duas naturas realiter distinctas, sed ratione tantùm, sicut in lib. 7. meth. longo processu, aliisque locis sepissime seipsum exponit: & quia Vniuersale non fit, nisi per operationem intellectus, ideo solo intellectu perci-
B pitur: & ita huius disputationis cursum, quasi iam suam perductum ad metam, hoc loco terminemus.

Disputatio tertia de Vniuersalibus.

An Vniuersale sit in singularibus ante omnem nostri intellectus
C *operationem.*

Dilucidatio I.

Scoti & Asseclarum sententia affirmantium Vniuersale secluso omni opere intellectus esse in rebus, producitur.

D OMNIBVS, vel certè illustrioribus veterum Phylosophię patrum sententijs, de separatis vniuersalibus, satis vt opinor à nobis dilucidè ac diligenter explicatis: nunc consequens est, vt aliam disputationem haud minoris ambiguitatis, aggrediamur: num scilicet Vniuersale, (seclusa nostri intellectus omni operatione) sit in ipsis singularibus distinctum: vel vt alij dicũt,

an in ipsis singularibus sit aliqua natura, quę non ex negocio intellectus, sed ex se sit vniuersalis, siue vna in pluribus, facilis quidem determinatu nequaquam est præsens disputatio, graues etenim Magistri ab inuicem in ea dissident.

Ad illius tamen intelligentiam, sit vnum notandum ex Auicenna, & ex Toleto q.3. Aliqua natura, v.g. humana, aut equina, trifariam considerari potest, primo quatenus conditionibus ac differentiis indiuiduantibus cōtrahitur & determinatur in suis singularibus, vt natura hominis in Socrate, Platone, Cicerone, & penes hanc considerationem nunc nō dubitatur, quia omnibus est notum eam sic esse semper singularem & non Vniuersalé nisi in potentia remota, idest inquantum apta nata est abstrahi ab intellectu; secundo vt intelligitur differentiis indiuiduantibus denudata, & hoc modo cum sit actu Vniuersalis eo quod iam per intellectum est à singularibus separata, manifestum est, non nisi in intellectu obiectiuè existere: tertio consideratur secundum se, idest quatenus est talis natura humana, scilicet aut equina, & penes hanc considerationé quæritur nunc vtrum talis natura ex se sit Vniuersalis, idest an secluso omni opere intellectus talis natura habeat ex se ipsa aptitudinem, vt sit vna in multis, ita vt illa aptitudo ad essendum in multis sit in ipsa natura extra animam, vel ex solius intellectus negocio illi insit.

Scotus in lib. 2. sent. dist. 3. q. prima, cui opinioni quam libenter subscribūt Burleus super prologum Porphyrij, & physici auditus: Ioannes Gandauensis in q. 24. lib. 7. meth. Paulus Venetus super Porphyrij prohemium, ac tādem omnes Scotistæ, hi sustinent, quod secluso omni opere intellectus, adhuc ipsa natura habet ex se vt sit vna in multis, v.g. natura hominis quę est in Socrate, vt natura hominis, est apta nata vt sit ex se ipsa in Platone & Ci-

A cerone, cęterisque humanæ speciei indiuiduis, vnde illa aptitudo non per intellectū, sed ex seipsa habet: & quia Vniuersale est illud, quod aptum natum est esse in pluribus, ita definitur in libro 7. meth. textu 45. hinc dicunt Vniuersale ante operationem intellectus esse in rebus. Sed distinguunt, ac dicunt, Vnitas est duplex, vna numeralis, & hæc est maxima vnitas, quam ipsa natura habet à materialibus conditionibus, quibus ad esse in hoc & in

B illo homine contrahitur & determinatur, alia est vnitas generica, siue specifica quam vocāt vnitatem minorem vnitate numerali & ea est per quam ipsa natura secundum se considerata est vna genere, vel specie, & de qua vnitate scribit Porphyrius in capite de specie, collectiuum multorum in vnam naturam species est, & etiam magis id quod est genus, & subdit, participatione enim speciei, plures homines sunt vnus homo: hac distinctione

C assignata, ponunt hanc conclusionem.

Natura Vniuersalis habet vnitatem realem, minorem vnitate numerali: siue sic, natura Vniuersalis secluso omni opere intellectus habet de se aptitudinem vt sit vna in pluribus: quam conclusionem his medijs munire nituntur.

1 Primo authoritate Auerrois in lib. 12. meth. com. 14. vbi assignans discrimen quod est inter communitaté quę est in materia, & inter communi-

D tatem quæ est in formis vniuersalibus, inquit quod communitas quæ est in materia non est extra animam, sed cōmunitas quæ est in formis vniuersalibus est extra animam: sed hæc communitas est vnitas generica, siue specifica ergo huiusmodi vnitas est extra animam.

2 Præterea, si non datur vnitas minor vnitate numerali in rebus, ergo sequitur quod non sit aliquod vnum realiter, quod sit metrum & mensura omnium quæ sunt in vnoquoque genere, sed consequens est falsum, ergo

& an-

& antecedens videlicet, quod non detur illa vnitas & c. falsitas consequẽtis patet per Arist. in lib. 10. meth. text. 7. vbi dicit, quod in vnoquoque genere est vnum, quod est metrum & mensura omnium existentium in illo genere consequentia probatur, mensurata sunt entia realia & realiter mensurata, ergo per mensuram realem extra animam existentem: nam mensura & mensuratum debent esse eiusdem rationis vt dicit Auerroes lib. 4. physic. comm. 119.

Quod si dicatur illam vnitatem esse in singularibus: Contra nullum singulare est mensura aliorum existentiũ in eodem genere; quia secundum Aristotelem in lib. 3. meth. text. 21. in indiuiduis eiusdem speciei non est hoc prius & illud posterius videlicet in dignitate, & tamen hoc est, si mensura esset vnitas singularis, ergo est vnitas vniuersalis.

3 Pręterea Aristot in lib. 7. Physici auditus text. 29. inquit quod comparatio fit in specie athoma non autem in genere, tunc quæritur cur in genere non fiat comparatio, & respondet Aristoteles: quia genus habet differentias, vnde non est bona comparatio si dicatur. Coloratum est magis album quam nigrum, vnde elicitur quod illud in quo fit comparatio debet esse vnum, vt species specialissima: tunc quęritur de qua vnitate Aristoteles loquitur, aut de vnitate reali, aut de vnitate rationis quæ est per intellectum: si de hac secunda, ergo cõparatio fieri potest etiam in genere, quia conceptus generis est vnus vnitate rationis, alioquin non prædicaretur in quid de suis speciebus remanet igitur quod intendat de vnitate specifica reali, non numerali, quia in hac non fit comparatio, ergo specifica: & ita datur vnitas specifica extra intellectum.

4 Præterea, Si Vniuersale nullam habet vnitatem realem, præter vnitatem numeralem, ergo sequitur quod

A Sortes non plus distinguatur à Platone quam à lapide, sed consequens est falsum, ergo & antecedens: consequẽtis falsitas probatur ex eo quod maior distinctio est inter Socratem & lapidem, quia differunt genere, quàm sit inter Socratem & Platonem, qui solo numero distinguuntur: consequentia probatur, nam Socrates ex hoc quod est realiter vnum non plus conuenit cum Platone, quam cum lapide ergo.

5 Pręterea Vniuersale est id quod aptum natum est esse in pluribus, vt dicitur in lib. 7. meth. text. 45. & prędicari de pluribus vt scribitur in lib. 1. perhi. capit. 5. sed secluso quocunque actu intellectus, natura est apta nata esse in pluribus & prædicari de pluribus, ergo natura vniuersalis extra intellectum habet vnitatem specificam in rebus; minor probatur, ex hoc quod natura humana de se est indifferens ad plura, non magis vt sit Socrates quàm Plato.

C 6 Præterea, seclusa omni operatione intellectus, istę prædicationes sunt veræ, Socrates est homo, Plato est homo, Cicero est homo, ergo datur vna natura communis in illis, quę de illis prædicatur.

7 Pręterea, Vniuersale in actu est proprium obiectum intellectus, vt dicit Aristot in lib. 3. de anima textu 10. sed obiectum pręcedit actum potentiæ, ergo ante omnem actum intellectus datur Vniuersale in actu; minor probatur, quia intellectus mouetur à suo obiecto ad intelligendum, quod obiectum mouens est Vniuersale; igitur.

D 8 Pręterea ab initio productionis rerum, nullum adhuc intellectu abstrahẽte, fuit verum dicere, quod Animalia omnia sunt eiusdem generis, & omnes homines sunt eiusdem speciei: ergo nullo intellectu abstrahente sunt in rebus genera & species: consequentia est manifesta: antecedens probatur, Animalia esse eiusdem generis, est quod homo sit Animal, equus Ani-

mal, & canis Animal: homines esse eiusdem speciei est, quod Plato sit homo, Cicero homo; sed secluso omni actu intellectus, homo & æquus sunt Animal: & Plato & Cicero sunt homo, ergo secluso omni actu intellectus, genera & species sunt in rebus: ac per consequens natura Vniuersalis non ex opere intellectus, sed ex se habet aptitudinem vt sit in pluribus: & hæc sunt potiora ac fortiora argumenta, quibus conclusio probatur.

Sunt, qui dicunt, hanc eandem sententiam habuisse etiam Magnus Albertus in libro primo de intellectu & de intelligibili, in tractatu 2. capit. 2. vbi quærit, Vtrum Vniuersale sit in solo intellectu, an sit extra in re: & quia eo in loco, assignatis duabus opinionibus, vna, eorum qui dixerunt Vniuersalia esse in solo intellectu, altera eorum qui asserebant ea esse in re; profitetur se media via incessurũ; ideo multi cessent, ipsum hanc eandem habuisse sententiam, quam deinde Scotus eiusque discipuli toto conatu defendunt: at si quis magni Alberti verbà fuerit diligenter intuitus, viderit ipsum ab opinione Auicennę & Auerrois nequaquam recessisse: nam in libro 3. meth. tract. 3. cap. 18. inquit: Sententia autem Peripateticorum media in hoc incedens dicit quod principia rerum secundum esse accepta, singularia sunt, secundum autem ratione abstracta à rebus & separata, Vniuersalia sunt: & in lib. 5. meth. tractat. 6. cap. 5. 6. 7. vbi tractat de origine Vniuersaliũ apertè ostendit Vniuersale nõ nisi per abstractionem fieri: sed quia in eodem tractatu de intellectu confusis verbis eas opiniones explicuit, ac etiam quomodo vniuersalitatis ratio sit extra essentiam & quidditatem vniuscuiusque naturæ non nisi cõfusè dixit, hinc fit vt multi arbitrati sint, Albertum eam sentẽtiam habuisse scilicet, quod secluso omni opere intellectus, Vniuersale habeat esse in rebus: & de hac prima opinione tot dicta sufficiant.

Dilucidatio 2.

Vniuersale, circumscripto quocunq; actu intellectus non esse vnũ in pluribus sustinet S. Thomas & plerique peripateticæ disciplinæ sectatores.

QVæ ab alijs dicuntur primo speculandum est, vt tum si quid nõ rectè dicant, non simus eisdem cõscij: tum si quid nobis & illis cómune decretum sit, hoc separatim non contra nos grauiter feramus, sufficiens enim erit, si quis quædam melius dicat, quædam non deterius, ita scribit phylosophus primo capite libri 13. meth. quã sententiam in lib. 1. de anima text. 19. rursus attulit dicens, oportet percurrere opiniones priorum, qui de anima aliquid ennnciauerunt, vt bene quidẽ dicta accipiamus; si quid autem est nõ bene, hoc euitemus: ex quibus verbis, vt olim diximus colligitur, quid vtilitatis nobis afferat alienas enarrare opiniones, nam si quid boni dixerint, illud accipiendum, si vero quid mali dixerint, id reijciendum fore docet: igitur cum præsens hæc disputatio, quam prę manibus habemus sit, an Vniuersale circumscripto omni actu intellectus sit in rebus, necne, quid Scotus illiusque Asseclæ de hac re senserint satis dilucidè ac diligenter apertum est: nunc quid alij de eadem re sentiant aperiendnm remanet, vt si hi, vel illi, quid boni dixerint accipiamus, si autem quid mali illud euitemus.

Sanctus Thomas pluribus in locis, videlicet in tractatu de ente & essentia cap. 4. in opusc. 55. & p.p. q 85. artic. 2. ad secundum. Caietanus in comentarijs eiusdem tractatus de ente q. 7. Zimara in annotationibus super q. 12. lib. 3. meth. Gandauensis: Paulus

Son-

Soncinas in lib. 7. meth. q. 40. Sotus de Vniuerſalibus q. 2. Toletus ibidem q. 3. Magiſter Aemilius, in lib. 2. q. logicalium quæſt. 2. in aſſertione 8. & 9. & tandem hæc videtur Vniuerſalior ſententia, & magis ad Peripateticas aures loquuntur, ſcilicet, quod in rebus, ſecluſo omni actu intellectus, non ſit minor vnitas vnitate numerali, ita vt ipſa natura ſecundum ſe conſiderata non ſit apta nata eſſe in pluribus, ſed ex negocio intellectus tantùm eam ſortitur aptitudinem, vt in multis reperiatur, ac de illis prædicetur.

Ad cuius poſitionis intellectum, S. Thom. in tract. de ente cap. 4. in hunc modum diſtinguit: Natura ſiue generica vt Animal, ſiue ſpecifica vt homo, multifariè multiſque modis conſideratur, primo ſecũdum ſuam propriam eſſentiam & abſolutam rationem, & ſic non conueniunt ei alia prædicata, niſi eſſentialia, vt Animal quatenus Animal, eſt ſubſtantia animata ſenſitiua, & homo quatenus homo eſt Animal rationale; addantur etiam prædicata propria vt eſſe riſibile, & ſimilia: ſecundo in quantum habet eſſe in ſuis ſingularibus, vt homo in Socrate & Platone, in quibus determinatur per differentias indiuiduales; & ſic multa prędicata per accidens ei conueniunt, vt ſi dicatur quod homo ſit albus, quia Socrates eſt albus, vnde eſſe albũ non conuenit homini inquantum homo, ſed ratione huius indiuidui quod eſt album: tertio ſecundum eſſe, quod habet in intellectu, in quantum ſcilicet repræſentatur præciſe abſtracta & denudata ab omnibus principijs & differentijs indiuiduantibus; & penès hanc conſiderationem attribuitur illi ratio vniuerſalitatis, nempe eſſe ſpecies, quod eſt quoddam prędicatum per accidens.

Circa quas conſiderationes, Caietanus vnum ſcitu dignum pro iunioribus notat, videlicet, quod hę duæ prędicationes, homo eſt albus, homo eſt vniuerſalis, vel ſpecies, in aliquo

A conueniunt, & in aliquo differunt: in hoc conueniunt, quod ambæ ſunt prędicationes denominatiuæ & per accidens; etenim ſicut homo non eſt illa res, quæ ei conuenit ex eſſe quod habet in ſingularibus, ſed ab ea denominatur, non enim homo eſt albedo, quę ei conuenit ex eſſe quod habet in ſorte, ſed ab ea denominatur albus: ita homo non eſt illa res, quæ ei conuenit ex eſſe in intellectu, puta relatio vniuerſalitatis, aut ſpeciei, ſed ab ea vni-

B uerſalis vel ſpecies denominatur, differunt poſtea quia illa prædicata denominatiua, quæ conueniunt naturæ ſecundum eſſe quod habet in ſingularibus, ponunt aliquid reale ſupra ipsã, vt albedo addit ſupra hominem, naturam albedinis, quę eſt ens reale: ſed prædicata denominatiua, quæ conueniunt naturæ ſecundum eſſe, quod habet in intellectu, nihil reale ſupra ipsã ponunt, ſed tantùm relatiuam denominationem ſecundum aliquam rela-

C tionem rationis: vnde cũ dicitur Animal eſt Vniuerſale, ſiue genus, homo eſt ſpecies, hæc prędicata Vniuerſale, genus, ſpecies, nihil reale ſupra ipſas naturas ponunt, ſed ſolam relationem rationis, qua ad ſua inferiora referuntur.

Ex his quę dicta ſunt, omnibus ſit manifeſtum, quod ad mentem S. Thomę, eiuſque diſcipulorum, naturæ cuique ſecundum ſe & abſolute conſide-

D ratæ non conueniunt niſi prędicata eſſentialia, vel propria, vnde quocunque actu intellectus circumſcripto, nullam habet vnitatem ſpecificam realem, neque aptitudinem ad eſſendum in pluribus; vnde de ſe neque eſt vna numero, neque ſpecie, nec vniuerſalis nec particularis; ſed hęc omnia ſunt prędicata per accidens ſibi conuenientia vel ratione conditionum materialiũ, vt eſſe indiuidua & ſingularis, vel opere intellectus abſtrahentis, vt habere vnitatem ſpecificam, vel aptitudinem ad eſſendum in multis: & cum hęc accidant ipſi naturæ, propter hoc ſequi-

tur (inquit Auicenna) quod vnum & idem diuersis respectibus potest esse Vniuersale & singulare, sicut vnum & idem diuersis respectibus est genus & species : Vniuersale enim non dicitur nisi in relatione multorum, nisi enim relatio fieret ad multa, non fieret cõmunio, & participatio : at quomodo accidat vnum & idem diuersis respectibus esse in singulare & Vniuersale, exemplum ponitur à S.Thom. in tractatu de Vniuersalibus, nam ipsa forma (inquit) vt est in anima, est singularis, indiuiduatur enim ab indiuiduatione animæ in qua recipitur, & est ipsa species intelligibilis, quę est in intellectu vt accidens in subiecto : hæc tamen eadem forma est Vniuersalis respectu indiuiduorum, quæ in ea repręsentãtur : sed quo modo hæc fiant, & quomodo tunc natura sit in intellectu infra dilucidabitur; exempli causa nunc sint dicta, & ad mentem S. Thomę apertius explanandam de proposito quæsito.

Pręterea sit aliud notandum, apud Auerroë aliud est dicere, Animal est ens reale, natura humana est ens reale, & aliud est dicere Animal est Vniuersale reale, natura humana est vniuersale reale : primum est verum, si enim natura humana & aliæ naturæ de quibus habentur scientię reales, nõ essent entia realia, nec tales scientiæ essent scientię reales, & tamen Aristoteles in lib. 6. meth. iuxta considerationem diuersam entis realis diuidit scientias reales, in metaphysicam, naturalem, & mathematicam: præterea si ipsa natura non esset ens reale, tunc non committeretur fallacia accidentis arguendo sic, homo est Vniuersale, Vniuersale est secunda intentio, ergo homo est secunda intentio; vel sic homo est species, Sortes est homo, ergo Sortes est species: sed secundum quod erat dicere, Animal est Vniuersale reale, homo est Vniuersale reale, est falsum, quia ipse homo non est Vniuersale reale ex natura rei à singularibus

A distinctum : ratio etenim vniuersalitatis & communitatis actualis, non est nisi ab intellectu, sumens tamen originem & fundamẽtum à re, vnde talis natura vt est in re non est Vniuersale actu, sed potentia; Vniuersalitas autem efficitur actu in ipsa per actum intellectus; & hoc est quod Auerroes in lib. 1. de anima comm. 8. dicit intellectus est qui facit vniuersalitatem in rebus : & in 2. de anima comm. 60. explanans illud dictum Phylosophi, quomodo sin-
B gularium secundum actum est sensus, & scientia Vniuersalium, inquit, quia sensus in actu non mouetur nisi motu qui dicitur comprehensio a rebus particularibus sensibilibus, quę sunt extra animam, intellectus autẽm mouetur ad vltimam perfectionem à rebus vniuersalibus quæ sunt in anima : ex quibus verbis apparet Doctrinam S. Thomæ conformẽ esse doctrinæ Auerrois his alijsque locis, scilicet Vniuersalia secluso omni actu intellectus nõ
C esse in rebus : sed quia hæc quę diximus, ad explanandam sententiam D. Thomæ solùm diximus; ideo superest vt conclusiones proponantur, & rationibus foueantur.

1 Sit igitur prima conclusio : Natura siue generica, vt Animal, siue specifica, vt homo, secundum se & absolutè considerata non est vniuersalis, siue non est vna neque genere, neque specie, & per consequens nõ habet ex se aptitudinem ad esse in multis.

D 1 Probatur conclusio primo authoritate Auicẽnę in lib. 5. suę meth. cap. 5. vbi dicit, ęquinitas, idest natura æqui secundum se, est tantum æquinitas, nec vna, nec plures, nec vniuersalis, nec particularis : Confirmatur per Auerroem in lib. 12. meth. comm. 4. dicentem Vniuersalia apud Aristotelem sunt collecta ex particularibus in intellectu, qui accipit inter ea consimilitudinem, & facit ea vnam intentionem : Confirmatur rursus per Boetium in capite de substantia vbi ait, quod hominem qui est species, & Animal

mal quod est genus, non nisi ex indiuiduorum cognitione colligimus: ergo secluso quocunque actu intellectus natura de se non est Vniuersalis.

2 Præterea ad eandem conclusionem arguit S. Thomas hac ratione: si aliqua natura specifica, v.g. homo habet ex se quod sit Vniuersalis, siue apta nata vt sit in multis, ergo in quocunque ipsa natura reperitur, erit Vniuersalis, & apta vt sit in multis, sed consequens est falsum, ergo & antecedens: falsitas primo probatur, natura humana quę est in Socrate non est Vniuersalis, alioquin illa met esset etiam in Platone, quod assertum est fatuum: consequentia probatur authoritate Aristotel. in lib. 1. post. cap. 4. vbi insinuat, prædicatum quod conuenit alicui secundum se, consequi ipsum in quocunque sit, ergo ipsa natura in Socrate existens erit Vniuersalis, & pluribus communicabilis.

3 Præterea, si natura v.g. hominis de se est Vniuersalis, ergo nullo pacto fieri potest particularis nec per se, nec per accidens, sed consequens est falsū, ergo & antecedens, falsitas consequentis ex hoc patet, quia humana natura in Socrate est particularis: consequentia probatur, cui vnum oppositorum competit per se, reliquum competere haud potest; v.g. homini quia secundum se conuenit rationalitas, ideo irrationalitas competere nequit; sed Vniuersale & singulare opponuntur, vt dicit Arist. in lib. 1. post. cap. 2. ergo si natura de se est Vniuersalis, nunquam fieri potest singularis.

4 Præterea, omnis aptitudo fluēs ab aliqua natura inest cuilibet singulari illius naturæ, & de illis singularibus prædicatur: sed aptitudo ad essendum in pluribus fluit à natura, v.g. humana, ergo aptitudo ad essendum in pluribus inest cuilibet naturę singulari, & de qualibet prædicatur: processus bonus & conclusio falsa, ergo aliqua præmissarum, non maior quę per aptitudinem ad ridendum à natura hu-

A mana fluentē, sit nota, ergo minor quę est conclusio aduersariorum; falsitas conclusionis ex eo patet, quod cum aptitudo sit propter actum, impossibile est vt de qualibet humanitate reducatur ad actum; quia humanitas quę actu est in Sorte, nunquam potest esse in Platone: ratio est Caietani in quęst. 7.

1 Contra hanc conclusionem insurgunt duo dubia, vnum ex doctrina S. Thom. in eodem cap. 4. de ente, in
B quo dicit quod naturæ humanæ secūdum suam absolutam considerationem conuenit quod prędicetur de sorte & de reliquis indiuiduis: ex his arguitur prędicari de multis consequitur naturam vniuersalis, vnde in lib. 1. perhyerm. dicitur, Vniuersale est aptū natum est prędicari de multis; ergo si prędicari conuenit naturæ secundum suam absolutam considerationem, sequitur quod vt sic, sit Vniuersalis, quod à S. Thoma negatur; nam quod
C conuenit alicui secundum suam absolutam considerationem, conuenit ei secundum se.

2 Secunda dubitatio est circa illam propositionem, (omnis aptitudo fluens ab aliqua natura, conuenit cuilibet singulari illius naturę) contra arguunt aliqui, abstrahibilitas à pluribus conuenit naturę secundum se, & non ex solo intellectu, licet abstractio fiat per intellectum, & tamen abstrahibilitas non conuenit singulari, ergo
D falsa est propositio Thomistarum; antecedens sic probant, si abstrahibilitas esset ex solo intellectu, ergo omnia fieri possent Vniuersalia, quod est falsum.

Ad primum Solutio habetur ex Caietano ibidem, videlicet quod in natura prædicabili duo considerantur: primum est illud quod prædicatur, & attribuitur subiecto de quo prædicatur: Secundum est conditio sine qua non prędicatur, neque subiecto attribuitur: exempli gratia in hac prędicatione Sortes est homo, illud

quod attribuitur Sorti est ipsa natura humana, & nihil aliud: conditio vero sine qua lij homo non prædicatur, neque attribuitur Socrati, est esse Vniuersale, superius, commune, quod per intellectum conuenit: igitur natura est illa quæ prædicatur, quia est prædicatio rei de re: non tamen prędicatur sine hac conditione, quæ est esse Vniuersale, & hæc per intellectum ei conuenit: vnde sensus verborum S. Thomæ non est, quod naturę absolutè consideratę conueniat prædicari, quia ibidem subdit (non tamen potest dici quod ratio vniuersalis conueniat naturæ sic acceptæ) sed sensus eius est, quod natura, cui ex opere intellectus conuenit prędicari, de se est res absoluta: videatur Caietanus in comentarijs.

Ad secundum fateor me non posse non admirari, quomodo quidam iuniores pleno ore clamitent, eam rationem Sectatorum D. Thomæ esse sophisticam: etenim si hi animaduertissent eam propositionem intelligi de prædicatis in primo aut in secundo modo dicendi per se, & penès hunc sensum adduci à S. Thom. quando dicit quidquid concessit alicui naturæ secundum se, conuenit ei in quocunque reperitur, vel (quod est idem) omnibus singularibus illius naturę, sicut ex verbis eiusdem supra positis fit notum, tunc non dixissent quod ratio sit sophistica; imo ex officina Aristotelica in lib. 1. post. cap. 4. fuisse desumptam cognouissent. Præterea dicant hi quomodo abstrahibilitas conueniat naturæ secundum se, (sumendo lij secundum se, eo modo quo à Thomistis in ea ratione sumitur) vel in primo, vel in secundo modo dicendi per se; & tunc cognouerint an sit prędicatũ per accidens: profectò negare nequibunt, quin abstrahibilitas sit prædicatũ per accidens, ac per cõsequens fatebuntur vel certè errasse asserendo abstrahibilitatem conuenire naturæ secũdum se: vnde ad ipsorum argumentum negatur quod abstrahibilitas conueniat

A naturæ secundum se: ad illius probationem quando dicit, si cõuenit ei ex solo intellectu, ergo omnia fieret Vniuersalia; negatur consequentia, quia ad hoc quod aliquid sit abstrahibile & fiat Vniuersale, requiritur quod intelligatur contrahibile & determinabile vel ad species per differentias formales vt natura generica, vel ad indiuidua per conditiones materiales, vt natura specifica: modo non omnia entia

B sunt sic contrahibilia, vt sunt singularia ad quę terminatur diuisio, vt patet in arbore Porphyrij, & sic non omnia fieri possunt per intellectum Vniuersalia.

Sit secunda conclusio, Naturæ secundum se consideratæ non conuenit esse indiuidua: probatur à S. Tho. hac ratione: si naturæ secundum se consideratę conuenit esse indiuidua; vel sic, si esse in singularibus est de ratione naturæ secundum se considerate, num-

C quam extra illud inueniretur; quia nihil inuenitur extra id, quod est de illius ratione: vel vbicunque esset, esset indiuidua, quod est falsum, quia abstracta per intellectum non est indiuidua, sed est Vniuersalis: ergo non conuenit ei secundum se esse indiuidua: & hoc est quod Auicenna in 5. meth. inquit quod humanitas, nec vniuersalis de se, nec particularis, sed tantum humanitas est.

D 1 Contra hanc conclusionem arguitur sic: Boetius in lib. de vnitate & vno inquit, omne quod est, ideo est, quia vnum numero est: ergo naturæ secundum se consideratæ conuenit esse vna, siue indiuidua.

2 Pręterea Aristot. in lib. 4. meth. disputans contra eos qui affirmabant contingere idem esse & non esse, vt capite 2. legitur; inquit, quod illud quod non est vnum, non est diffinibile, & hoc dicit in text. 13. imo in textu 10. iam dixerat, quod non est vnum, non esse etiam intelligibile: ergo si natura; v.g. humana de se non est vna,

sequitur quod ipsa de se non sit definibilis, neque intelligibilis: idem dicitur de alijs naturis.

Ad primum respondetur quod Boetius loquitur de existentia rerum, nam omne quod existit vnum numero est, quia non existunt nisi singularia, de quibus Aristoteles in capite de substantia scribit, quod destructis primis impossibile est aliquid aliorum remanere: sed D. Thomas loquitur de naturis secundum se consideratis, quæ non sunt nec vna, nec plures vt dictum est.

Ad secundum dicitur, quod Aristoteles in lib. 4. meth. intelligit, quod illud quod non est vnum significatione determinata non est definibile, neque intelligibile quia intellectus sub vna ratione non intelligit nisi vnum: modo quelibet natura est vna, significatione determinata; etenim humanitas non significat nisi naturam humanam, & sic de alijs, vnde sunt definibiles & intelligibiles.

Sit tertia conclusio. Naturæ secundum se consideratæ, non conuenit esse in intellectu neque repugnat: Cõclusio fit manifesta ex eisdem fundamentis, nam si esse in intellectu conueniret naturæ secundum se, ita quod esset de illius ratione, tunc extra intellectum nunquam reperiretur: & si esse in intellectu sibi repugnaret tunc nunquã reperiri posset in intellectu, quod est falsum, vt patet per abstractionem.

Sit quarta conclusio, Ratio Vniuersalitatis, & vnitas specifica non reperitur in rebus circumscripto omni opere intellectus: probatur conclusio his medijs.

1 Si secluso omni opere intellectus, natura. v. g. humana habet vnitatem specificam, ergo sequitur quod Deus non possit annichilare Socratẽ, nisi annichilarentur omnes homines qui sunt eiusdem speciei, sed consequens est falsum, ergo & antecedens: falsitas est manifesta ex eo quod Deus est virtutis infinitæ: consequentia pro-

A batur, supposito vno scilicet, quod annichilare rem sit eam desinere esse, ita quod nec ipsa, nec aliquid eius maneat, & nihil loco eius succedat, tunc arguitur, Quando aliquid anichilatur, nihil eius manet, sed si deus destrueret animam Socratis, adhuc aliquid eius manet, scilicet natura animę secundum vnitatem specificam extra animam, quæ vnitas est in hac & in illa anima videlicet Platonis & Ciceronis, ergo illa non anichilatur, nisi hę

B annichilentur.

Ad hanc rationem Burleus super Prohemium Porphyrij negat consequentiam, dicens, quod anichilatio est destructio rei, quantum ad omnia quæ sunt ei propria; & non quantum ad omnia quæ sũt communia sibi & alijs: modo cum Socrates quãtum ad propria constet ex hac materia & ex hac forma, ideo quantum ad hæc potest anihilari; licet aliqua entitas quæ fuit in hac anima remaneat, non tamen

C manet vt fuit huius animæ; sed animę in Vniuersali.

Contra hanc solutionem arguitur sic: annihilatio dicit simpliciter totalem desitionem rei, & non huius aut illius; sicut creatio dicit totalem productionem rei simpliciter ex nihilo, ergo si remanet vnitas specifica illius animę annichilatæ extra intellectum, licet non sit illius cuius prius fuit; sed in alijs remanet, sequitur quod non desierit totaliter esse; & ita non anni-

D chilatur, nisi omnes animæ desinant totaliter esse, & annichilentur.

Pręterea ad eandem conclusionem sic arguitur: si natura Vniuersalis siue specifica est in singularibus secundum aliquam vnitatem realem, ergo sequitur quod in eodem supposito sint duæ humanitates, sed hoc est falsum, ergo & antecedens: falsitas primo probatur, duę humanitates cõstituunt duos homines, sed idem suppositũ. v. g. Plato est tantùm vnus homo: consequentia probatur, vnitas rei & entitas rei sunt eadem res vt dicit Aristoteles in

lib. 4.

lib. 4. meth. textu 3. ergo plurificato vno plurificatur reliquum, sed humanitas quę est in Platone habet vnitatem numeralem in ipso Platone, & habet etiam vnitatem specificam realem, secundum quam eadem humanitas est in Socrate, ergo in Socrate siue Platone si sunt duę vnitates reales, sequitur quod in eodem Platone sint duę humanitates; ex his igitur quę dicta sunt fit notum, Vniuersalia ad mentem D. Thomæ & eius asseclarum ante omnem actum intellectus non esse in rebus: & de hac opinione satis sit dictum.

Dilucidatio 3.

Opinio S. Thomæ, tanquam ad aures Peripateticorum probabilior recipitur, & argumenta Scoti & sequacium soluuntur.

QVæ nobis probabilior videtur sententia, ea pluribus conclusionibus explicata fuit, quarum conclusionum collectio est hæc; Natura quęlibet secundum se considerata nec est vna numero, nec specie, nec vniuersalis, nec particularis, sed ei vt sic conueniunt tantùm sua prædicata essentialia, vel propria: at quod sit vna numero accidit ei quatenus per conditiones materiales, ac differentias indiuiduantes contrahitur & determinatur in hoc & in illo indiuiduo: similiter quod sit Vniuersalis accidit ei, quatenus opere intellectus ab eisdem cōditionibus & differentiis abstrahitur; quapropter secluso omni actu intellectus vnitas specifica in rebus non reperitur: quæ omnia rationibus peripateticis satis dilucide comprobata sunt. verum enim vero quia in initio primi capitis libri 3. diuinæ Phylosophiæ scribitur quod dubitationum solutio est veritatis manifestatio, ideo vt ipsa receptarum conclusionum veri-

A tas, firmior solidiorque ab omnibus videatur, & cognoscatur, superest vt eæ rationes soluantur, quarum virtute Scotus & illius Asseclę ostendere nitebantur vnitatem specificam extra animam in rebus reperiri; vel ante omnem nostri intellectus operationem Vniuersalia esse in suis singularibus: quæ rationes eodem ordine soluentur, quo in priori dilucidatione huius disputationibus positę fuere.

B Ad primā, quę est authoritas Auerrois in lib. 12. meth. com. 14. asserentis communitatem materiæ esse in anima, & cōmunitatem formarum Vniuersalium esse extra animam: ipsemet ibidem respondet dicens, quod materia non est vna nisi per intellectum, eo quod nequeat intelligi vna, nisi per ablationem omnium formarum indiuidualium ab ea: non enim habet aliquam formam indiuidualem sibi propriam, per quam sit vna numero, vnde per solum intellectum intelligitur cō-

C munis omnibus generabilibus & corruptibilibus: sed communitas formarum vniuersalium est extra animam in potentia, hęc Auerroes; & ex his verbis non colligitur quod Vniuersalia habeant aliquod esse ex natura rei, sed solum quod talis communitas potentialis non est nisi sua singularia, ex quorum collectione Vniuersale efficitur & causatur.

Ad secundum negatur consequentia, & ad illius probationem, Zimara

D inquit, quod petit principium supponendo id, quod probatione indiget; supponit enim mensurata esse realia, & realiter mensurari: quod si intendat mensurata esse realia realitate singularis; ex hoc non sequitur aliud nisi quod mensura horum mensuratorum est realis realitate singularis; & tunc est verum dictum Auerrois quod mēsura & mensuratum sunt eiusdem rationis: si vero intendat quod mensurata sint realia realitate distincta à realitate singularis, hoc probari debet: ideo ad argumentum respondet quod talia

talia mensurata in aliquo genere sunt realia sed realitate singulari, ita & mensura.

Sed quia hæc solutio, quam in annotationibus habet, iunioribus haud facilis est: ideo ex theoremate 13. eiusdem, aliam solutionem sumo, quę erit prioris expositiua. sciendum igitur, quod quãdo Aristoteles dicit, in vnoquoque genere est vnum primũ, quod est metrum & mensura omnium existentium in illo genere: eius intentio est dicere quod in omni genere entiũ est vnum primum, penes quod, tanquã penes mensuram extrinsecam, omnia entia eiusdem generis mensurantur in perfectione: & exemplificat de coloribus, nam in genere coloris albedo est perfectissimus color, ideo ad cognoscendum qui sit perfectior color rubedo an viriditas, per comparationem ad albedinẽ cognoscetur, & qui albedini magis appropinquat, ille erit perfectior. pariter in genere Animalium, homo dicitur mensura aliorum, quoniam secundum quod alia Animalia propinquant homini, sunt in tali, vel tanto gradu perfectionis: tunc hæc omnia, id est mensura & mensurata sunt entia realia, sed in suis singularibus, non enim homo est nisi in hoc & illo indiuiduo, ita leo & æquus non sunt præter sua singularia; tamen quãdo mensurantur, fit abstractio naturarum à suis singularibus, & tunc vnitas quam habent non est nisi per intellectum ex his fit notum quod neq; mensura, neque mensurata habent aliam vnitatem realem ab vnitate quam habent in singularibus: & ad rationem mensuræ satis est quod sit eiusdem generis proximi, cum mensuratis, vt homo, æquus, leo, sunt eiusdẽ generis.

Ad tertium solutio multum patet ex his quæ ad secundum dicuntur, nã quando comparatio fit in specie athoma, satis est quod per operationem intellectus illud in quo fit comparatio habeat vnitatem specificam, sicut etiã ipsa comparatio fit ab intellectu: & A quando dicitur quod etiam genus potest habere illam vnitatem per intellectum, ergo etiam in genere potest fieri comparatio respondetur quod cũ Aristoteles ibi loquatur de comparatione inter res eiusdem speciei, hæ maiorem similitudinem habet in specie cum non diuidantur nisi conditionibus & differentiis indiuiduantibus, quam in genere, vt exemplificat Auerroes ibi de duobus albis, ideo dixit ibidem comparationem non fieri in B genere.

Ad quartum negatur consequentia, quia Sortes distinguitur à Platone tantum distinctione numerali: à lapide autem distinguitur distinctione & numerali, & specifica, & generica: & ad probationem respondetur quod Sortes plus conuenit cum Platone, quam cum lapide: quia cum Platone conuenit in natura humana, quæ est realis, licet vnitatem realem non habeat.

Ad quintum negatur minor; ad il- C lius probationem est solutio communis Caietani, Soti, & Toleti, cum distinctione videlicet: Naturam Vniuersalem ante operationem intellectus, esse indifferentem ad plura, duobus modis intelligitur, vno modo negatiuè, quod non est aliud quàm de se nõ esse determinatam ad aliquod indiuiduum illius naturæ: sed huiusmodi indifferentia negatiua non sufficit ad constituendam rationem Vniuersalis, quia Aristoteles per aptitudinem po- D sitiuam illud definit; vnde subdit Caietanus, quod si indifferentia negatiua, siue negatio repugnantiæ ad essendum in pluribus sufficeret ad Vniuersale, ergo etiam & ad singulare sufficit negatio repugnantiæ ad essendum in vno solo: quia sicut Vniuersale se habet ad multa, ita singulare ad vnum tantum: & si sic est, tunc humanitas erit Vniuersalis & singularis, quia de humanitate in quantum humanitas est, negatur vtraque repugnantia: alio modo intelligitur quod sit indifferens positiuè, idest quod habeat respectum & or-

& ordinem ad sua indiuidua: & hoc quod constituit rationem Vniuersalis non conuenit alicui naturæ secundum se considerate, sed tantum per intellectum abstrahentem, ac postea comparantem: vnde Scotus committit fallaciam arguendo à negatiua ad affirmatiuam, non enim valet natura de se est indifferens, idest, non est determinata ad vnum, ergo de se est indifferens, idest, de se habet ordinem ad plura: vel vt ait Caietanus, cum aptitudo ad essendum in pluribus sit idem quod non repugnantia ad essendum in pluribus, non valet, Naturę puta humanitati inquantum humanitas, non repugnat esse in pluribus; ergo humanitati inquantum humanitas conuenit esse in pluribus: prima propositio quę est negatiua, veritaté habet, secunda quæ est affirmatiua, est falsa, quia humanitas vt sic abstrahit à repugnantia, & non a repugnantia ad essendum in pluribus, sicut abstrahit ab albo & non albo.

Ad sextum negatur consequentia: & ratio est, quia illæ propositiones sũt veræ, ex eo quod natura humana est in omnibus indiuiduis indiuiduata; prædicatur tamen prædicatione specifica, quæ est vna in omnibus per abstractionem factam ab intellectu.

Ad septimum duobus modis respõdetur; quidam negant, quod Vniuersale sit obiectum intellectus motiuum ad intellectionem, & dicunt quod tale obiectum motiuum est ipsum quod quid est in Phantasmatibus; & mouentur ab authoritate Aristotelis dicentis in lib. 3. de anima, text. 30. & 39. & cum speculetur, necesse est simul aliquod phantasma speculari. phantasmata autem velut sensibilia sunt, præter quam quod sunt sine materia: sed hanc opinionem destruit Auerroes in eodem lib. in comm. 5. & 18. dicens, quod intentiones imaginatę non possunt mouere intellectum, nisi postquã fuerint actu intellectę per operationem intellectus abstrahentis, qui de

A potentia intellectis facit actu intellecta, & hęc sunt ipsa Vniuersalia, igitur secundum Auerroem obiectum motiuum intellectus est Vniuersale in actu: ad Authoritatem Aristotelis, respondetur, quod loquitur de prima motione intellectus quæ est respectu speciei intelligibilis, quæ non est sine conuersione ad phantasmata: at secundę motionis ad intellectionem, motiuum obiectum est ipsum Vniuersale.

B Supponendo ergo nunc quod obiectum motiuum sit Vniuersale, distinguitur quod duplex est intellectus, qui dicitur agens, qui cum sit potentia actiua facit suum obiectum, vnde obiectum intellectus agentis non pręcedit illius operationem: alter est intellectus possibilis & intelligens, & huius operationem pręcedit obiectum: ad propositum verò, quando argumétum dicit quod obiectum pręcedit actum potentię, verum est de actu in-

C tellectus intelligentis, modo cum hęc potentia moueatur ad intellectionem ab vniuersali, supponit Vniuersale iam à singularibus abstractum per operationem intellectus agentis: fallit autem propositio de actu potentię actiuę, quæ facit vniuersalitatem in rebus, vt ait Auerroes in lib. 1. de anima comment. 8. alioquin superflueret.

D Ad octauum Sotus in q. 2. de Vniuersalibus, propter hoc argumentum sumptum ex Paulo Veneto, concedit quod Res quamuis ante operationem intellectus nõ sint Vniuersalia in actu, tamen sunt genera & species, & ita sine addito (inquit) sunt appellanda: Ego tamen dico quod secluso quocunque actu intellectus, res non sunt genera & species nisi fundamentaliter, ac propterea sine addito nominanda non sunt: Ad argumentum vero dicitur, quod secluso actu intellectus, Socrates & Plato dicuntur esse eiusdem speciei quia in quolibet illorum est humana natura actu indiuiduata, abstrahibilis deinde per operatio-

ratio-

rationem intellectus agentis:& sic terminatur tota hęc disputatio.

Disputatio 4. de Vniuersalibus.

An Vniuersalia, & aliæ intentiones secundæ fiant per notitiam comparatiuam, vel abstractiuam intellectus.

Dilucidatio I.

Vniuersalia per notitiam cõparatiuam fieri, Scotisticæ Doctrinæ Author, & Sectatores authumant.

SATIS de vnaquaque re dictũ existimetur, si perinde explicatum fuerit, ac subiecta materia postulat: nam exacta tractatio non simili modo in vnoquoque genere exquirẽda est; quẽadmodum neque in artium opificijs: certitudinem sermonis mathematicã, non oportet in cunctis quærere, contenti, namque erimus, si nos dum de re aliqua disseramus, pingui quadam mineruа, atque adumbrata figuratione veritatem ostendamus: sic scribit Aristoteles tum in initio 3. capitis libri primi ęthicorum, tum in fine vltimi capitis, secundi libri meth. ex quibus quidem verbis docemur nos, sat esse in nostris disputationibus, si ijs rationibus vtamur, quæ ad subiectã materiam elucidandam,& ad ipsam veritatem studiosorum iuuenum mentibus inserendam sufficere queunt: quapropter quia arduam disputationem de formatione Vniuersalium ex opere nostri intellectus, aggredimur,ideo nõ ea omnia exquirere intendimus, quæ de actibus intellectus :tũ agentis, tum A possibilis discutiuntur à Phylosophis in lib.3. de anima: imo supposito vtrãque potentiam suo actu ad Vniuersalium vel formationem vel cognitionẽ concurrere, contenti sumus quadam pingui minerua propositum quæsitum examinare; sed vt termini disputationis intelligantur, ab eorum dilucidatione exordiamur; ac deinde Scotistarum positio prosequamur.

Sit igitur vnum notandum: Duplex est nostri intellectus notitia & cogni- B tio,vna quæ comparatiua dicitur,altera quæ abstractiua nuncupatur:notitia abstractiua est illa, qua noster intellectus abstrahit aliquam naturam à suis singularibus, ac indiuiduantibus conditionibus, vt eam secundum se & absolute, & non in ordine ad aliud speculetur: & hęc alio nomine dici consueuit cognitio absoluta: at comparatiua est illa, qua intellectus cognoscit rem, non in se, sed in ordine ad aliud: exemplum prioris intellectus C abstrahens naturam Animalis,siue hominis,à suis inferioribus,vt eam solùm speculetur,quatenus Animal, aut homo est,dicitur cognitio abstractiua,siue absoluta, vel absolutè eam contẽplari: exemplum posterioris, intellectus considerans siue Animalis, siue hominis naturam, quatenus ab inferioribus participatur, vel participari potest, tunc dicitur comparatiuè eam speculari, quia non vt in se, sed in ordine ad aliud eam considerat, & hu- D iusmodi consideratio dicitur notitia comparatiua,his ita explanatis, sensus disputationis est, vtrum Vniuersalia fiant,vel vt proprius loquamur, resultent, quando noster intellectus abstrahit rem à suis singularibus,aut quando eam naturam abstractam, & cognitam deinde ad sua inferiora comparat, a quibus participatur, & de quibus prædicatur.

Alij multi sub aliorum terminorũ positione hoc quęsitum proponunt scilicet an Vniuersalia vt genera & species fiant ab intellectu directe; vel indire-

directè, siue per notitiam directam vel indirectam: fieri indirectè est quando vnum ad esse vel ad cognosci alterius rei consequitur, & ita ad propositum Vniuersalia fieri indirectè, est ea resultare ad cognitionem absolutam quæ de alia re habetur; v. g. ex hoc quod intellectus considerat hominem absolute, consequitur quoddam ens rationis, nam quando intellectus format conceptum de homine secundum se, suis materialibus conditionibus denudatam, aut de Animali specificis differentijs non determinato, tunc resultat quædam ratio vniuersalitatis hominis vel Animalis intellecti in communi, quæ ratio in intellectu tantùm obiectiue est, vt dicetur, & dicitur indirectè quia intellectus cõsiderans hominem absolutè non considerat illius Vniuersalitatem, sed ex ea cognitione resultat: at Vniuersalia fieri directe, est fieri per notitiam comparatiuam, etenim Vniuersale cum sit ens rationis, & per cõsequens sit relatio rationis, per quã illud refertur ad sua inferiora tanquã ad suum terminum, non potest referri nisi per notitiam comparatiuam; hæc enim est natura relationis vt cum inter duos terminos fiat, non nisi per notitiam comparatiuam referatur, & tũc dicitur directe fieri, quia non ad alterius cognitionem consequitur, sed per ipsam comparatiuã cognitionem ipsummet resultat: his positis ad Scotisticam opinionem dilucidandam accedamus.

Scotus, cuius posito elicitur ex libro 2. sent. dist. 3. q. 1. & ex libro 7. meth. q. 18. quem sequuntur illius Discipuli Antonius Andreas in lib. 7. meth. q. 16. & Antonius Trombetta in suo quolib. meth. q. 28. & est Scotistarum communis sententia, putat Vniuersale fieri directe, quando scilicet actu cõparatiuo natura cognoscitur & ad sua inferiora cõparatur: vnde apud ipsum natura non continuo ac intelligitur à conditionibus singularibus abstracta est Vniuersalis, scilicet in prędicando,

A (nam de hoc est sermo, quia sic abstracta est Vniuersalis in representando, quod à Scoto non inficitur) sed quãdo post abstractionem intellectus refert eam ad sua inferiora, atq; cum eis illam comparat fit & resultat ratio Vniuersalitatis: exempli gratia Animal non dicitur Vniuersale, quousque intellectus non intelligit illius naturã pluribus specie differentibus conuenire, neque dicitur genus quoad vsque intellectus non cognoscit illud prædicari de pluribus: similiter homo non

B dicitur Vniuersalis, neque species, nisi quando intellectus intelligit hominis naturam pluribus inesse, ac de pluribus pręd icari; & duo supponũt ad hãc positionem, vnum ab omnibus receptum videlicet ens rationis est tãtum obiectiue in intellectu, aliud quod est ipsis speciale, scilicet ens rationis non dicitur esse obiectiuè in intellectu nisi ipsi obijciatur, & cognoscatur: his suppositis, sic dicunt.

C Vniuersalia fiunt directè & per notitiam comparatiuam, quod dictum probant sic.

1 Primo, Ens rationis habet tantùm esse obiectiuè in intellectu, quod esse non habet nisi dum directe cognoscitur, ergo per notitiam comparatiuam fit, & resultat: consequentia probatur, ens rationis quia est relatio, non intelligitur nisi per comparationem ad terminum: antecedens quo ad primam partem est omnibus pro-

D batissimum: quo vero ad aliam, qua dicitur ens rationis habere esse obiectiuum solum dum directe cognoscitur, sic manifestant ens rationis pédet ex opere intellectus negotiantis, ergo dum directe cognoscitur quod est ab intellectu dependere, est in ipso intellectu obiectiue.

2 Preterea, Ens rationis per positionem oppositam, est quando non cognoscitur, ergo ens rationis est ens reale, sed consequens est falsum, ergo & antecedens: falsitas consequentis manifestatur ex oppositione terminorũ:

conse-

consequentia probatur habere esse tãtum obiectiuum, est non habere aliud esse quam cognosci, vel terminare actum intellectus: ergo si priusquam cognoscatur, est, erit ens reale, hæc sũt argumenta, quorum virtute, alia huius opinionis cõplectuntur, quæ quanti sint vigoris, in fine subsequentis dilucidationis, cognoscentur: in præsenti autem sit satis terminos ac sensum disputationis explanasse, ac Scotisticam sententiam percepisse.

Dilucidatio 2.

Vniuersalia, per abstractiuam, siue absolutam notitiam fieri, Thomisticæ Doctrinæ Author, & Asseclæ opinantur.

PRobationem horum omnium colligere per rationes oportet, adhibitis testimonijs, exemplisque apparentibus. Potentissimum verò est in omni probatione confessum omnibus, testimonio proposita firmare posse; si id nequeas, omnino vel aliquam verisimilitudinem afferre. residet enim penes omnes aliqua veritatis confessio, quę nostris confirmandis queunt adduci: verba hęc sunt Aristotelis in capite tertio libri primi moralium Eudemiorum, ex quibus liquido patet quantum vtilitatis afferat ad positionem aliquam confirmandam, & rationes, & exẽpla, & hominum in ea eruditorum, vel omnium, aut plerorumque testimonium adducere: qua propter cum nos sepissime docuerimus Vniuersalia per notitiam abstractiuã intellectus fieri, imo nòn proprie fieri, sed impropriè & consequenter, nunc hanc nostram positionem & rationibus, & exemplis, & virorum eruditorũ testimonio solidare studemus.

Sanctus Thomas in tractatu de ente, cap.4. & p.p.q.85.art.1. ad primum, & quartum: & in opusc. 42. cap. 5. &
A apertius in opusculo 48.cap.1. Durandus in lib.1.sentent.dist.3.q.5. & in 2. dist.3.q.7. Caietanus super tractatum de ente: Paulus Soncinas in libro 6. meth. quest.18. Paulus Venetus super Prologum Porphyrij: Sotus in q. 3. de Vniuersalibus: bonus Iauellus in libro primo de anima q.7. Toletus in quæstionibus de primis & secundis intentionibus, q.2. Magister Aemilius, in libro 2. questionum logicalium, q.2. assertione 9. & tandem vniuersalior
B sententia videtur, quod Vniuersalia fiant indirecte, & ad cognitionem absolutam intellectus consequantur, modo in initio huius quartæ disputationis exposito.

Sed animaduertendum est Durandum in hoc tantum ab alijs dissidere, quod cum necessitatem intellectus agẽtis neget, eo quod Phãtasma apud ipsum imprimit per se speciem in intellectu possibili, & tunc per speciem à phantasmate impressa intellectus
C intelligit nullo alio interueniẽte, ideo existimat ens rationis fieri indirectè per notitiam absolutam intellectus possibilis: exempli gratia, quando intellectus possibilis cognoscit hominem secundum se, quanquam intellectus non aduertat ipsum hominem habere relationem ad sua inferiora; tamen resultat hęc relatio qua fit species, apta nata pluribus inesse, & de pluribus prædicari.

D Alij autem Thomistæ assignantes necessitatem intellectus agentis phantasmata depurantis, inquiunt, nõ modo ens rationis resultare per notitiam absolutam intellectus possibilis, verũ esse prius natura quàm huiusmodi notitia formetur, tunc videlicet quando virtute intellectus agentis ipsa species intelligibilis recipitur in intellectu possibili: nam hæc species cum sit repręsentatiua eorum quorum sunt phãtasmata sine conditionibus indiuiduãtibus, sed solum quantum ad naturam communem, iam natura communis in ipsa specie pręsentata habet relationem

tionem ad indiuidua, etiam intellectu non aduertente, & ita in illo priori est iam ens rationis puta species: idem dicitur de genere, alijsque secundis intentionibus: his ita explicatis.

Ponitur hæc conclusio, Vniuersale fit, vel resultat ad notitiam absolutam quam intellectus habet de aliqua natura: probatur his rationibus.

1 Primo Vniuersale est aptum natum esse in multis, ita inquit Aristot. in lib. 7. meth. text. 45. & dici de multis, sic scribit in lib. 1. perhy. cap. 5. sed natura fit apta nata ad essendum in pluribus per notitiam absolutam, ergo per hanc fit Vniuersale: minor probatur, prius est rem esse aptam natam ad inesse & prædicari, quam insit & prædicetur, sed adueniente notitia cõparatiua per eam actu inest & prędicatur, ergo ante hanc notitiam iam erat apta ad inesse & prædicari, & hoc sufficit ad Vniuersale formaliter, vt ex definitione patet, quod si quis dubitaret quomodo natura per notitiam cõparatiuam actu insit & prædicetur, hoc fit notum quia tum actu refertur, vt omnes dicunt.

2 Præterea intellectus cognoscẽs notitia absoluta hominem, cognoscit ipsum sine conditionibus indiuiduantibus, ergo homo sic cognitus est iam quid Vniuersale, ergo iam habet relationem rationis, ergo relatio rationis ad notitiam absolutam consequitur: antecedens est omnibus probatissimum, prima consequentia nulla indiget probatione, quia natura sic cognita est natura non singularis in repræsentando (inquam:) secunda consequentia, in qua tota disputatio versatur, probatione indiget, & ideo probatur; naturam habere relationem rationis, est esse indifferẽs positiue, idest habere ordinem ad plura, sed natura conditionibus denudata, nullo intellectu considerante, habet ordinem ad plura, ergo habet iam relationem rationis.

Nec valent aduersariorum solutiones, dicentium, has rationes non aliud probare, nisi notitiam absolutam producere Vniuersale in representando quod non est Vniuersale logicum nisi relatio rationis accedat, quæ non accedit nisi interueniente actu intellectus; & quia relatio cognoscitur actu comparatiuo, ideo est necesse vt talis actus adueniat sine quo res ita cognita non est Vniuersale formaliter, sed fundamentaliter per aptitudinem nõ repugnantiæ, qua scilicet referri potest ad inferiora, sed non refertur nisi per actum comparatiuum.

Sed hæ solutiones multipliciter peccant, primo quia non aduertunt primam rationem directe probare Vniuersale logicum esse ante notitiã comparatiuam, cum procedat ex definitione ipsius Vniuersalis, imo & altera idem affirmat: præterquam quod si rationes probarent, notitiam absolutam nihil aliud producere, quàm vniuersale in repræsentando, satis esset deinde inferre, ergo Vniuersale logicum consequitur ad notitiam rei absolutam, vt iam dictum est; quoniã sicut qui facit album consequenter facit simile, etiam intellectu non aduertente, ita, qui facit cognitionem rei absolutam consequẽter facit Vniuersale logicum, etiam intellectu non considerante: præterea, vt rectè dicit Toletus peccat opinio in terminorũ equiuocatione, quia aliud est Vniuersale esse genus & speciem, & aliud cognosci vt sit tale: Vniuersale quidem Genus & species est, statim quod intellectus cognoscit naturam, singularibus non intellectis; sed non cognoscitur, quod sit genus aut species nisi per notitiã comparatiuam: nam quando intellectus comparat illud Vniuersale ad sua inferiora, quę sunt species tunc cognoscit quod est genus, sub quo species ponuntur, & de quibus prædicatur in quid: & comparat ad indiuidua, cognoscit quod est species: ideo quamuis per notitiam producatur directe Vniuersale in representando, quod

do, quod est species intelligibilis in intellectu subiectiuè existens; ad hanc tamen producitur consequenter Vniuersale logicum, quod est illa relatio rationis, quà ipsa natura ordinem ad sua inferiora habet.

1 Contra hanc conclusionem sunt duo dubia vnum est quomodo species illa producta per abstractionẽ sit Vniuersalis; nam cum anima sit singularis, videtur quod & ipsa species in anima existens sit singularis & indiuidua ad indiuiduationem subiecti; vnde & Magnus Albertus in libro quinto metaphysicæ tractat. sexto, capite septimo dicit forma vt est in anima non est singularis, sed est in ea solum secundum esse abstractionis.

2 Præterea, si Vniuersale quod est ens rationis fit ab intellectu, ergo habet causam efficientem, ergo est ens reale: quia omne habens causam efficientem est ens reale.

Ad primum facilis est solutio ex D. Tho. p. p. citatis locis; scilicet, quod illa species ex hoc quod est in anima non est Vniuersalis, nam tunc est accidens singulare: at si consideretur inquantum est repręsentatiua corũ quę sunt extra animam, quorum habet rationem vniformem, sic est vniuersalis; idem cap. 4. de ente.

Ad secundũ respondetur quod aliquid fieri ab intellectu contingit dupliciter: primo per se primo, eo quod ad ipsũ terminatur actus intellectus; & hoc modo fiunt conceptus & habitus scientię, quę sunt entia realia: alio modo aliqua fiunt ab intellectu secundario & consequenter, sicut qui per se facit album, consequenter facit simile, & hoc modo dicitur intellectus facere vniuersalitatem: nã ex hoc quod format conceptũ de homine sine conditionibus indiuiduantibus, consequitur quędam vniuersalitas prędicandi de pluribus; vnde magis congruum est dicere vniuersalitatem consequi actũ intellectus, quàm fieri ab intellectu; quia fieri est propriũ solius entis rea-

A lis; & consequi proprium est entis rationis: ex his ponitur alia conclusio scilicet.

2 Entia rationis non habent causã efficientem propriè dictam: probatur.

1 Omne quod producitur à causa efficiente propriè dicta, acquirit ex illa productione aliquod esse, sed entia rationis non acquirunt esse, ergo non habent causam efficientem propriè dictam; maior est nota, minor probatur; si entia rationis acquirunt esse, vel ac- B quirunt esse per se, & sic erunt substantia, vel in alio, & hi erunt accidentia.

2 Pręterea, nulla productio est nobilior suo termino, sed si entia rationis propriè producũtur, sequitur quod productio sit nobilior producto: quod est falsum: falsitas probatur; productio propriè dicta est ens reale, omne ens reale est perfectius quolibet ente rationis: antecedens patet, ex eo quod nobilitas productionis & cuiuslibet C actionis ex suo termino sumitur: consequentia iam patet, quia terminus est semper nobilior & perfectior sua productione.

1 Contra; Auicenna dicit quod logica est de secundis intentionibus adiunctis primis, sed nihil adiungitur alteri, quod non sit propriè productum, ergo secundæ intẽtiones propriè producuntur.

2 Præterea; si entia rationis non sunt substantia, neque accidens, ergo D erunt nihil, antecedens patet ex priori ratione conlusionis: consequens fit nota, quia inter hæc non est medium.

Ad primum respondetur, quod intentio Auicennæ non est dicere, quod secundæ intentiones adiungantur primis per realem inherentiam & coniunctionem, sed per quandam extrinsecam denominationem, eo quod in ipsis fundantur, alioquin essent mera fictitia.

Ad secundum negatur consequentia; ad illius probationem responde-

tur, quod illa est diuisio entis realis, nam ens reale diuiditur in substãtiam & accidens: sed ens in communi diuiditur in ens reale,& in ens rationis, vt patet ex quarto meth. quod ens rationis habet fundamentum in re, vt dicetur: his uis superest nunc vt soluantur duo argumenta prioris opinionis.

A

Ad primum negatur secunda pars antecedentis: ad illius probationem respondetur, quod ens rationis non dependet ex opere intellectus primario & directè, sed secundario & ex cõsequenti: vel dicatur quod Vniuersale pendet ab opere intellectus & à notitia comparatiua, quo ad cognosci, vt dictum, non autem quo ad fieri, nisi indirecte.

B

Ad secundum negatur consequentia: ad illius probationem respondetur, quod quando dicitur, Vniuersale ante notitiam comparatiuam, est; sensus est, quod Vniuersale est, idest consequitur ad notitiam absolutam ipsius obiecti, etiam intellectu non considerante, quia resultat illa relatio, sed nõ tenet consequens ergo est Ens reale: quia esse Vniuersalis ante notitiam cõparatiuam, est resultare illam relationem rationis, qua natura habet ordinem ad plura. vnde est notandũ, quod quando dicitur Vniuersale habet tantum esse cognitum, non intelligitur quod non sit, nisi dum intellectus illud apprehendit, hoc enim est falsum; quia dum intellectus dicit quod homo est Animal, relatio prędicati conuenit homini, etiam quod intellectus eam non apprehẽdat; sed bene verum est, quod Vniuersale nunquam est, nisi intellectus apprehendat saltem obiectum ad quod consequitur: quo apprehenso, statim est: & per notitiam comparatiuam deinde cognoscitur an sit genus vel species: & hæc sufficiant.

C

D

Disputatio 5. de Vniuersalibus.

An illa Vniuersalitas pro secunda intentione fundetur in ipsa re, vt accidens in subiecto.

Dilucidatio 1.

Opinio Scoti & Discipulorum opinantium Vniuersalitatem pro secunda intentione fundari in re, tanquam accidens in subiecto, proponitur, & exponitur.

MAGNA & ea quidem per difficilis disputatio proponitur, in cuius determinatione, per illustres Achademiarũ principes, S. Tho. Doctor Angelicus, & Scotus Doctor certè subtilissimus inter se dissident, dum hic affirmatiuam, ille vero negatiuam partem defendit: Scoti prius, ac D. Thomę posterius, dicta aggrediamur: Scotus igitur in questione 9. Vniuersalium haud obscuris verbis inquit, quod ens rationis, quod est ipsa vniuersalitas, est subiectiue vt accidẽs in subiecto, in ipsa re denominata genus vel species, in intellectu vero est tanquam in efficiente, & vt cognitum incognoscente, quod est esse in intellectu obiectiue: & quia idem Scotus in libro primo sent. dist. 23. inquit ens rationis causari ab intellectu; & in q. 13. docet quod res per cognitionem producatur in esse cognito, hinc multi Discipulorum eius totis viribus defendunt per cognitionem pullulare in re, aliquid, quod genereitatem, & specietatem appellant: & ita ad mentẽ Scoti & Assectarum, huiusmodi entia rationis

nis sunt affectiones quędam, quæ ipsis rebus vt accidens subiecto, insunt, illisque conueniunt prout actui intellectus subiacent: quam positionem his rationibus confouere nituntur.

1 Primo arguit Scotus, causa materialis & efficiens non coincidunt, texte Aristotele in text. 70. lib. 2. physicorum, sed intellectus est causa efficiens Vniuersalis ergo non est materia, ergo nec subiectum, quia accidentia non habent aliam materiam nisi in qua: ergo remanet q; sit in ipsa re.

2 Præterea Auerroes in libro 1. de anima comm. 8. inquit quod intellectus facit vniuersalitatem in rebus, ergo illa Vniuersalitas est in re.

3 Pręterea, Accidens est in illo vt in subiecto, quod denominat, sed Vniuersale denominat rem, nam Animal est quod dicitur genus, homo species, rationale differentia, ergo Vniuersalitas est in ipsis rebus.

4 Præterea, ad eandem conclusionem arguunt Discipuli sic: Ens rationis nō est in intellectu subiectiue, neque obiectiue, ergo est in re denominata: antecedens probatur, non subiectiue, quia tunc esset Ens reale; non obiectiue, quia Arist. in lib. 3. de anima negat ea quæ cognoscuntur esse in intellectu: ergo necessarium est dicere, quod Vniuersalitas sit in ipsa re denominata.

5 Præterea Auicenna dicit quod logica est de secundis intentionibus adiunctis primis, ergo secundæ intentiones sunt in rebus.

At quia contra hanc positionē consueuit fieri vnum argumentum; quod intellectus non est virtus actiua, nec productiua ad extra, sicut nec sensus producit aliquod reale extra se; ergo intellectus nihil potuit in ipsa re intellecta, ergo Vniuersalitas non est in ipsa re intellecta: ideo Scotus nititur soluere hoc argumentum, quæ solutio sit obscura, explanatione indiget: intellectus solutionis est iste: Concedit Scotus quod intellectus non attri-

A buit aliquam proprietatē rei per eius transmutationem, quia dum intellectus intelligit aliquam naturam, non transmutat neque alterat ipsā de vna forma reali ad aliam, quia non est virtus actiua: non tamen negat quin aliquo modo transmutet eam, videlicet de non esse cognito ad esse cognitum, vel de non esse intellectu ad esse intellectum, quæ est transmutatio rationis, sicut & sensus transmutat suum obiectum de non esse sensato ad esse sen-

B satum: verumtamen quia hæc transmutatio non sufficit ad pręsentem intentionem, ideo subdit quod intellectus efficit quandam proprietatem in ipsa re intellecta, videlicet genereitatem vel specieitatem, quę est quędā proprietas logicalis, per quam ad intellectum refertur: nam dum intellectus intelligit hominem esse speciem, ly species dicit quandam habitudinē hominis ad intellectum, quia dat intelligere hominem nō secundum suū

C esse, quod habet in suppositis, sed secundum suam formam communem intelligibilem, qua ad indiuidua sub se posita refertur: & de positione Scoti & Discipulorum, hactenus.

Dilucidatio 2.

D **Vniuersalitas pro secunda intentione, non subiectiue in re, sed in intellectu tantum obiectiue habet esse, inquit S. Thomas.**

NOn solum certis rationibus, sed apparentibus sępe potius insistere oportet, animumq; aduertere: nam eas, nisi queas soluere, violenter ad fidem habendam pertraheris: ita scribit Arist. cap. 3. primi lib. moralium Eudemiorum: quam sententiam quidam si animaduertissent, haud protulissent Scoti positionem probabilem imo ve-

ram esse:namque illius argumenta sũt quidem apparentia, ob id, fidem quãdam gignere videntur, veruntamen quia ea soluere non est difficile ideo aliter cum alijs de hac disputatione sentiendum est.

Diuus Thomas pluribus in locis nempe in tractatu de ente capite 4. in opusculo 48. in lib. 1. sent. dist. 2. art. 3. in p. p. q. 85. art. 2. ad secundum. Caietanus super tractatum de ente, & super Porphyrium. Paulus Soncinas in lib. 6. meth. q. 18. Sotus q. 3. de Vniuersalibus dubio 2. Toletus q. 2. notatio 4. & tandem hæc est Peripateticorum communis sententia, quod ens rationis, id est illa vniuersalitas, quam vocant genereitatem, vel specieitatẽ, nullum esse subiectiuum habet in re denominata, sed in intellectu tantum obiectiue reperitur, & illa denominatio Animal est genus, homo est species, Rationale est differentia, Risibile est proprium, album est accidens, sunt denominationes externę, & nihil in re denominata ponunt: sed dicitur genus, vel species, quatenus est obiectũ speciei intelligibilis, aut huius conceptus vniuersalis, Animal, & homo.

Ad huius positionis intelligendam conclusionem, notanda sunt quædam; ex quibus ipsa conclusio explanatur & apertius intelligitur, non tamen ex eis tanquam ex mediis probatur: aliquid esse in intellectu duobus modis contingit, vt ait S. Thom. in opusc. 42. & alibi; vno modo subiectiue, alio modo obiectiue: rem esse in intellectu subiectiue, est ipsi inherere, sicut accidens suo subiecto inheret, vt albedo superficiei; & hoc modo species intelligibiles & omnes conceptus qui ab intellectu producũtur sunt in eo subiectiue, quia ipsi inherent vt accidentia suo subiecto: esse in intellectu obiectiue est terminare actum ipsius intellectus; & ita omne quod ab intellectu cognoscitur, dicitur esse in intellectu obiectiue, non quod ipsi inhereat, sed quia per operationem ipsius

A intelligitur: vnde res quę extra animam existunt, quando intelliguntur, sunt in intellectu obiectiue, eo quod vt obiectum cognitum ipsi intellectui obijciuntur & præsentantur, & ad ipsum actus intellectus terminatur.

Sit secundum notandum, Res quæ habent esse obiectiue in intellectu, sunt in duplici differentiæ: quędã habent esse in se ipsis extra animã, quod est esse reale, licet non eo modo, quo intelliguntur: & ita omnia entia realia, quamuis habeant esse obiectiue in intellectu dum intelliguntur; tamen præter hoc esse habent etiam esse in se ipsis extra animam, vt Animal, homo, leo, albedo, & similia: quædam vero non habent aliud esse, quam cognosci, & hæ non habent aliud esse, ab esse obiectiuo; & sunt ea multa quæ ab intellectu fabricantur, & intelliguntur.

B

Sit tertium notandum ex D. Thoma de veritate q. 21. art. 1. entia quæ esse tantum obiectiue habent in intellectu, sunt triplicia: alia quibus nullum prorsus fundamentum correspondet in re, vt negationes; (sumendo nunc negationem non pro propositione negatiua, aut conceptu negatiuo, aut pro re negatiua, aut pro toto nomine infinito, aut pro eo, de quo verificatur) sed formaliter & præcise, vt si dicatur (non homo) etenim negatio in hoc nomine (non homo) inclusa, non conuenit actualiter alicui rei, v.g. lapidi, nisi quando intellectus apprehendit lapidem, à quo negat naturam hominis, tunc per actum intellectus negatio ponitur circa lapidem: & ad hoc genus entium reducuntur chimeræ, & reliqua fictitia, quorum in re nullum est fundamentum: alia sunt entia rationis, quibus aliquod fundamentum in re correspondet, vt sunt priuationes; v.g. cęcitas, surditas, tenebrę, &c. quæ priuationes quantum ad id quod sunt, sunt idem quod negatio, vt dicit Aristot. in lib. 5. meth. differt tamen priuatio à negatione, quia hęc

C

D

& actum & aptitudinem negat; priuatio autem & si neget actum, ponit tamen aptitudinem, vt in post prędicamentis legitur; priuatio etenim est priuatio entis realis, vt cęcitas est priuatio visus, & surditas auditus; habet tamen fundamentum in re, vnum remotum, quod est Animal, aliud propinquum, quod est aptitudo: nam priuatio & si fundamentaliter sit in rebus, formaliter tamen non habet esse nisi tantum per intellectum, non enim prædicatur de rebus nisi dum per intellectum apprehenditur: quod si quis dicat, homo, nullo intellectu considerante, est simpliciter cęcus; meminisse oportet eorum, quę in post pręd. ab Aristotele dicuntur videlicet quod priuari non est priuatio, neque cæcum esse est cæcitas; priuatio namque quędam, est cæcitas, cæcum vero esse priuari, non priuatio est: vnde sine opere intellectus aliquis homo priuatur & est cęcus, sed ipsa cæcitas absque actu intellectus circa hominem non ponitur: quam distinctionem quidam non animaduertentes, dixerunt priuationem extra animam reperiri, ac propterea non esse ens rationis, alia sunt entia rationis, quibus aliquod fundamentum correspondet in re, vt sunt quædam relationes rationis: nec ab re dicitur (quædam) quia vt Sanctus Thomas prima pars quæst. decima tertia artic. tertio scribit, sunt quædam relationes rationis, quibus nullum fundamentum correspondet in re, vt entia pręterita, futura, fictitia aut huiusmodi, sed intellectus concipit ea sub ratione entis: at relatio rationis vt Vniuersalitas, vel ipsum Vniuersale, vt genus, species, & similia, habent fundamentum in re, vnum remotum quod est natura ipsa denominata, aliud proximum quod est ipsa cognitio, qua à singularibus abstrahitur.

Sit quartum notandum: Entia quę habent esse tantum obiectiuè in in-

A tellectu: alia habent esse obiectiuè in eo directè, vt negationes, priuationes, chimerę & fictitia; quia non ad esse cognitum alterius consequuntur, sed se ipsis intellectui pręsentantur: alia habent esse obiectiuè in eo indirectè & consequenter: & hoc modo relatio vniuersalitatis, vt genus, species, & huiusmodi: nam ipse res cognitæ vt Animal & homo, dum directè ab intellectu cognoscuntur, atque in ipso sunt obiectiue directe; ad has
B res cognitas consequuntur aliqui respectus, siue relationes vniuersalitatis, vt esse genus, species, siue aptitudo ad esse & dici de multis: & quia non se ipsis primo, sed ad esse cognitum alterius obijciuntur intellectui, quod est cognosci indirecte, ideo dicuntur quod sunt obiectiuè in intellectu indirectè.

Sit quintum notandum in quo disputatio consistit: quando dicitur, Animal est genus, homo est species: hę secundum Thomistas sunt prędi-
C cationes denominatiuę externæ, quæ cum dicantur de re secundum esse quod habent in intellectu, ideo nihil ponunt reale supra ipsam naturam: cum enim dicitur Animal est genus: homo est species, ly genus & ly species, nihil reale addunt supra Animal & hominem, sed solam relationem rationis, qua ad sua inferiora referuntur: vnde sunt quædam denominationes extrinsecæ, quibus denominantur genus & species: & in
D hoc discrepant Thomistę à Scotistis: dum illi opinantur illam vniuersalitatem esse in re, & denominatione intrinseca eam denominare Thomistæ vero oppositum asserunt, nempe externam tantum denominationem esse, & nihil addere supra rem denominatam: in quo distinguitur ab illa denominatione, quæ cõuenit naturæ secundum esse quod habet in singularibus, vt cum dicitur homo est albus nam album ponit aliquid reale supra ipsũ hominé, scilicet naturã albedinis,

quæ eſt ens reale: his dictis, Thomiſtæ ponunt hanc concluſionem.

Ens rationis, quod eſt Vniuerſalitas, nullum eſſe ſubiectiuum habet in rebus; ſed eſſe obiectiuè tantum in intellectu: vnde genereitas & ſpecieitas nihil ponunt ſupra rem denominatam genus vel ſpecies; ſed eſt denominatio extrinſeca ſolum.

Concluſio eſt expreſſa S. Thomæ, in opuſc. 48. tract. 2. cap. 1. vbi ait, Ens rationis quod eſt ens in anima, non eſt res, ſed intentio, cui nihil extra animam reſpondet, niſi pro fundamento remoto: quod ſi queratur, vbi eſt ſubiectiuè, reſpondetur quod nuſquam, ſed eſt in intellectu ſolum obiectiuè, alias eſſet ens reale.

Præterea, ſi Vniuerſalitatis ratio ponit aliquid in re denominata, quęritur quid ſit illud quod ponitur, vel eſt ens reale, vel rationis: ſi reale, hoc eſſe nequit, quia tunc Vniuerſalitatis ratio non erit ens rationis: quod ſi ponit aliquod ens rationis, quomodo erit ens rationis, ſi ſubiectiuè eſt in ipſa re denominata: nam entia rationis extra intellectum eſſe nequeunt alioquin eſſent entia realia, & non rationis: ſed in re tam clara facere verbum, eſt omnia contērere, cum nulla ratio perſuadeat, vt intellectus per cognitionem aliquid producat in rebus.

Hoc vnum tamen ſciatur, quod Petrus Fõſeca in lib. 4. meth. q. 6. ſect. 14. concedit quod huiuſmodi relationes ſint aliquo modo proprietates rerum: eo quod Ariſtoteles in fine cap. 2. eiuſdem libri, vocat eas affectus per ſe entium, quatenus entia ſunt: ſed ſubdit non eſſe ſimplicier concedendum eas eſſe veras rerum proprietates, niſi deſcendant cum rebus, quibus conueniũt ad inferiora, quod non faciunt relationes generis & ſpeciei: concedit igitur quod ſint aliquo modo proprietates, ſed cum non ſint veræ, erunt ſecũdum quemdam noſtrum modũ intelligendi: his dictis, argumenta Scoti, & Diſcipulorum faciliter ſoluuntur.

A Ad primum negatur conſequentia: non enim valet, Vniuerſalitas non eſt ſubiectiue in intellectu, ergo eſt in re: quia ad eſſe illorũ, ſatis eſt quod ſint in intellectu obiectiuè, cum aliud eſſe ab hoc non habeant, vt dictum eſt.

Ad ſecundum negatur conſequentia, & ad authoritatem Auerrois ex qua deducitur, reſpondetur quod Auerroes eo in loco nõ intẽdit aliud niſi oſtendere, quod Vniuerſalitas non eſt a ſingularibus quid ſeparatum, vt B Plato aſſignabat: ſed per operationem intellectus tantum efficitur in rebus, non inherendo, ſed denominãdo eas, denominatione extrinſeca Cõſulatur Commentator eodem commento.

Ad tertium dicitur quod maior eſt vera de accidente reali: modo Vniuerſalitas eſt Ens rationis, quod nominat ipſas naturas, niſi extrinſeca denominatione, vt ſepiſſimè dicitur.

Ad quartum negatur antecedens, quo ad illam partem, ſcilicet, ens ra- C tionis non eſt in intellectu obiectiuè: ad Authoritatem Ariſtotelis, reſpondetur, quod ipſe negat res eſſe in anima, quo ad illarum realem exiſtentiã, quemadmodum quidã Phyloſophi arbitrabantur Animam ex omnibus rebus componi, vt omnes res cognoſceret: contra quos protulit Ariſtoteles eo in loco: non lapis, ſed ſpecies lapidis eſt in anima.

Ad quintum iam dictum eſt, quod Auicennas intendit ſecundas inten- D tiones adiungi primis non per realem inherentiam, ſed vel fundamentaliter, quia in primis fundantur: aut per externam denominationem, & ad modum proprietatis intellectæ, vt paulo ſuperius dictum eſt: & huic diſputationi: finis imponatur.

Diſputatio 6. de Vniuerſalibus.

An Vniuerſalia ſint ſubſtantia, vel Accidens.

Dilucidatio I.

Nec materiæ primæ, nec accidentium, nec Generum, nec mali, ſed Boni, & ſpecierum tãtum de Genere ſubſtantiæ, Idæas aſsignat Plato; cuius poſitio ab Ariſtotele impugnatur.

VIx, inter feruentiſſimos eſtatis ardores, his diſputationibus de Vniuerſalibus, quæ inter antiquiores Phyloſophos verſabantur, ſcribendi finem impoſueram, ac ſi de ipſis, ſatis abunde dixiſſem, nihil amplius dicturus, niſi quæ huius libelli ſubiectum reſpicere videbantur: quod à Monaſterio Paſſiniani Dilectiſſimorum, ſtudioſiſſimorumque Diſcipulorum nõnulli, ad Archicenobium Vallis Vmbroſæ acceſſere; vt inter tantos vbique locorum ſolis feruèſcentes calores; in ijs vmbriferis nemoribus, ſub fagorum vmbris, inter aquarum fontium murmures, riuulorũ curſus, ac ſuper prata virentia, ſpiritus eorum graui ſtudio diu defatigati, honeſto quodam ocio perfruerentur: qui cum has noſtras dilucidationes attentione vel certè maxima legerent, atque literarij ſtudij congreſſu de his, multiſque alijs, quadam animi gratia, verborumque grauitate, ſe ſe mutuo impeterent, ne dies vlla etiam inter neceſſaria ocia, ſine linea tranſiret: deſiderio quidem nimio exardeſcentes, ne aliquid, quod ad completam Vniuerſalium intelligentiam, requireretur, à me dimiſſum iret; rogarunt ne grauarer tres quoque diſputationes his iam per actis adiungere: vnam ſcilicet ſi

A per aliquam potentiam ſupernaturalem infinitam fieri poſſent Vniuerſalia, quæ in prædicando dicuntur, à ſuis ſingularibus realiter ſeiuncta: alterã, ſi ipſa quæ diximus prædicata, ſint ſubſtantia aut Accidens: tertiam demum ſi ortui interituique, & quo nam modo ea ſubijcerentur: etenim aſſerebãt huiuſmodi queſita, à paucis, ne dicerent à nullo eorum qui dialecticas ac Phyloſophicas res peragunt, ita apertè ac diſtinctè pertractari, vt iuniores

B facilè aſſequi poſſent. Ego autem iuſtæ eorum petitioni ſatisfacturus, priorem tantùm miſſam facere decreui, non quod illam dilucidatu difficilem repererim; ſed quia de potentia Dei, verba multa facere, atque Theologicas diſtinctiones huic loco apponere cogebar, ideo ne, vt (prouerbio dicitur) falcem in meſſem alienam mitterem, logicalia nunc logicus pertractans, inter has diſputationes ipſam aggregare haud volui. conſulatur tamen

C de ea Paulus Soncinas in q. 41. ſuper lib. 7. metaphyſicæ, qui eſt ſi ad plenũ, nequaquam ſit ſatisfacturus, ſuperficietenus nihilominus aliqua ponit, ex quibus habitum noſtrum exercendi occaſionem præſtat: reliquas igitur in horum ſtudioſorum iuuenum gratiam dilucidaturus aggrediar: eſt altera diſputatio, An Vniuerſalia ſint ſubſtantia vel accidens, cuius diſputationis dilucidationem ab opinione Platonis exordiamur.

D Plato qui (referente D. Auguſt. in lib. 83. queſtionum, q. 46.) inuenitur primo loquutus fuiſſe de Idæis, quę latino vocabulo formę vel ſpecies dicuntur, & à Phyloſophis vt plurimum, Vniuerſalia nuncupantur; ea prorſus eſſe ſubſtantias abſque dubio aſſerebat: ita Ariſtot. in lib. 7. meth. à text. 21. vſque ad 32. ſcribit: imo quod non ſolùm ſubſtantię, ſed ſenſibilium ſubſtantiarum principia, eiſque priora eſſent, Auerroes in lib. 12. meth. com. 4. & in lib. 1. de anima, com. 8. & in lib. 2. de phyſico auditu comm. 38. comme-

morat: sed hoc vnum est scitu dignum, quod non omnium, quæ in his inferioribus existunt, Ideas esse ponebat; vnde neque materię primæ, nec accidentium, nec generum, nec mali; sed boni, & specierum specialissimarum tantùm, ideas & formas separatas assignauit. non materię primæ, quia cum diceret ideas esse ideatorum causas, materia prima ab idea non producebatur, imo ad singularium constitutionem vnà cum forma concurrebat. nam sicut Aristoteles B in libro primo naturalis auscultationis textu quinquagesimo quinto scribit, cum Antiquiores Philosophi tria principia; duo ad agendum, & vnum ad patiendum poneret; Plato tamen vt ibidem & supra textu trigesimo secundo legitur, duo principia ad patiendum assignauit; videlicet, magnum & paruum, per quæ primam materiam significabat, vnum autem ad agendum, formas scilicet separatas, quas neque intra mundum, C neque extra mundum esse aiebat, quia non sunt in loco, vt Aristoteles in libro tertio physicorum textu vigesimo quinto refert. hac igitur ratione ideam primæ materiæ Plato non assignauit, sed neque Accidentium, ita scribit Aristoteles in libro primo metaphysica textu trigesimo, & rationem ex hoc ipse deducebat; quia eorum tantùm ideas esse existimabat, quorum illæ erant proxime causæ, sed proximas causas ac- D cidentium, has substantias sensibiles affirmabat: imo neque eorum, quæ secundum prius & posterius dicuntur, ideas ponendas censuit, eo quod primum esse ideam secundi aiebat, ac propter hoc, numerorum speciem non constituit, quemadmodum Aristoteles in libro primo Ethicorum, capite sexto testatur: at neque vllius generis voluit ideas esse ponendas, eo quod in generis productione tantùm, opus &

A intentio naturæ non persistebat: sed & mali ideam negauit, quia cum idea secundum propriam sui rationem designet formam, quæ est alicuius rei formationis principium, & malum nihil est, vel saltem boni priuatio, ideo neque formari, neque alicuius formę particeps fieri potest. Boni autem ideam per se separatam constituit, (scribitur ab Aristotele in libro primo Ethicorum capite sexto) cuius participatione omnia singularia bona, dicebantur bona: similiter specierum specialissimarum de Genere substantiæ, ideas esse docuit; puta hominem, Equum, leonem, cuius participatione, Sortes & Plato homines dicebantur; hic & ille Equus erant Equi: & harum specierum existentiæ potissimam causam, assignabat, Generationem, scientiam, & naturæ conseruationem: etenim cum speciei natura in his indiuiduis, quæ sunt corruptibilia, seruari nequeat, ideo species separatas sempiternas posuit: sicut in libro septimo metaphysicæ Aristoteles prolixis verbis scribit.

Præterea sit aliud notandum; Maximum discrimen, reperiebatur, secundum Platonem, inter idæam. v. g. hominis, & ideam boni: nam idea hominis, non ad omnia se extendebat, sed ad homines tantùm, vnde soli homines eam participabant, & per ipsam homines dicebantur: & ita idea Equi, à solis Equis participabatur: sed idea boni ad omnia bona se extendebat omnium prędicamentorum, etiam accidentium, vnde non solùm homo, vel Leo, sed & quantitates, & quædam qualitates, vt iustitia, sapientia, & huiusmodi, dicebantur bona, per participationem illius separatæ bonitatis: & quamuis sit iam dictum, quod Accidentium ideas Plato non posuit, etiam est positum,

tum, quod de illis accidentibus intelligit, quæ à virtute substantiæ, vt à causa proxima producuntur, vt esse album, nigrum, calidum, frigidum, & similia: modo bonitas in singularibus bonis, quæcunque sint, per participationem bonitatis separatę in ipsis efficiebatur, vnde singula entia bona, vocabantur, quemadmodum etiam per participationem idearum entis & vnius, separatarũ, vnumquodque dicebatur Ens, vel vnum: concludatur igitur quod secundum Platonem, Vniuersalia sunt substantię à singularibus realiter separatæ, vt dictum est.

Sed quod hæc Platonis positio sit falsa, quo ad realem separationem à suis singularibus, iam ostensum est: quod vel propter scientiam aut generationem non sit necessarium formas separatas assignare, eadem disputatione peripateticis rationibus fuit explanatum: at quod Vniuersalia, eo modo, quo à Platone ponuntur, non possint esse substantia, tribus, inter cæteras, potissimis rationibus, in libro septimo meth. ab Aristotele demonstratur.

1 Si homo Vniuersalis à singularibus separatus; est substantia, vt Plato asserit. tunc quæritur, vel est substantia prima, vel secunda: si prima, ergo non est Vniuersalis; consequentia probatur quia substantia prima sunt indiuidua, & singularia: si secunda, Contra, substantiæ secundæ non prędicantur de subiecto, id est, de suo inferiori à quo distinguuntur & realiter separantur; quia prędicatum quod verè de aliquo prædicatur, debet re ipsa esse in eo, de quo prædicatur; alioquin erit falsa prędicatio: non enim homo enunciatur verè de Socrate, nisi sit verè in ipso: sed secundum Platonem Vniuersalia ennunciantur de singularibus, & ab ipsis distinguuntur & realiter separantur, ergo Vniuersalia non sunt sub-

A stantię secundæ. sumitur hæc ratio ex textu 46.

Quod si forte quis obijciat, Diuisionem substantię in primam & secundam ab Aristotele assignatam, negari à Platone, eo quod admitteret species separatas esse simpliciter substantias, sed nec primas, nec secundas: Respondetur Aristotelem vti ea diuisione, qua tunc temporis Phylosophi passim vtebantur, vnde & in prędicamentis capite de substantia, eam
B vt famosam ponit.

2 Præterea, si Vniuersale, vt Plato assignat, est substantia, ergo vna substantia numero erit in pluribus singularibus distinctis: sed consequens est falsum, ergo & antecedens: falsitas manifestatur ex eo, quod nullus Phylosophorum concedit vnam substantiam numero in singularibus distinctis esse posse: consequens probatur, Vniuersale. v. g. homo, qui dicitur separatus erit
C substantia per se subsistens, quod & Plato gratis concedit, ergo erit vna aliqua prima substantia, quia per se subsistere est primarum substantiarum; & cum sit in pluribus, ergo vna substantia erit in pluribus: deducitur hęc ratio ex sensu verborum Aristotelis in textu quadragesimo quinto.

3 Præterea, si homo Vniuersalis est substantia, ergo ex principijs Platonis sequitur quod de-
D tur tertius homo separatus: probatur, illa quæ in aliquo communi conueniunt, ideam & Vniuersale habent, sed homo ille separatus, & homo singularis vt Sortes in aliquo communi conueniunt, quoniam homines sunt, ergo habent communem ideam, & Vniuersale, quare dabitur tertius homo separatus, & ab his distinctus: sic ex textu quadragesimo octauo sunt & alię rationes, ibidem ab Aristotele assignatę, quæ quoniam in qui-

in quibusdam specialibus quæstionibus metaphysicalibus (Deo optimo maximo præstante) à nobis subtilius pertractarentur, idcirco nunc silentio mandantur, has quas adduximus ad disputationem propositam sufficere existimantes.

At quod nec Idea Boni, vel ideę ratio non sit specialiter in bono assignãda, vt Plato assignauit; distinctis rationibus monstrat Aristoteles in eodem cap. 6. primi libri Ethicorum: tũ primo quia ideę ratio non dicitur secundũ prius & posterius de illis quorum est idea: tum secundo quoniam idæa prædicatur vniuoce, id est secundum idem nomen, & eandem rationem de omnibus de quibus dicitur: tum tertio, quia in ijs quæ habent vnã ideam, vna quoque scientia est: sed ratio ideæ dicitur secundum prius, & posterius, vt probat ibi de substãtia, quæ est prior accidente, ac per consequens bonitas substantiæ est prior bonitate accidentis: neque etiam bonum dicitur vniuocè de omnibus bonis: quod ibidem manifestat, quia bonum totidem modis dicitur, quot & illud est: nã in substantia dicitur Deus & mens; in qualitate virtus; in quantitate mediocre: in ad aliquid vtile: in tempore occasio; in vbi diuersatio; & alia huiusmodi, &c. neque omnium bonorum est vna scientia, neque etiam eorum, quæ sub vna de nuncupatione constituuntur; vt o ccasionis, in bello militaris ars: in morbo medicina, & mediocris: in alimento medicina: in laboribus exercitatoria; vnde concludit Boni non esse separatam ideam assignandam: igitur quæ de idea boni, ac cæteris ideis dicta sunt à nobis in loco hoc; non alia de causa dicta sunt, nisi vt manifestum fieret Vniuersalia in prędicando secundum Platonem esse substantia: cuius positio eo modo intellecta, quo ab ipso assignabatur, tanquam à veritate longè distans, ab Aristotele reijcitur, vt explanatum est: an autem ipsa Vniuersalia in prædicando sint re ipsa

A substantia, vel accidens, & quomodo vtrunque sit intelligendum, in sequenti apertius dilucidabitur.

Dilucidatio 2.

Vniuersalia, sola intellectus operatione, à singularibus seiuncta, non esse substantiam, probatur: & quædam fundamẽta pro conclusio-
B *num intelligentia, iaciuntur.*

VNiuersalium Disputatio, quorum cognitionem, non solùm in logica, sed in vniuerso Phylosophiæ genere, per magni momenti esse, omnes fatentur: commodius à nobis expedietur, ac facilius percipietur, vbi Platonis opinionem ab Aristotele impugnatam, & tãquam vero dissonantem, abiectam vidimus, sed vt modus quo
C à Peripateticæ doctrinę sectatoribus, ea esse aut substantia, aut accidens ponitur, euidentius innotescat, ideo authoritates & rationes nõ nullas in medium afferemus, quibus Vniuersalia nullo modo esse substantiam probabimus: & fundamenta iaciemus, ex quorum intelligentia, dilucidãdarum conclusionum veritas omnium ante oculos elucescet: probatur igitur Vniuersalia in prædicando, quę sola operatione intellectus à suis singularibus
D seiunguntur non esse substantia.

1 Primo, authoritate Aristotelis in lib 7. meth. text. 57. & 58. dicentis, Vniuersalia impossibile est, vt sint substantiæ rerum, quia Vniuersalia rerum sunt communia, & nullum commune est substantia: quod etiam per pulchrè notauit Auerroes in comm. 45. libri primi meth. & loquuntur de Vniuersalibus in prędicando, vt series verborum Phylosophi ostendit, ergo non sunt substantia.

2 Præterea, Si Vniuersalia sunt substantia, vel sunt substantia prima, vel

vel secunda: si prima ergo non sunt Vniuersalia: si secunda, ergo non prędicantur de subiecto, id est de inferiori, quod naturę Vniuersalis aduersatur, cum sit aptum natum esse & dici de multis, vt dicitur 7. meth. text. 45. & lib. 1. peryherm. cap. 5. prima consequentia probatur Authoritate Aristotelis in prędicamentis, capite de substantia, vbi primas substantias vocat singularia: secunda sic ostenditur, quod de aliquo prędicatur, debet esse in illo, sed secundę substantiæ nō sunt in primis, ergo de illis non prędicantur: minor adhuc probatur per Phylosophum in initio eiusdem capitis, vbi ait, secundæ substantię sunt genera & species, in quibus eæ quę principaliter substantię dicuntur, insunt: igitur si primę sunt in secundis, secundæ non erunt in primis, alioquin ipsarum maxima confusio fieret.

3 Præterea, Si Vniuersalia sút substantiæ, aut sunt substantiæ corporeæ, aut incorporeę: si corporeę, ergo ex materia & forma vniuersali conficiuntur. nam Vniuersalium causę sunt vniuersales, & singularium singulares, inquit Arist. in lib. 2. physicor. text. 38. & nunc Vniuersalia erunt antè Vniuersalia, quod est absurdum: si incorporeę, ergo Animal quod est Genus, & homo qui est species, sunt substantiæ incorporeę, quod est falsum, vt vnicuique intelligenti notum fit.

4 Præterea Color est Vniuersale Genus, & Albedo est Vniuersale species, & non minus color prædicatur in quid de suis speciebus, puta de albedine & de nigredine: & albedo de suis indiuiduis, puta de hac & de illa albedine: quàm Animal prædicetur in quid de homine, & de equo: & homo de Socrate, & de Platone: sed color & albedo sunt accidens, in tertia specie qualitatis repositum; ergo Genera & species quæ sunt Vniuersalia in prædicando, sunt Accidens.

Ad intelligentiam argumentorum quæ iam deducta sunt, & conclusio-

A num quæ inferius deducentur Sit primum fundamentum: Vniuersalia in prædicando, cuiusmodi sunt genera & species: (nam de his principaliter erat disputatio inter antiquos, sicut Porphyrius ad calcem sui prohemij insinuare videtur, eo quod dicunt totum, prædicantur in quid, ac si quendam modum per se existendi haberent) duobus modis considerantur; primo fundamentaliter, vel sub aliis verbis, pro his quæ denominant, vel

B pro rebus subiectis, & naturis intentioni substratis: nam omnes hi termini ęquiualent: Secundo formaliter, vel sub alijs verbis pro his quæ significant, aut pro ipsis intentionibus; nam & hi quoque equiualent: Genus & species fundamentaliter considerata, seu quo ad substratum, siue materiale significatum sunt ipsæ naturæ, vt Animal, Color, Homo, Albedo, & similia: sed formaliter sumpta, siue pro intentione, & ratione vniuersalitatis, sunt

C quędam relationes rationis, per operationem intellectus naturis conuenientes, & quibus ipsæ naturæ sunt & denominantur Genera & species, ac per consequens de suis inferioribus prædicantur: non enim Animal & homo, color & Albedo, secundum suas proprias naturas sunt genera vel species, neque secūdum suas naturas habent, quod prædicentur: sed quatenus per operationem intellectus attribuūtur illis quædam relationes vniuersa-

D litatis, tunc sunt, & denominantur denominatione extrinseca, & genera, & species, secundum quæ habent vt hoc vel illo modo prædicentur: sicut ad calcem primi capitis in dilucidatione de intentionibus expressius dicetur.

Sit secundum fundamentum: Natura intentioni substrata, seu significatum fundamentale & materiale Generum, & specierum; vel sunt res de prædicamento substantiæ, quibus intentiones generis & speciei opere intellectus applicantur, vt corpus, Animal, bos, homo, & huiusmodi: vel sunt

de præ-

de prędicamento accidentis, vt color, albedo, figura, triangulus, & similia.

Sit tertium fundamentum: substantia est triplex; Alia est substantia secundum rem tantum & non modum; cuiusmodi est substantialis Differentia speciei, quæ re ipsa substantia est, cum substantialem formã dicat illius speciei, cuius est Differentia: sed secundum modum non est substantia, quia prędicatur in quale, ideo Aristoteles in lib. 5. meth. textu *19.* appellat eam substantialem qualitatem, & in libro quarto topicorum in explanatione loci 81. ait quod Differentia semper dicit generis qualitatem, quia admodũ qualitatis contrahit genus. Alia sunt substantiæ secundum rem, & modum simul, cuius modi sunt ea omnia quę sub genere substantię propriè continentur, vt Animal, homo, leo, lapis, & similia: Alia sunt, quę secundum modum dumtaxat, substantię dicuntur, eo quod per comparationem ad aliqua, quę respiciunt, modum substantiæ sortiuntur.

Sit quartum fundamentum; Corpus est duplex, vnum quod Mathematicum dicitur: aliud quod Physicum nuncupatur: distinctio est Aristotelis in lib *3.* de physica auscultatione textu 40. & Auerr. in lib. 3. meth. com. *17.* corpus mathematicum dicitur illud quod trinam dimensionem videlicet longitudinem, latitudinem, & profunditatem tantùm habet, abstrahendo eam à quacunque materia sensibili: nam mathematicus operatione intellectus abstrahit huiusmodi accidentia à materia sensibili & à motu, ea dumtaxat considerando, nulla habita consideratione de materia, cui insunt; & hoc est quod Aristoteles in lib *2.* physicorum text. 18. scribit, abstracta enim sunt intellectu à motu; & nihil refert; neque fit mendacium abstrahentium: quod corpus mathematicum vocatur ab Aristot. 3. physic. vbi supra, corpus intelligibile: corpus Physicum ad huc duobus modis sumitur; quandoque

A pro substãtia indiuidua corporea, quę habet illam trinam dimensionẽ, exempli gratia Socrates, Plato, hic Equus, hic lapis, hoc lignum, & similia indiuidua substantialia: quandoque sumitur pro composito ex materia & forma, quod ab alijs dicitur subalternum genus prędicamenti substantiæ, eo quod corpus ex materia & forma confectum, sub substantia continetur, vt in arbore Porphyrij manifestatur: sunt qui assignant tertium corpus, quod

B metaphysicum nuncupant, Benedictus Pererius in libro secundo de Phylosophia naturali, cap. 3. quæ sententia est etiam magni Alberti: & dicunt esse corpus metaphysicum, trinam dimensionem, vt inest in substantia composita, ante motum & qualitates sensibiles: nam si metaphysicus contemplatur decem cathegorias, necesse est eum quoque agere de substantia composita, & de quantitate; & ex consequenti de corpore: sed si hoc dictum

C sit verum, non est huius loci determinare; interim consule Zimaram in annotationibus commentariorum Auerrois lib. 3. meth super com. *17.* & in tabulis literę corpus, cui hæc positio non probatur: & de hac dilucidatione, dictum sit sufficienter.

Dilucidatio 3.

D *Vniuersalia, quandoq; esse substantiam, quandoq; Accidens, enũciantur: & ad rationes pro vtraque parte respondetur.*

ATque ea quidem quæ à Platone de Vniuersalibus tradita fuere, vidimus: sed nunc quid ex Aristotelis sententia, & omnium Peripateticorum Schola de eisdem enunciandum sit, non ex longe iactis fundamentis, sed ex positis in superiori dilucidatione deducere haud difficile est: & quoniam auscultationes secundum consue-

ſuetudinem accidunt; ſeu vt alia tranſlatio legit, Diſcendi rationes conſuetudinibus reſpondent; vt ſoliti ſumus, ita rem exponendam eſſe cenſemus, ſic Ariſtoteles in initio 3. capitis, lib. 2. meth. ſcribit; ideo vt noſtri moris eſt, quibuſdam apertiſſimis concluſionibus, huius diſputationis veritatẽ enunciare ſtudebimus.

Sit ergo prima concluſio, Vniuerſalia in prædicando, quemadmodum Genera & ſpecies, ſi ſumuntur & conſiderantur, ſecundum fundamentum, ſeu ſignificatum materiale, ſiue quo ad naturam ſubſtratam: quandoque ſunt ſubſtantia: quandoque accidentia: cõcluſio hæc, quo ad vtramque partem, vnica ratione probatur.

1 Fundamentum & ſignificatum materiale Vniuerſalium, quandoque eſt de prædicamento ſubſtãtiæ, vt Animal, & homo: quandoque de prędicamento accidentis, vt color & Albedo: ergo genera & ſpecies quo ad materiale ſignificatum, quandoque ſunt ſubſtantia, & quandoque Accidens: antecedens manifeſtatur ex ſecundo fundamento non procul ab hinc poſito: conſequẽtia probatur ex eo quod materiale ſignificatum Vniuerſalis nõ eſt niſi ipſa natura, in qua intentio fundatur: & hæc concluſio eſt omnibus probatiſſima.

Sit ſecunda concluſio: Vniuerſale pro intẽtione, ſiue formaliter, ſeu quo ad rationem Vniuerſalitatis ſumptum in omnibus prędicamentis, eſt ſemper Accidens: probatur his rationibus.

1 Primo, Omnis forma, quæ per operationem intellectus efficitur, eſt accidens: ſed Genus & ſpecies pro intẽtione ſumpta, ſunt formæ rebus aduenĩẽtes per operationem intellectus: ergo Genera & ſpecies pro intentione, ſiue formaliter ſumpta, ſunt ſemper accidentia: maior propoſitio ex Auerroe elicitur in lib. 2. phyſicorum com. 13. vbi ait quod formæ artificiales ſunt accidentia, & formæ fabricatæ ab intellectu, ſunt artificiales, vt

A vnicuique notum eſt: minor eſt eiuſdẽ Auerrois in lib. 1. de Anima comm. 8. dicentis, intellectus eſt qui facit Vniuerſalitatem in rebus.

2 Præterea, Omne quod aduenit alicui enti in actu eſt Accidens; ſed intentio Generis & ſpeciei aduenit enti in actu, ergo intentio generis & ſpeciei eſt accidens: maior eſt notiſſima ex Ariſtotele minor probatur; intentio Generis & ſpeciei aduenit Animali vel homini ſecundum quod per operatio-

B nem intellectus apprehenduntur, & à ſuis ſingularibus abſtrahuntur, vel ad illa comparantur: Modo quando apprehenduntur ſunt actu, cum actu ipsũ moueant, igitur, &c.

3 Præterea, Confirmatur authoritate Auerrois in lib. 5. meth. com. 30. ait quod formę vt ſunt genera & ſpecies, ſeu Differentiæ differunt à ſe ipſis vt ſunt formæ tantùm: illas enim genus eſſe aut differentias accidit illis & in lib. 7. comm. 46. inquit, quod ſub-

C ſtantię ſenſibiles non diuerſantur in ſuis ſubſtantijs quando diffiniuntur, & quando non diffiniuntur, quoniã ſunt ſubſtantię: ſicut eſt diſpoſitio inuiſibilibus, quoniam ipſa non ſunt minus viſibilia quando videntur, quàm quando non videntur, ergo accidit hoc idẽ, id eſt Definitiones vniuerſalium habent aliquam diſpoſitionem diſpoſitionum ſubſtantiarum exiſtentium extra animam & qualitatem accidentẽ eis: vt Animal quod eſt vniuerſale

D animali proprio ſcilicet demonſtrato in vnoquoque Animali. ex quo patet vniuerſalia pro intentione, eſſe accidentia.

Sit tertia concluſio: Genera & ſpecies de prędicamento accidentis, vt color & albedo: figura & ſimilia: quãuis ſecundum rem ſint accidentia; tamen ſecundum modum ſunt ſubſtantia: probatur.

1 Illud quod prædicat naturã alicuius per modum naturę, aut eſt ſubſtantia ſecundum rem; vel ſaltem ſecundum modum: ſed Genera & ſpe-

cies de prædicamento accidentis prædicant naturam per modum naturæ de suis inferioribus: & secundum rem non sunt substantia, ergo saltem secũdum modum sunt substantia: maior manifestatur ex eo quod prædicare naturam per modum naturæ, est dicere quod quid erat esse rei, vt colligitur ex libro 7. meth. quod nulli accidenti vt accidens est, competit: minor probatur ex hoc quod prędicantur in quid, & dicunt esse quidditatiuum suorum inferiorum, quod est prædicare naturam per modum naturę, vt suo loco explicatius dicetur: non enim minus substantialiter color prædicatur de albedine, & de nigredine, & ipsarum dicit quid, & albedo de suis indiuiduis, quàm Animal prædicetur substantialiter de homine & Equo, & homo de suis indiuiduis: & hoc est quod Aristoteles in capite 7. libri primi topicorũ dicit, quod Quid, quandoque substantiã significat, quandoque autem quale, quandoque vero aliquid aliorum prædicamentorum: ex quibus verbis patet, quod, ly Quid, circuit omne genus, & non illud tantùm substantię.

Notandum pro intelligentia reliquorum trium prędicabilium, quod Differentię, secundum suum materiale significatum possunt, esse accidens & substantia: nam illę quę diuidunt Genus & constituunt species de prædicamento substantiæ, vt rationale & irrationale, quæ diuidunt Animal & sub eo constituunt hominem & brutum, sunt substantia secundum rem: illæ vero quæ sunt diuisiuæ generis de prædicamento accidentis & constitutiuæ specierum sub illo, sunt accidentia secundum rem: sed secũdum significatum formale, siue pro intentione omnes sunt accidentia: & quia omnes eundem modum prędicandi habent, eo quod prędicantur in quale de suis speciebus, ideo omnes secundum modum sunt qualitates: & quoniam non dicunt quale simpliciter, sed quale quid, ideo Aristotel. in lib. 5. meth. textu 19. substantiales qualitates eas appellat: reliqua vero duo Vniuersalia scilicet Proprium & Accidens, & quo ad significatum materiale & quo ad significatum. formale semper sunt accidentia, ideo in quale simpliciter prędicantur; distinguuntur tamen per prædicari conuertibiliter, & non conuertibiliter, vt suis locis manifestabitur.

Sit quarta conclusio, Vniuersalia de prædicamento substantiæ, secundum naturam substratam sumpta: aliqua sunt incorporalia, vt Genera & species substantiarum separatarum: nam hæ sunt actus purus, absque vlla mistura, vt Aristot. in lib. 12. meth. probat: Alia sũt corporea vt Genera & species substantiarum sensibilium, videlicet homo & Animal; de quibus Auerroes in prologo physicorum scribit, quod species rerum naturalium habent duplices partes, aliquas secundum fidem quę sunt materia & forma: & alia secundum imaginationem, quæ sunt genus & Differentia.

Sit quinta conclusio, aliqua Genera & species de prædicamento accidentis Materialiter sumpta, sunt accidentia corporea, vt color, sapor, & huiusmodi: sed hęc esse corporea, bifariam intelligi potest, vno modo per se, & penès hanc considerationem non sunt corporea; alio modo per accidens, hoc est ratione quantitatis, cui immediate inherent, & per hanc sunt corporea, eo quod per superficiem extenduntur: Vlterius aliqua genera & species de prędicamento accidentis, sunt accidentia incorporea, vt omnes scientiæ & habitus in anima existentes: & hęc conclusio apud Dialecticos nullam difficultatem patitur.

Sit sexta conclusio: Vniuersalia sũpta formaliter, puta secundum rationem, qua à singularibus abstrahuntur, omnia cuiuscunque generis, sunt quodam modo incorporea: probatur, quia hac ratione abstrahuntur à materia, & con-

conditionibus singularibus: & notan-
ter dixi, quodãmodo, propterea quod
fortè dubitaret aliquis quomodo Ani
mal & homo, etiam secundum abstra-
ctionem considerata possint intelligi
sinę corpore in communi: nisi obie-
ctio sit vera physicè, non autem logi-
cè, eo quod logicus contemplatur vni-
uersalia prout sunt formæ simplices
prædicabiles de pluribus, quæ vt sic ab
omni corporeitate abstrahunt: consi-
derantur ergo Animal & homo vt sũt
formæ dicentes totum esse suorum
inferiorum, de quibus in recto prædi-
cantur; & penes hanc considerationem
ab omni corporeitate abstrahere di-
cuntur: his igitur elucidatis, reliquum
est; vt argumenta posita in initio alte-
rius dilucidationis dissoluantur.

Ad primum respondetur quod Ari
stoteles in lib. 7. meth. negat Vniuer-
salia esse substantias secundum modũ,
quo à Platone ponebantur Vniuersa-
lia scilicet substantias à suis singulari-
bus realiter separatas: etenim iuxta
hanc positionem non sunt substan-
tia, sicut in prima dilucidatione di-
citur.

Ad secundum dicitur quod Vniuer
salia materialiter accepta sunt substã-
tiæ primę, eo quod ab his re ipsa non
distinguuntur: si vero sumaretur pro
intentione non sunt neque prima, ne-
que secunda substantia, sed accidens,
vt in conclusione secunda dictum est.

Cõtra Aristoteles in capite de sub-
stantia inquit, quod secundæ substan-
tiæ sunt genera & species: ergo Vni-
uersalia de prędicamento substantiæ
sunt substantiæ secundæ.

Ad hoc respondetur quod Aristo-
teles nõ ideo appellat Genera & spe-
cies substantias secundas, quasi sint na-
turę à primis substãtijs realiter distin-
ctæ sicut Plato sentiebat, sed quia in
primis fundantur, quarum ratione di-
cuntur substare & existere quia de-
structis primis impossibile est aliquid
aliorum remanere, vt phylosophus
ibi scribit: vnde genera & species di-

A cuntur esse in primis, vel quia ab illis
non distinguuntur nisi ratione; vel tan-
quam superiora intellecta in suis infe-
rioribus; & primę dicuntur esse in se-
cundis tanquam inferiora contenta
specifice vel genericè in suis superio-
ribus non re, sed ratione ab eis distin-
ctis; & ita per hæc patet solutio ad se-
cundum argumentum.

Ad tertium solutio habetur ex his
quę in conclusione quarta dicuntur.

1 Contra illam conclusionem ar-
B guitur, & probatur quod Vniuersalia
sint simpliciter incorporalia: illud
quod non est hic, neque nunc, & ta-
men est semper, est simpliciter quid
incorporeum, sed Vniuersale non est
hic, neque nunc, & tamen est semper,
ergo Vniuersale est quid incorporeũ:
maior probatur esse hic, & nunc, est
circumscribi & determinari loco &
tempore, quod naturæ corporeæ est
proprium, vt colligitur ex lib. 4 Physi-
corum; non determinari loco & tem-
C pore est proprium naturæ incorporee:
minor est Aristotelis in libro primo
posteriorum textu 43. vbi ait Vniuer-
sale non est hic aut nunc, sed semper.

2 Pręterea Principia motuũ sunt
immobilia, sicut in libro 8. physicorũ
Aristoteles probat, ergo per eandem
rationem principia corporalium sunt
incorporalia, alioquin daretur proces-
sus in infinitum: sed genera & species
sunt principia sensibilium corpora-
lium, ergo Genera & species sunt in-
D corporalia.

3 Præterea, si Vniuersalia sunt
corporalia, ergo figura & quantitate
determinantur, eo quod corpus figu-
ra aliqua & quantitate determinatur:
sed consequens est falsum, ergo & an-
tecedens: probatur falsitas: Vniuer-
salia sunt in intellectu vt scribit Ari-
stoteles in libro 3. de anima textu 38.
lapis, inquit, non est in anima sed spe-
cies lapidis, ergo si sunt figura & quan
titate determinata, ergo & intellectus
figurabitur, & quantitate extendetur,
quod est falsum.

Ad primum solutio habetur ex S. Thoma p.p.q.*16.* art.*7.* ad secundum. Aliquid esse vbique & semper, intelligitur dupliciter, vno modo quia habet in se, vnde se extendat ad omne tempus, & ad omnem locum, sicut Deo competit esse vbique & semper: alio modo quia non habet in se quo determinetur ad aliquem locum & tempus, sicut materia prima dicitur esse vna, non quia habet vnam formam, sicut homo est vnus ab vnitate vnius formę, sed per remotionem omnium formarum distinguentium: & per hũc modum Vniuersale dicitur esse vbique & semper, inquantum Vniuersalia abstrahunt ab hic & nunc: ex qua solutione elicitur quod eadem ratione qua Vniuersalia dicuntur esse vbique & semper, dicuntur etiam non esse hic neque nunc, quia non habet in se quo determinetur ad aliquem locum & tempus, sed abstrahit ab hic & nunc: & hoc est quod alij exponunt Vniuersale est vbique & semper, non positiuè & per se: nam si homo inquãtum homo esset vbique, omne illud in quo reperitur ratio hominis, deberet esse vbique & semper, & ita Sortes esset vbique: sed intelligitur negatiuè scilicet, Vniuersale inquantum per intellectum abstrahitur, non est hic & nunc, sed hæc omnia habet ratione singularis in quo est.

Ad secundum respondetur quod Aristoteles in libro *8.* physicorum loquitur de causis effectiuis motuum, & Vniuersalia sunt causę formales: verumtamen quia Aristoteles in lib. *2.* meth. capit. *2.* probat in nullo genere causarum dari processum in infinitũ, ac per consequens neque in formis, dicens idem esse sentiendum de prædicatis essentialibus, & de formis, ideo distinguendum est. quod principia siue causæ formales rerum sensibilium sũt duplices, quædam secundum rem, v.g. Anima à qua homo habet esse, & dicitur forma partis: aliæ secundum rationem, vt genera & species, quæ nun-

A cupantur formę totius: primę causę debent esse incorporeæ, sed secundæ cum non distinguantur à singularibus nisi ratione, non est necessarium quod sint incorporeæ; sed satis est quod per intellectum abstrahantur à corporeitate, & percipiantur in ratione formarum simplicium: vel dicatur quod Vniuersalia sunt corporea ratione inferiorum, quibus insunt, sicut & ratione ipsorum sunt etiam generabilia, & corruptibilia; vt in sequenti disputatione dicetur.

B Ad tertium patet solutio ex quarta & quinta conclusione, quomodo quędam Vniuersalia sint corporea, & quomodo non: nec probatio in oppositum quidquam facit, eo quod est sermo fiat de Vniuersalibus in prædicando, hæc non sunt in intellectu nisi obiectiuè vt moltoties dictum est: & Aristoteles in lib. 3. de anima loquitur de Vniuersali in repræsentando, quod est imago rerum formaliter in intelle-

C ctu existens, & formata per abstractionẽ à conditionibus materialibus, vt in hoc eodẽ opusculo sæpius explanatur.

Ad quartum argumentum principale in initio secundæ dilucidationis positum habetur solutio ex conclusione 3. huius dilucidationis, scilicet, genera & species de prędicamento accidentis, sunt substantia non secundum rem, sed secundum modum: his itaque dilucidatis, tempus est vt huic disputationi finis imponatur.

D

Disputatio 7. de Vniuersalibus.

Vtrum Vniuersalia sint generabilia, & corruptibilia.

Dilucidatio 1.

Ad partem affirmatiuam obiectiones feruntur, & quatuor distinctiones assignãtur.

Omni-

OMNIBVS hominibus insitam esse à natura quamdam sciendi exaidescentem cupiditatem, non solũ Aristoteles in initio primi libri metaphysicorum contextatur inquiés, omnes homines natura scire desiderant; & confirmat eloquentissimus Cicero, cum dicit, omnes nos trahimur & ducimur ad cognitionis & sciẽtiæ cupiditatem, in qua excellere pulchrum putamus. labi vero ignominiosum ducimus, sed & veteres historiæ hoc ipsũ exẽplis referant, dum in eis legitur antiquorũ Phylosophorũ non nullos lustrasse prouincias, nouos adisse populos, fluuios transisse, maria trãsmeasse nimio sciendi desiderio succensi, non ne Apollonius, siue ille magus (vt vulgus loquitur) siue Phylosophus, vt Pythagorici tradunt, intrauit Persas, pertransiuit Caucasum, Albanos, Scythas, Massagetas, opulentissima indię regna penetrauit; & ad extremum, latissimo Phison amne transmisso, peruenit ad Brachmanas, vt Hiarcham in throno sedentem aureo, & de Tantali fonti potantem, inter paucos Discipulos, de natura, de motibus syderum, ac dierum cursu audiret docentem? non ne Pythagoras Memphiticos vates, sic Plato Aegyptum, & Architam Tarentinum, eamque oram Italiæ, quæ quondam Magna Gręcia dicebatur, laboriosissimè peragrauit, vt qui Athenis Magister erat & potens, cuiusque doctrinam Achademiæ Gymnasia personabant, fieret peregrinus atque discipulus; malens aliena verecũde discere, quàm sua impudenter ingerere? non ne Archimedes dum in puluere mathematicas figuras describeret attentius, ne patriam quidem ab hostibus captam sensisse, fertur? non ne Heraclitus à Dario Persarum Rege, cupiente se auditorẽ & Discipulum eius fieri, accitus, multas opes honoresq; magnos ei promittente, ne ab ipsos discederet, tot tamen tantaq; bonorum promissa,

A literarum ocio, & studio Phylosophię postposuit? imo quod creditu est difficilius, non ne ipsemet à Regni dominio se abdicauit, idque fratri reliquit studij Phylosophiæ amore captus? Quid igitur, si Græcę, Hebraicæ, nec non latinę linguarum genere Ornatissimi Iuuenes, in Passinianẽsis Achademiæ Gymnasio studiosissimi Discipuli, nimio addiscendi, sciendique ardore feruescentes, rogarunt, vt aliam disputationẽ de ipsis Vniuersalibus aggredi

B ne grauer, determinatu certe haud facilem, & quorum naturam inuestigare, quo ad possibile fuerit, & ad huius libelli Porphyrij exactam notitiam hauriendam necessarium ducimus, in hoc nostro opusculo tentamus? En igitur vt postulantium desiderio faciamus satis, eam exordimur; & vt intellectui reddatur facilior, ab authoritatibus, & rationibus inchoabimus, vnde ea ingenerabilia omnino atque incorruptibilia esse, quis cre-

C dere potuisset.

1 Plato Socratis auditor, & Arist. Præceptor, inquit (referente Aristot. in lib 7. meth.) Vniuersalia, quæ Ideas appellat, sempiternitate perfrui, & omni ortu, interituque carere; ergo nec generantur, nec corrumpuntur.

2 Confirmatur Platonis assertum, authoritate Aristotelis asserentis passim in libro 1. poster. Vniuersalia esse sẽpiterna, igitur positio vera est, quod non sunt generabilia.

D 3 Preterea D. August. in libro 83. quæst. in q. 46. loquens de ideis, quas Plato assignauit, ita scribit, Ideæ sunt principales quædam formæ, vel rationes rerum stabiles, atque incommutabiles: quia ipsæ formatę non sunt, ac per hoc ęternę, ac semper eodem modo se habentes: igitur non sunt Vniuersalia generabilia.

4 Confirmatur rursus authoritate Auerrois in lib. 3. de anima dicentis Vniuersalia, non esse generabilia, neque corruptibilia, imo extra mentem reperiri: ergo positio vera.

5 Preterea Ea quæ sunt vbique & semper, non generantur, nec corrumpuntur, alioquin nõ essent semper, sed Vniuersalia sunt vbique & semper ergo Vniuersalia neque generantur, neque corpumpuntur: minor est Aristot. in lib. 1. poster. textu 43.

6 Preterea Definitio, Demõstratio, & scientia non est nisi de rebus sempiternis, & impossibilibus aliter se habere, sicut Aristot. in lib. 1. post. cap. 4. docet: sed de Vniuersalibus habetur definitio, demonstratio, & scientia, vt in eodem lib. Arist. docet, igitur, &c.

7 Præterea, ab eo quod res est, aut non est, oratio dicitur vera, vel falsa, ita scribit Aristotel. in prædicamentis capite de substantia; sed hæc oratio est sempiternę veritatis, Vniuersale est aptum natum esse in multis, & dici de multis; hoc namque modo tum lib. 7. meth. textu 45. tum lib. 1. periherm. cap. 5. ab Aristotele diffinitur; ergo Vniuersale est æternum, quod autem illa oratio sit sempiternæ veritatis, ex eo patet quod esse in multis, & dici de multis est definitio Vniuersalis, & semper vera.

8 Præterea si Vniuersalia generantur, & corrumpuntur, aut per se, aut per accidens: si per se, ergo Vniuersalia subsistunt, quia terminus generationis per se, est aliquid per se subsistens ex forma & materia compositũ, vt dicitur in libro septimo metaphys. textu 27. si per accidens, ergo generatio & corruptio ipsorum remoueri potest ab eis, quia quod conuenit alicui per accidens remoueri potest: & ita Vniuersalia non erunt.

9 Preterea, omne quod generatur generatur à sibi simili secundum speciem, ergo si Vniuersalia generantur, generantur à sibi simili secundum speciem, & ita ante Vniuersalia erunt Vniuersalia; quod est inconueniens, antecedens est Aristotelis receptissima propositio in lib. 7. meth. text. 29. consequentia probatur ex lib. 2. physicorum textu 38. vbi dicitur, quod

A Vniuersalium causę sunt Vniuersales, & singularium singulares: ergo Vniuersalia à causis vniuersalibus generabuntur, & sic id quod prius.

10 Præterea, Generatio vnius est alterius corruptio, vt scribit Phylosophus in libro primo de generatione textu 17. & 18. ergo Vniuersalia ex Vniuersalibus tanquam ex causa materiali generantur, quod est falsissimum quia Vniuersalia omnia sunt formę, & non materia: & hæc adducta

B argumenta ad id quod manifestare intendebamus sufficiant.

Ad intelligentiam resolutionis harum rationum Gandauensis, sit primũ notãdum ex Arist in lib. 7. meth. quod aliquid generari duobus modis cõtingit; vno modo per se, sumendo per se, pro vt est idẽ; quod per se primo; alio modo per accidens, sumẽdo nunc per accidẽs vt sonat idem quod per aliud: illud dicitur per se primo generari quod est subiectum immediatum, in quo generatio recipitur, & est termi-

C nus primo productus, & per se subsistens in actu extra animam: illud dicitur per aliud generari, quia ad alterius generationem generatur: & quod dicitur generari, illud idem dicatur etiã de corrumpi, nempe secundo contingit, per se, & per accidens, ad sensum iam expositum: & huius diuisionis ampliorem explanationem legas in sequenti dilucidatione, ante solutionem rationum Ioannis Gandauensis.

Sit secundum notandũ: Omnes qui

D doctrinam Peripateticã sequuntur, fatẽtur Vniuersalia duobus modis sumi, vno modo pro re quæ appellatur Vniuersale vt Animal & homo, quod tamen Vniuersale non distinguitur realiter à suis singularibus, sed ratione tantum, vt multoties in hoc opusculo dicitur: alio modo pro intentione, à qua res substrata denominatur vniuersale: hanc distinctionem habet S. Tho. p. p. q. 85. art. 3. ad 1. presens disputatio non intelligitur de Vniuersali sũpto pro intẽtione; quoniam cũ intẽtio sit ac-

sit accidens, per operationem intellectus rei conueniens, incipit & desinit esse per cognitionem alicuius rei, vel per cessationem à cognitione eiusdē, vt in superioribus disputationibus insinuatur: sed sermo est de Vniuersali pro re, an videlicet illa natura communis Animal, homo, & huiusmodi generetur,& corrumpatur.

Sit tertium notandum supposita à quibus Vniuersalia operatione intellectus abstrahūtur, sunt duplicia, quędam simplicia, vt ea intelligentiarum, quæ omni materia denudātur, vt probat Phylos. in lib. 12. meth.& de his est sermo notus quod cū ipsa sint ingenerabilia & incorruptibilia, ita & natura vniuersalis est in illis ingenerabilis omnino,& incorruptibilis: alia sunt composita, substantiarum scilicet sensibilium: & cum hæc generentur & corrumpantur, v.g. Sortes, Plato, hic Leo, hic Equus, dubitatur etiam an natura hominis, Leonis & Equi in communi sumpta, generetur & corrumpatur.

Sit quartum notandum: Omnes Phylosophi, qui Aristotelis doctrinam sequuntur, fatentur vnanimiter Vniuersalia pro re sumpta, generari & corrumpi, alioquin necessarium esset in Platonis sententiam incidere, asserentis, Vniuersalia à singularibus seiuncta per se existere, atque omni generatione & corruptione inexpertia: sed an generari & corrumpi conueniat ipsis per se, vel per accidens, penes sensum iam expositum tunc dissident, eo quod quidam arbitrantur. Vniuersalia generari & corrumpi per se, & alij per accidens affirmant: quid quid autem de hac re sit sentiendum, in sequentibus dilucidabitur.

Dilucidatio 2.

Sententia Ioannis Gandauensis existimantis Vniuersalia esse per per se primo Generabilia, & corruptibilia, exponitur, & impugnatur.

AVerroes Doctrinę Aristotelicę fidissimus Commētator, qui ipsum Aristotelem non tanquam vnum ex mortalium numero, sed veluti quemdam Phylosophorum Deum ferè ab omni mortalitate seiunctum venerabatur; encomia eiusdem Phylosophi pluribus suorum commentariorum extollens, in libro tamen Destructionum Disputatione tertia in solutione Dubitationis 13. asserit intellectum Aristotelis esse finem humani intellectus à Diuina prouisione datum, ne sciri possibilia homines ignorarent: & in libello quem de intellectu compilauit, appellat ipsum Principem, quo perficiuntur omnes sapientes post eum, quamuis (subdit) differant in intelligendo illius verba, & in eo quod ex eis sequitur. Quę Auerrois sententiæ an sint verę, ex quotidiano hominum studio fit luce meridiana lucidius, dum & naturalium & supranaturalium cognitionē ex ipsius doctrina adipiscuntur. Sed quod in verbis illius explanandis, atque in deducendis conclusionibus ex principijs eiusdem, sapientes ab inuicem sæpe sæpius dissideant, Greci, Arabes, Latini interpetres, negocium hoc obscurum haud reddunt: verum ne in multis tēpus conteramus, animaduertatur quæso, quomodo ex Aristotelica doctrina effectus sapiens Ioannes Gandauensis, qui sua ętate in Achademiarum Gymnasijs Aristotelem illustrauit, in conclusionibus deducendis, ac verbis explanandis, ab alijs sæpius dissideat: imo circa propositam disputationem, qua quæritur vtrum Vniuersalia sint generabilia & corruptibilia, idipsum, quod diximus, cognoscere, nequaquam difficile sit. Etenim in quęst. decima sexta libri primi metaph. duo de proposito negocio dicit, vnum, quod Vniuersalia sunt generabilia & corruptibilia, in quo & cęteri cōueniunt; alterum quod per se pri-

primo sunt huiusmodi, & in hoc ab alijs dissonat: igitur ad mentem Gandauensis ponitur hoc assertum. A

Vniuersalia sunt per se primo generabilia, & corruptibilia: quod assertum his rationibus comprobare studet.

1 Quãdo duo sunt eadem realiter, quæcunque passio realis conuenit vni per se, cõuenit & alteri: sed Vniuersale & singulare sunt eadem realiter & generatio & corruptio conueniunt per se singulari, ergo conueniunt per se etiam Vniuersali. minor est nota: & maior probatur: Passio fluit ex principijs subiecti, ergo quorum principia sunt eadem, & passiones sunt eædem: generari & corrumpi sunt passiones. B

2 Preterea Illud primo & per se est generabile, de quo demonstratur generatio & corruptio: sed de Vniuersali primo & per se demonstratur generatio & corruptio: ergo Vniuersale primo & per se est generabile maior propositio habetur in lib. 1. post. textu 11. vbi dicitur quod passio primo & per se demonstratur de Vniuersali, vt risibile de homine: minor est Aristotelis in initio primi libri de generatione, vbi ait se velle tractare vniuersaliter de causis generationis, & generatorum. C

3 Præterea, Omne quod per se ipsũ est generabile, est per se primo generabile: sed Vniuersale per se ipsum est generabile & corruptibile, ergo per se primo est tale: maiorem probat & authoritate, & à simili; authoritate ex libro primo posteriorum textu 11. vbi dicitur, Vniuersale quidem dico, quod est de omni & per se, & secundum quod ipsum: à simili, quia valet color per se ipsum est visibilis, ergo per se & primo est visibilis: minorem probat ex eo quod Vniuersale non est generabile per aliquod extrinsecum, ergo per se ipsum. D

4 Preterea, Demonstrato aliquo homine, verum est dicere hic homo per se generatur, vlterius de codẽ homine verũ est dicere, hic homo per se est homo, ergo homo per se generatur.

5 Preterea, natura nõ intendit per se primo indiuidua, sed speciem, sicut scribit Auic. in lib. 1. sufficiẽtiæ, quod cõfirmat Auerroes in lib. 2. de anima, com. 34. vbi ait, solicitudo diuina cum non potuit facere ista esse æterna secundum indiuiduum, miserta est, & dedit virtutem, per quam possint perpetuari secundum speciem: igitur species est quæ per se primo generatur: & hæ sunt rationes fortiores, quibus Iohannes suam positionem cõfirmat: & intendit quod Vniuersale sit generabile per se in secundo modo dicendi per se, eo quod esse tale egreditur per se à quidditate subiecti, scilicet à composito ex materia & forma informata contrarijs: & hæc quo ad Gandauensis positionem.

Sed contra hanc opinionem arguitur, authoritatibus & rationibus sic.

1 Aristoteles in lib. 7. meth. textu 26. & 27. inquit, quod illud quod per se generatur est singulare, & non vniuersale; nam vt in textu 28. subdit, quod homo vniuersalis neque generat, neque generatur, quod manifestat exemplo artificiali, de sphera ænea, vt ibi patet: igitur &c.

Ad hanc authoritatem respondet Gandauensis, quod Aristoteles arguit de Vniuersalibus Platonicis, quæ nec per se generant, neque per se generantur; secus autem est de Vniuersalibus existentibus in singularibus, de quibus nunc sit sermo.

2 Contra probatur quod Vniuersalia assignata secundum positionem Aristotelis non generentur per se primo, neque corrumpantur: nam in prohemio meth. reddẽs causam, quare experti magis proficiãt, quàm qui rationem habent, dicit, quia ars est vniuersalium cognitio, actus autem & generationes omnes circa singularia sunt, non enim homo sanatur nisi, per accidens, sed Callias aut Socrates per se sanatur: ex qua authoritate habetur quod singularia per se generãtur, Vniuersalia non nisi per accidens.

3 Con-

3 Confirmatur authoritate eiusdem Phylosophi dicentis in libro 7. meth. text. 53. non enim est generatio domus simpliciter, aut corruptio, sed huius, vel illius domus, ergo singularium sunt per se generationes.

4 Pręterea, illud quod non habet esse extra animam in actu, non potest esse primus & per se terminus generationis: sed Vniuersalia non habent esse extra animam distinctum realiter à suis singularibus, ergo Vniuersalia nō possunt esse primus & per se terminus generationis: minor est Auerrois in libro primo de anima comm. 8. & 12. meth. comment. quarto imo est Aristotelis vbicunque de vniuersalibus loquitur: maior est nota & nulla eget probatione.

5 Præterea, scientia non est nisi de rebus incorruptibilibus & impossibilibus aliter se habere: ergo Vniuersalia sunt per se primo ingenerabilia & incorruptibilia: ergo si generantur & corrumpuntur, hoc contingit eis per accidens; id est ad generationem & corruptionem singularium. antecedens est Aristotelis in libro primo poster. capite quarto, & in toto illo libro: prima cōsequentia probatur quoniam scientia non est nisi de Vniuersalibus & multoties adducuntur authoritates in superioribus disputationibus ex primo post. textu 11. & ex secūdo de anima textu 60. & ex libro 3. metaphys. altera consequentia est nota, quia contingit Vniuersalia generari & corrumpi, & non per se, ergo per accidens, id est, ratione singularium, quibus insunt, vt probatum est.

Ex his quæ dicta sunt, ponitur hæc conclusio, Vniuersalia non primo & per se, sed per accidens, id est ad generationem & corruptionem singulariū sunt generabilia, & corruptibilia: cui conclusioni consentiunt omnes Peripatetici, magnus Albertus in libro septimo meth tract. 5. D. Thom. ibidem videlicet in lib. 7. Zimara in annotat. super q. Gandauensis & Dialeticorum,

A Paulus Venetus. q. 6. Vniuersalium. Sotus q. 1. in solutione q. 3. antiquorum: Iauellus in lib. 1. meth. q. 8. in solutione quarti argumenti. Petrus Fonseca super cap. 1. libri primi meth. quæst. quinta sectione 4. ad vltimum argumentum: & tandem omnes recentiores inquiunt Vniuersalia non per se primo, sed per accidens, idest per aliud ad generationem, scilicet & corruptionem singularium, quibus insunt, esse generabilia & corruptibilia.

B Circa quam conclusionem est animaduertendum, ad faciliorem intelligentiam, quando dicitur Vniuersalia sunt generabilia per accidens; ly per accidens dupliciter intelligi potest, primo vt distinguitur contra per se in secundo modo dicendi per se, sicut dicitur quod homo est risibilis per se, & albus per accidens: & iuxta hunc sensum non sumitur accidens, quando dicitur, Vniuersalia sunt generabilia per accidens: quia cū vniuersalia sint idem realiter cum suis singularibus, ratione tantùm distincta, ac per consequens sint

C substantia, ideo non per accidens generantur, sed per se, nam substantiæ est generatio simpliciter & accidentium secundū quid, ait Arist. in lib. 1. de gener. tex. 11. & 18. & 1. physic. tex. 62. non enim Animal, aut homo per accidens generantur, sed per se, quia sunt substātia: alio modo sumitur per accidens vt sonat idem quod per aliud, qui modus per aliud non opponitur huic mo

D do per se simpliciter, sed huic per se primo, & hic sensus in disputatione & in conclusione intenditur; nam quādo dicitur, Vniuersalia sūt generabilia per accidens, i. non per se primo, hoc. n. singularibus conuenit, sed per aliud hoc est ad generationem suorum singularium, quoniam cum generatur hic homo, generatur homo, & Animal, & ita de alijs: & hunc sensum intendunt Aristot. & Auerroes, quando inquiunt quod Vniuersale non generat, neque generatur, scilicet per se primo, quia generatio recipitur in singularibus:

sed generatur per accidens scilicet ad generationem singularium.

Sed si hi modi per se, & per se primo, per accidens & per aliud qui pertractantur ab Aristotele in libro primo posteriorum cap. 4. non ita facile percipiantur á iunioribus, ad quorum vtilitatem hos nostros labores conficimus: per exempla tamen facilè percipient. v.g. quando dicitur homo est sẽsibilis; tunc esse sensibile conuenit homini per se, quia cum esse sensibile sit differentia cõstitutiua Animalis, quod Animal est de ratione hominis, eo quod homo est Animal ideo conuenit homini per se, non tamẽ conuenit homini per se primo, scilicet per suam naturam hominis, sed per naturã Animalis, quia homo inquantum Animal est sensibilis: similiter quando dicitur Sortes est risibilis, esse risibile conuenit Sorti per se vt dicetur suo loco, nõ tamen per se primo, quia conuenit ei ratione hominis; nam homo per se primo, idest non per aliud est risibilis, sed Sortes per hominẽ est risibilis, & ideo dicitur quod risibilitas conuenit Sorti per aliud; sicut & sensibile conuenit homini per aliud, idest per animal: & licet homo & Animal sint formaliter idem, sic Sortes & homo: tamen distinctio rationis sufficit ad hoc quod vnũ prædicatum cõueniat alicui per aliud: ita ad propositum quia actiones & generationes recipiuntur immediate in singularibus, nam Sortes est, qui generatur vel medetur, vt patet in proemio metaph. ideo dicitur quod Sortes per se primo generatur: & quia ad Generationem Sortis. generatur homo vel Animal, ideo dicitur quod Vniuersale est generabile per accidens, idest per aliud, ad generationem singularium: vnde totum discrimen inter Ioannem Gandauensem & reliquos peripateticos, in hoc consistit, quod Ioannes dicit, generari per se primo, idest nõ per aliud conuenire ipsi vniuersali, alij vero inquiunt Vniuersale generari quidem per se, quia nõ generatur per accidens, sed nõn generari per se primo, & immediate, sed per aliud, idest ratione singularium, quod nunc vocant generari per accidens: & hæc doctrina est notanda, quia ex ignorãtia horum terminorum, audiui multos in publicis disputationibus haud scire arguẽtium rationes soluere: & ex his dictis, facile est ad argumenta Gandauensis respondere.

A

Ad primum negatur maior si intendat de conuenire per se primo, quia Sortes & homo sunt idem realiter & tamen risibilitas non conuenit Sorti per se primo, sed per aliud; ita generari non conuenit homini per se primo, sed per aliud, idest ratione singularis, cui propriè conuenit esse: si verò intendit conuenire per se, vt distinguitur contra purè per accidens, tunc argumentum contra aliam positionem non pugnat, vt ex dictis patet.

B

Ad secundum respondetur primo ad maiorem, & ad illius probationem quod passio primo & per se demõstratur de vniuersali, vt risibile de homine, quando passio dicit aptitudinem: si vero dicat actum quia actiones sunt suppositorum, vt ridere, tunc non demonstratur de Vniuersali, sed alia cognitione cognoscitur in singularibus: deinde negatur minor, quod generatio & corruptio primo, & per se demonstrentur de vniuersali; generationes quo scilicet ad actum sunt singularium, vt ait Aristot. in primo meth. ad probationem, quam ex initio primi libri de generatione adducit, respondetur, quod intentio Aristotelis in illis verbis non est velle ostendere, causas & rationes rerum vniuersalium, sumendo vniuersale, ad sensatu quæ in hac disputatione sumitur, quemadmodum Ioannes eum interpretatur: sed sensus est, velle agere de principijs & rationibus, idest modis, (ita exponit Philoponus) quibus res in vniuersum, idest nõ solum aliqua corpora, vt animata tantùm, vel inanimata simplicia aut mixta, sed de omnibus in communi, non

C

D

ni, non determinando se ad hæc magis quam ad illa generabilia & corruptibilia, & hic est verus Aristotelis sẽsus; legatur Foletus in initio illorum commentariorum de prologonienis librorum, imo hanc esse S. Thomæ & Egidij sententiam, ibi affirmat.

Ad tertium dicitur, quod si per illã particulam, (per se ipsum) intelligat, intelligit per se primo & immediatè, tunc concessa maiori, negatur minor, quoniam vt dictum est, licet Vniuersale sit per se generabile, non tamen per se primo: non enim quod conuenit alicui per se, conuenit ei secũdum quod ipsum, homo est per se sensibilis, sed non secundum quod ipsum: sed bene conuertitur, conuenit secundum quod ipsum, ergo conuenit per se, hi namque termini se habent vt superius & inferius, ait S. Thomas primo post. in expositione textus *11.* si vero per se ipsum intelligit, non per aliquod extrinsecum, tunc conceditur argumentum, nam homo generatur ad generationem Socratis, qui non est aliquod extrinsecum ab ipso homine, sed est aliud ratione tantùm distinctum: at argumentum Ioannis non valet deinde, homo non generatur per aliquod extrinsecũ, ergo generatur per se primo, quia generatur mediante alio, à quo sola ratione distinguitur.

Ad quartum negatur consequentia ad sensum iam dictum, quia licet hic modo per se primo & immediatè generetur, tanquam id quod per generationem existit, non tamen sequitur quod homo per se primo generetur, vt dictum est.

Ad quintum negatur consequentia, non enim valet in generatione indiuidui natura intendit speciem, ergo species est illud quod per se primo producitur: nam & si species sit primum intentum in productione, non tamen sequitur quod ex necessitate sit primo productum: Etenim natura non intendit producere speciem per se subsistentem, sed mediante indiuiduo, ita

A tamen quod non producitur indiuiduum, nisi vt saluetur species: Solutio hæc est S. Thomæ p.p. q.*98.* art. 1. vbi ait quod de intentione per se naturæ, est id quod est semper & perpetuum: at corruptibile non videtur esse principaliter de intẽtione naturę, sed quasi ad aliud ordinatum, alioquin eo corrupto, naturæ intentio cassaretur: & quia in his rebus corruptibilibus, nihil est perpetuum & semper manens nisi species: ideo bonum speciei est de

B principali intentione naturæ, ad cuius conseruationem naturalis generatio ordinatur. & subinfert vnum scitu dignum, quod cum substantię incorruptibiles maneant semper non solùm secundum speciem, sed etiam secundum indiuidua, ideo etiam ipsa indiuidua sunt de principali intentione naturæ, & nunc satis.

Dilucidatio 3.

C

Vniuersalia quomodo sint suis singularibus priora, & quomodo posteriora, exponitur: & rationes quibus in initio disputationis, ostendebatur, eam et esse omnino æterna resoluuntur.

ARistoteles in libro 13. meth. summa tertia ad calcem capitis tertij

D de Pythagoreis loquens, sic ait, Qui primus formas & numeros esse posuit, formas & mathematicas esse, rationabiliter separauit; quare accidit omnes secundum quid bene dicere, omnino vero non rectè; ac ipsi etiam fatentur non eadem, sed contraria dicentes. causa vero est, quod suppositiones atque principia falsa sunt. difficile autem est, (vt ait Ephicarmus,) ex non bene presuppositis bene dicere: cum primum enim aliquid dicitur, confestim apparet non bene dictum. ex quibus verbis fit notũ, quan-

ti referat falsa supponere, & ex ipsis veras conclusiones quo ad ipsam rem deducere posse existimare: Ioannes Gandauensis, qui Aristotelem ita preclarè illustrauit, multa sepe supposuit, quę ab Aristotelicæ doctrinæ veritate longè distant, & ex ipsis veras conclusiones deducere arbitratus est: sub silentio nunc pertransimus, ne prolixiorem sermonem, quàm exigat protrahamus, sed ne verba ad hominem nos facere videamur, ne pigeat vnum apponere ne pigeat: Etenim in libro primo de anima quęst. octaua, & libro septimo meth. quęst. vigesima quarta, quia supposuit formam genericam distingui realiter à specifica, multiplicando formas in composito, vt quidditatiua prædicata in eo multiplicia sunt, ex hoc subintulit formam genericam esse prius ipsis specificis: inquit enim Vniuersale dupliciter sumitur, primo pro intentione vniuersalitatis, quod est esse de pluribus prædicabile, secundo pro re quæ ex tali intentione denominatur: iterum distinguit, Res est duplex, quædam est reperibilis in pluribus specie differentibus, & hæc est natura generica; quædam in pluribus solo numero differentibus, & hęc est specifica: his distinctionibus positis, tres conclusiones enunciat.

Prima, Vniuersale pro intentione est posterius singularibus: hæc conclusio ad aures peripateticorum est, vt est videre apud S. Thomam prima pars quæst. 8. artic. tertio ad primum, & in lib. 1. de anima super textum 8. & hoc est quod Aristoteles dicit Vniuersale aut nihil esse, aut posterius est: nam cum Vniuersale pro intentione sit collectum ex particularibus in intellectu, qui consimilitudinem quandam inter ea accipit, & facit ea intentionem vnam; necessario habet, vt ipsis singularibus posterius sit, vt sæpius insinuauimus.

Secunda conclusio, Vniuersale pro re, quę denominatur species specialis-A sima, non est prius essentialiter suis singularibus: & hęc conclusio verissima est, quia cum inter speciem, & illius indiuidua, non sit alia distinctio quàm rationis, vnde species dicit totum esse suorum indiuiduorum sicut S. Thom. in tractatu de ente optimè ostendit, fit consequens vt species non sit suis indiuiduis prius.

Tertia conclusio, Vniuersale pro re, quæ denominatur genus, est prius realiter quo ad formam genericam ipsis B speciebus; contra quam positionem omnes fere Peripatetici reclamant: sed quoniam iam diximus, & iterum in capite de Differentia dicetur, conceptum genericum comparari ad specificum, vt materiale ad formale, & ex consequenti vt potétiale ad actum, non quidem realiter, (sicut censuit Gandauensis, ex quo hanc conclusionem intulit) sed conceptibiliter, & secundum quandam proportionem; ideo non sequitur formam genericam C distingui realiter à specifica, & ita rem, quę denominatur genus, esse ipsa specie realiter priorem.

Concludamus igitur Vniuersale pro intentione posterius esse suis singularibus: at Vniuersale pro ipsa natura, vt res est, puta id quod est Animal, id quod est homo, est prius ipsis singularibus, non quidem realiter, vt Gandauensis asserebat, quia à singularibus non nisi ratione distinguitur; sed dicitur D prius, non vt soluit Boetius in capite de substantia, quia in vna prima substantia, non tota natura simpliciter continetur, sed in omnibus simul iunctis; quę solutio non satisfacit, quoniam vt Porphyrius in communitatibus inquit, Genus est natura prius speciebus, nam & si omnes species animalis destruantur, tamen ratio Animalis remanet: ita à pari dicam, quod si omnes primæ substantię auferantur, ratio tamen speciei intelligitur: sed dicerem cum Alexandro, (referente Auerroe in libro

libro duodecimo metaphysicæ commentario vigesimo septimo) quod Vniuersalia, quo ad intellectum sunt priora natura singularibus, eo quod intelligi possunt ipsis singularibus non intellectis: vel vt alij declarant, Vniuersalia dicuntur priora singularibus penes illum modum prioritatis, quo prius dicitur illud, à quo non conuertitur subsistendi consequentia: nam sequitur, homo est, ergo Animal est, sed non è conuerso: similiter Sortes est, ergo homo est, & non è conuerso: his dilucidatis, tempus est, vt argumenta in initio huius disputationis apposita, quibus probatur Vniuersalia, nec generabilia, nec corruptibilia, sed esse sempiterna, soluantur.

Ad primum igitur solutio ex dictis habetur, eo quod sit falsa positio Platonis assignantis Vniuersalia à singularibus realiter separata.

Ad secundum verum est quod dicit Aristoteles scilicet Vniuersalia esse sempiterna, sed per continuam successionem ac productionem suorum singularium, à quibus non alio modo, quàm sola ratione distinguuntur.

Ad tertium respondetur Diu. Augustinum loqui de Idæis quæ sunt in Deo diuinę essentię idemptificatæ, & quę dicuntur rationes omnium rerum; cum alia ratione creatus sit homo, & alia Equus, vt supra insinuauimus: & de quibus Sanct. Thomas prima pars quæstio. decima quinta per totum optime pertractat.

Ad quartum Auerroes opinionem Platonis tunc refert, vt patet ex commentar. decimo octauo libri tertij de anima; vbi ait, & omnia dicta ab Aristotele sunt ita, quod Vniuersalia nullum habent esse extra animam, quod intendit Plato, qui si ita esset, non indigeret ponere intellectum agentem.

Ad quintum quomodo minor sit

A intelligenda, legatur dilucidatio tertia, disputationis sextæ, in solutione primi argumenti, quo probatur Vniuersalia esse simpliciter incorporalia: & habetur illa solutio ex lucidissima doctrina S.Thomæ p.p.q.16. art.7. ad secundum vt ibi dicitur.

Ad sextum dicitur satis esse quod Vniuersalia sint incorruptibilia, & sempiterna per continuam singularium productionem, ad hoc quod de illis habeatur definitio, demon-

B stratio, & scientia: nam semper est Animàl, & semper homo, quia semper sunt indiuidua quibus insũt idemptificata, & sola ratione distincta.

Ad septimum respondetur ad minorem, quod illa propositio, Vniuersale est aptum natum esse in multis, dicitur sempiternæ veritatis, secũdum necessariam connexionem extremorum, quia illa est natura Vniuersalis vt sit potentia in multis: dicitur quoque quod propositio habet veritatem

C ab ipsa re, ita vt Vniuersale dicatur æternum in suis singularibus perpetua successione existens, & hoc sufficit ad vniuersa'is sempiternitatem.

Ad octauum iam ex dictis habetur solutio, quod Vniuersale generatur per se, vt per se distinguitur contra per accidens: & generatur per accidens, vt per accidens sonat idem quod per aliud, qui modus oppo-

D nitur ei qui est per se primo, quo modo vniuersale non generatur, sed singulare, quod est generationis terminus primo productus per se subsistens.

Ad nonum respondetur primo ad antecedens, quod illa propositio, (quod generatur, generatur à sibi simili secundam speciem) ad propositum habere potest duplicem sensum: vnum qnod productum & producens sint formæ specificæ & vniuersales per se existentes, vt argumentum procedit, & talis est falsus: alterum, quod genitum sit naturæ eiusdem cum generante, in ge-

in generatione vniuoca, & in hoc sensu conceditur, nam homo ab homine generatur, quia sol & homo generant hominem, sicut in lib. 2. physicorum textu 26. secundo respondetur ad consequentiam, & ad illius probationem, quando dicitur Vniuersalium causæ sunt Vniuersales, hæc propositio duobus modis intelligitur, vno, secundum rem, ita vt effectus Vniuersalis habeat causam vniuersalem secundum rem, & hic sensus est falsus, quia actiones non circa vniuersalia, sed circa singularia sunt, & à singularibus procedũt, vt dicitur in prohemio meth. alio modo secundum prædicationem, ita vt effectus qui dicitur vniuersalis, habeat causam quæ dicatur vniuersalis: & hic sensus est verus, nam homo generat hominem, actio tamen & effectus sunt singularium.

B

Tertio respondetur, concedendo, propria, adæquata, & per se effecta causarum vniuersalium, esse Vniuersalia vt ratio probat, sed tamen illa effici per accidens, id est per aliud non modo à causis singularibus, sed etiam ab vniuersalibus: Ratio est, quia actiones per singularia procedunt ab vniuersalibus, & ad Vniuersalia terminantur. nam quemadmodum vis agendi conuenit singularibus per Vniuersalia, ita actio siue inchoatiuè, siue terminatiuè conuenit vniuersalibus per singularia, quare hæc sunt vera, homo in communi sumptus est effectus per se, homo, in communi sumptus generatur per accidens, id est per aliud: in priori enim dicto confertur natura effectus cum vi agendi, quæ primo conuenit naturis vniuersalibus: in posteriori autem cõfertur terminatio actionis cum actione ipsa, quæ primo conueniunt singularibus vt multoties dictum est.

C

D

Ad decimũ respondetur quod Aristoteles ibi loquitur de illis quorum per se primo est generatio & corruptio, vt sunt composita singularia: nam in his non cõtingit vllam compositam substantiam corrumpi, quin altera ge-

A

neretur; nec vnam generari, quin altera corrumpatur: ex qua explanatione manifestatur, quod huiusmodi habent materiam cõmunem, in qua vna forma corrumpitur, & altera introducitur: & non sic vnum vniuersale ex altero generatur, cum sint formæ: verũ est tamen quod ad generationem & corruptionem alterius, ipsa generantur & corrumpuntur, vt dictum est: & hæc sufficiant.

Disputatio 8. de Vniuersalibus.

An Vniuersale sit subiectum in libro Porphyrij.

Dilucidatio 1.

Argumenta ad partem negatiuam afferuntur: & quorũdam Dialeticorum opiniones proponuntur, & repelluntur.

OMNIS disputatio ab odio & ab amicitia distare quã maxime debet, ita Aristoteles in libro primo cœli innuit: cuius quidem rei causam & rationem Auerroes ibidem reddit dicens, quòd maxima diuersitatis causa' in sermonibus est amicitia & odium: vnde Phylosophus in libro 3. cœli textu 61. Platonem reprehensione dignum ostendit, eo quod propter sui Magistri, id est Socratis, & Geometriæ amorem à veritate in multis deuiasse videtur. nos itaque nonnullas questiones elucidaturi, in quantum determinatione, nec Porphyrij interpretes, nec logicarum questionum expositores sibi ipsis consentiunt, haud ob amorem eorum, quorum doctrinę assueuimus, vel propter odium aliorum,

rum, quorum disciplinam minimè sequimur, his aduersabimur, illisque assensum præstabimus, sed veritatem, quam professi fuimus, ipsis in honore anteponere studebimus. Quæstio igitur quæ totius huius libelli tractatum complectitur, atque ventilanda proponitur, est de subiecto huius operis, sitne Vniuersale sub ratione Vniuersalis, aut prædicabilis. & quod Vniuersale non sit huius libelli subiectum, his rationibus probatur.

1 Subiectum alicuius tractatus, ab illius Authore in initio operis sæpius apponi consueuit, aut verbis aliquibus saltem insinuari: Sed Porphyrius in initio huius tractatus pollicetur se acturum esse de quinque prædicabilibus, imo vnumquodque ipsorum per prędicari diffinit, ergo Prædicabile cōstituitur huius operis subiectum.

2 Confirmatur argumentum Authoritate Porphyrij, in initio communitatum ita dicentis, commune quidem est omnibus scilicet prędicabilibus, de pluribus prædicari, quemadmodum dictum est, ergo Prædicabile est subiectum.

3 Præterea, nullum Equiuocum est alicuius scientiæ, vel specialis tractatus subiectum; sed Vniuersale est Equiuocum ad ea quę in hoc libello à Porphyrio tractantur; ergo Vniuersale non est huius libelli subiectum. maior propositio est Aristotelis in libro 4. meth. minor probatur, æquiuocum est illud quod dicitur de pluribus secundum idem nomen, & ratio secundum illud nomen est diuersa, vt in ante prędicamentis dicitur, sed vniuersale dicitur de quinque Vniuersalibus secundum diuersam rationem quia quędam ipsorum, prædicantur de pluribus in quid, & alia in quale; ergo æquiuocum.

4 Pręterea, Subiectum alicuius totius scientię debet distribui in partes illius secundum limitationem alicuius passionis, vel considerationis: igitur quia subiectum totius logicæ est A ens rationis, si descendatur ad partes logicæ restringetur per limitatas passiones ita vt subiectum in libro Porphyrij sit ens prædicabile, eo quod ipsa entia per prædicari in hoc tractatu definiuntur: consequutio aliàs examinanda, nunc supponitur; antecedēs sic declaratur: ponatur quod subiectum Phylosophię naturalis sit. v. g. corpus mobile, tunc corpus mobile distribuitur per partes Phylosophię secundum limitationem diuersarum B passionum & considerationum, ita vt subiectum libri de cœlo sit corpus mobile ad vbi; subiectum libri de generatione sit corpus mobile ad formam, & ita de alijs. ergo, &c.

5 Pręterea, Subiectum alicuius scientię est illud, cuius propriæ passiones in ea scientia demonstrantur; sed Vniuersale nullam propriam passionem habere potest; ergo Vniuersale non est huius libelli subiectum: minor probatur, Proprium conuertitur cum suo subiecto vt risibile cum C homine, sed Proprium non conuertitur cum Vniuersali, quia Vniuersale est superius ad Proprium quintum prædicabile.

6 Subiectum continet sub se ea omnia quæ in illa scientia pertractantur, sed Vniuersale non continet sub se omnia quę in hoc libello pertractātur, ergo Vniuersale non est huius libelli subiectum: minor probatur, Porphyrius agit de indiuiduo quod Vniuersalis naturam auffugit; similiter & D Proprium quod non de pluribus, sed de vna sola specie, cuius est Proprium, prædicatur.

7 Præterea, si Vniuersale est huius libelli subiectum, vel sumitur Vniuersale quatenus est intentio, vel quatenus est applicabile rei; sed sub nullo horum modorum habet subiecti rationem, ergo nullo modo est subiectum: minor probatur, non quatenus intentio, quia Vniuersale inquantum intentio, & inquantum ens, est idem, sicut idem est homo inquantum homo, &

mo, & homo inquantum ens, & ita ad metaphysicum spectat: non secundo modo, quia illud totum est ens per accidens, de quo non est scientia.

8 Præterea, Omnes scientię agunt de Vniuersalibus, vt in lib. 1. post. c. 7. dicitur, ergo nulla distinctio est inter eas, & hũc tractatum Porphyrij, quod est falsum.

Non est vna, omnium illorum, qui hunc Porphyrij libellum interpretantur, opinio atque sentētia, quid in hoc tractatu subiectum commune & adęquatum constituatur. Ammonius super Porphyrium, quem deinde quidā Doctores Parisienses sequuntur, opinatur huius libelli subiectum esse ipsa quinque prædicabilia, de quibus Author agit. quem modum dicendi habet etiam magnus Albertus in tractatu secundo cap. nono, ad quam positionem mouentur ea prima ratione, quam in huius quæstionis initio posuimus, scilicet quia Porphyrius de his se esse tractaturum pollicetur: & confirmatur hęc positio, (inquiunt quidam) nam Porphyrius nullus vnum subiectum in hoc libello nominat, sed hæc quinque Vniuersalia tātùm, quorum non est assignare aliquod vnũ superius in quo conueniant, & cuius aliqua passio demōstretur, ergo hæc quinque prædicabilia sunt huius libelli subiectum.

Secundus modus dicendi est cuiusdam Ioannis Bridani, cuius sentētiam multi neotericorum sequuntur, hic asserit huius libelli subiectum esse Vniuersale non quatenus Vniuersale, sed quatenus prædicabile; quod assertum hac ratione confirmat. Illud est alicuius scientiæ subiectum, quod in ea est communissimum, metas illius non transcendit, & omnia quæ in illa considerantur, ad ipsum reducuntur: sed Vniuersale quatenus prędicabile habet has conditiones, ergo quatenus prædicabile est huius libri subiectum, minorem quo ad singulas conditiones sic probat: prædicabile est communissimum, quia in quinque prędicabilia diuiditur: non transcendit metas huius scientię, quia Author considerat quinque Vniuersalia sub ratione prædicandi: & omnia considerata ad ipsũ reducuntur, quia quodlibet eorum sub ratione prædicandi consideratur.

Tertius modus dicendi est Pauli Veneti & gratiadei; etenim hi cũ sentiant totius logicæ subiectum esse ens rationis, ideo dicunt subiectum in hoc libro esse ipsum ens rationis sub aliqua tamen certa ratione contractum, quæ ratio est esse prędicabile, quapropter ens prędicabile est huius libelli subiectum: & horum fundamentum est argumentum quartum in initio quæstionis appositum.

Quartus modus dicendi est quorundam Iuniorum opinantium subiectum huius libri esse ipsa quinque prędicabilia tanquam rem consideratam, prout deseruiunt cognitioni prædicamentorum, & totius logicæ tanquam finem considerandi Authoris: quod assertum confirmant, tum quia Porphyrius pollicetur de his se velle agere; esse res considerata: & de his inquit, agere propter doctrinam prædicamentorum, ecce finis considerationis.

1 Sed contra primum modum dicendi, arguitur sic. Aristoteles in libro primo posteriorum textu 43. inquit, quod vna scientia est vnius generis subiecti, partes & passiones illius considerans: sed scientia de quinque prędicabilibus est vna, ergo erit vnius generis subiecti: tunc subditur, sed quinque prædicabilia vt quinque prædicabilia non habent rationem vnius generis, ergo non sunt subiectum.

2 Confirmatur, illa quæ inter se conueniunt, & inter se differunt, habent aliquod commune in quo conueniunt, quia omnis conuenientia fundatur in vno communi, sicut in libro quinto & 10. meth. Aristoteles docet; sed Porphyrius in communitatibus ostendit conuenientiam, & differentiam

tiam quinque prædicabilium, ergo habent aliquod vnum commune, in quo conueniunt, quod subiecti rationem habet.

Ad primam harum rationum; respondet Albertus cognomēto Magnus quod non est necessarium, quod scientia sit vna ab vnitate subiecti in se: sed satis est quod sit vna ab vnitate subiecti primi & principalioris cōtenti sub ea: quod est metrum & mensura omnium aliorum sequentium, & ad quod tanquam ad primum & principale posteriora attribuuntur: modo hoc primum & principale est genus quod est primum Vniuersale in ordine quinque Vniuersalium, & ita ab vnitate illius, hæc scientia dicitur vna: Secundo respondent alij, quod propositio Aristotelis intelligitur de subiecto totius scientię, & non aliquarum partium.

1 Sed contra solutionem Alberti arguit subtilissimus Scot. in quæst. 8. Vniuersalium in resolutione. q. septimę, dicens, si solutio esset vera, ergo sicut secundum Aristotelem in libro 7. metaphysicæ in principio; ad metaphysicum sufficit determinare primo & principaliter de substantia; eo quod substantia est primum ens, & metrum omnium accidentium, ita Porphyrio sufficeret ad determinandum de quinque vniuersalibus, determinare de genere tantum, eo quod sit metrum cæterorum Vniuersalium: & ita per consequens superfluus est Author quinque capita de quinque Vniuersalibus apponens: sed consequens est falsum, quia hęc Vniuersalia non eodem modo prędicantur, nam alia in quid, & alia in quale dicuntur, neque secunda solutio tenet, quia quemadmodū aliqua tota scientia est vna, ita & aliqua scientia specialis est vna, quapropter si ad primam requiritur vnitas subiecti, cur & ad secundam cum sit vna, vnitas subiecti non requiritur? non ne vnitas subiecti assignatur in libris Perihermenias, & Posteriorum, in quibus habetur scientia specialis à tota scientia

A logicæ? igitur &c.

At si necessarium est hęc quinque Vniuersalia in aliquo communi conuenire, vt in secunda ratione contra primam opinionem dicitur, igitur cur Porphyrius illud vnum non explanat, in quo quinque prædicabilia conueniunt? Ad hoc quidam respondent, Porphyrium illud vnum subticuisse, vt à maximis difficultatibus se abstineret, sicut & ab alijs altioribus quęstionibus se abstinere voluisse affirmat: sed
B forte & melius dicitur, Porphyrium ideo hoc vnum commune subticuisse, aut quia ex doctrina in hoc libello tradita, facile est cognoscere quod illud sit Vniuersale, aut quia non est necessarium subiectum particularis sciētiæ semper explanare.

Ad argumenta vero huius opinionis, distinguitur, quod subiectum alicuius scientiæ est duplex, vnum materiale, & sunt ipsæ res cōsideratæ aliud formale, & est ratio & modus conside-
C randi: ad propositum dicitur quod ipsa quinque prędicabilia sunt huius tractatus subiectum materiale, sed non formale, de quo nunc est quæstio.

Ad cōfirmationem iam dictum est, ideo Porphyrium subticuisse vnum illud commune, quia ex tradita doctrina facile percipitur, quod sit Vniuersale, cuius propria passio demonstrabilis est de pluribus prædicari, vt infra dicetur; & de primo modo soluendi, hæc satis: secundum nunc repellamus.

D 1 Contra secundum modum dicēdi ad quæstionem, sic arguitur. Ratio passionis à ratione subiecti distinguitur, sicut in lib. 1. post. Aristoteles docet; sed prędicabile habet rationē passionis, ergo distinguitur à ratione subiecti, & per consequens non erit subiectum: minor probatur, prędicabile est passio vniuscuiusq; Vniuersalis à Porphyrio assignati, vnde per prædicari, tanquam per passionem diffinitur.

2 Pręterea, illud quod habet rationem subiecti, ad aliud non reducitur, imo alia ad ipsum reducuntur, sed præ

dica-

dicabile ad aliud reducitur, ergo prędicabile subiecti rationem non habet: maior ex conditionibus ad naturam subiecti requisitis fit manifesta; minor probatur, esse prædicabile de multis, supponit esse in multis, alioquin non esset vera prędicatio, ab eo enim quod res est, vel non est, oratio dicitur vera & falsa; sed esse in multis cōuenit primo Vniuersali, vt ex illius definitione patet, ex quo sequitur ipsum de pluribus prædicari, igitur prędicabile ad vniuersale reducitur.

Ad argumentum huius opinionis, respondetur quod esse prædicabile est communissimum quinque prædicabilibus, nō tanquā genus, sed tanquā passio cōmunis omnibus, quę deinde fit propria, per modos prędicādi in quid, vel in quale cōuertibiliter, vel nō conuertibiliter, & per prędicari tanquam per aliquod notius, singula à Porphyrio definiuntur. & hæc de secundo.

Contra tertiā positionē sic arguitur. Si ens prædicabile est subiectū in lib. Porph. ita vt ens contrahatur per prædicabile ad hūc librū, ergo pari ratione hoc idē erit asserendum de reliquis Dialecticæ libris, ac per cōsequēs ens enūciabile erit subiectū in lib. periher. ens demonstrabile in lib. poster. ens syllogizabile in lib. priorū, sed hoc est falsum, ergo & c. probatur falsitas, quia in lib. periher. subiectū est enunciatio, & in lib. poster. demonstratio. consequentia deinde est nota, quia si ens prædicabile est subiectū in lib. Porphyr. quia est pars entis rationis, quod est totius logicæ subiectum, eadem ratione Ens enunciabile erit in libro perihermenias subiectum.

Ad argumenta vero huius positionis, ad primum respondetur non esse necessarium aliquod speciale subiectū eadem denominatione denominari, qua subiectum totalis scientiæ denominatur, sed sat est vt ad illud tanquā pars subiectiua ipsius reducatur: nunc autem quodcūque sit huius libri subiectum, est pars entis rationis, quam-

A uis alio nomine denominetur.

Contra quartam opinionem, eadem ratione instatur, qua contra primam, scilicet vna scientia est vnius generis subiecti; modo ipsa quinque prędicabilia non habent rationem vnius rei consideratæ; & licet scientia dicatur vna etiam ab his, quorum esse vni fini attribuitur, vt Auer. in lib. 4. meth. com. 2. scribit; & finis horum prędicabilium fit propter doctrinam prædicamentorum, imo totius logicæ; hoc di-

B ctum Auerrois intelligitur quod vnitas scientiæ sumitur quandoque à fine, tunc videlicet quando subiectum scientiæ alio modo non innotescit: & de præsenti lectione, hęc quę dicta sunt, sufficiant.

Dilucidatio 2.

Reseratur conclusio, scilicet,

C *Vniuersale est subiectum in libro Porphyrij, ad cuius conclusionis intelligentiam, notanda sex apponuntur; & argumēta quædam contra conclusionem dilucuntur.*

AVerroes in libro primo physicæ auscultationis in commento 22. inquit, quod ad disputationem duo exiguuntur; vnum vt eorum qui aduersantur, conclusionibus contradicatur; aliud vt ipsorum argumenta dissoluantur: quæ duo Aristotelem contra Parmenidem & Melissum seruasse, ibidem Commentator paucis verbis ostendit, hunc eundem ordinem in proposita quæstione nos etiam ex parte seruauimus, dum in superiori lectione aliorum sententias repulimus: etenim alienas sententias rationibus repellere, quid aliud est quàm ipsorum conclusionibus contradicere? nūc superest, vt ea argumenta soluantur, quę veritati opponūtur. sed quoniam rei veritas non nisi ex aliqua elucida-

ta conclusione clarescit, ideo ipsam conclusionem elucidare necessarium est, ex qua innotescat nobis, quid in libello Porphyrij subiectum constituatur, verumenimuero vt ea quæ sũt dicenda faciliori intelligentia cõprehendãtur, ideo quædã notãda apponũtur.

Sit igitur primum notandũ. Prædicabile & Vniuersale propriè sumptum sunt idem secundum rem, quia est eadem natura cõmunis, quę vniuersalis & prædicabilis nuncupatur; ratione tamen differunt, nam dicitur Vniuersale inquantum aptum natum est esse in multis, prædicabile vero prout aptum natum est prædicari de multis: & quia esse in multis pręcedit naturaliter prædicari de multis, non enim aliquod prędicatum verè de aliquo enunciatur, nisi illi insit, ideo ratio Vniuersalis rationem prædicabilis præcedit.

Sit secundum notandum Vniuersale prout ad hanc quęstionem spectat, bifariã sumitur, vno modo pro re substrata, idest pro ipsa natura secundum se, & absolutè considerata, alio modo pro eadem natura quatenus secundæ intentionis subijcitur, & ab hac denominatur, exempli gratia Animal & homo, quia sunt vniuersalia, quo ad substratum non significant aliud nisi naturam Animalis & hominis, vt S. Thomas in tractatu de ente capite quarto dicit, sed prout secundę intentioni subijciuntur, tunc ab ipsa, genus & species denominantur.

Sit tertium notandum. Duplex definitio ipsius Vniuersalis ab Aristotele assignatur, vna in lib. 7. meth. ca. 13. qua dicitur, Vniuersale est, quod aptũ est vt pluribus insit; altera in libro 1. Perihermenias, cap. 5. scilicet, Vniuersale est, quod de pluribus prædicari aptum natum est inter has definitiones hoc interest, quod prior per causam, & posterior per effectum assignatur, quod facillimè explanatur. Causa etenim, cur aliquid de multis verè affirmari possit, ideo est, quia illud re ipsa in multis reperitur, alio-

A quin de illis verè affirmari nequaquã posset, si in eis non esset: nam si verum est affirmare quod Sortes sit homo & Animal, verum est etiam naturam hominis vel Animalis in Sorte esse, ab eo enim quod res est, aut non est, oratio dicitur vera vel falsa, inquit Aristoteles in capite de substantia: ex his quæ dicta sunt, satis apertè colligitur prædicari de multis præsupponere Vniuersale esse in multis, & illud ab hoc vt passio illius emanat:

B & hoc est quod aliqui dicũt videlicet, quod esse in multis dicit naturam & essentiam vniuersalis, prædicari autem quia ad illius inesse consequitur, ideo vt passio ipsius se habet: de hac re consule D. Thom. in opusc. 48. cap. 1.

Sit quartũ notandũ omnes scientię circa Vniuersalia consistunt, ratio habetur ex Arist. in lib. 1. poster. c. 7. quia scientiæ, definitiones, & demonstrationes nõ nisi de vniuersalibus habentur, ob quã causã Plato Vniuersalia separata

C constituit, ita Arist. in lib. 7. meth. sibi impingit: verũtamẽ alio & alio modo sciẽtiæ reales & Dialetica de Vniuersalibus peragũt, sciẽtiæ nãq; reales agunt de ipsis secũdũ se cõsideratis, nõ vt secundis intẽtionibus substernũtur, idest tractãt de proprietatibus & cõditionibus rerũ, quæ absque operatione intellectus illis conueniunt, atq; de illis agunt, quatenus nominibus primæ intentionis significantur, exẽpli gratia Phylosophus naturalis considerat ho-

D minem quo ad principia quibus constituitur, & proprias eius passiones vt pote quatenus sit risibilis, quatenus mortalis &c. sed logica agit de Vniuersalibus quatenus secũdis intẽtionibus subijciuntur. i. tractat de cõditionibus & proprietatibus Vniuersaliũ, quæ nõ nisi per operationem intellectus ipsis conueniunt, & quatenus nominibus secundæ intentionis significantur, exẽpli gratia, contemplatur Animal quatenus de pluribus specie differentibus, & hominem quatenus de pluribus differentibus numero prędicãtur,

atque

atque primum nominat genus, & secundum speciem appellat, quæ sunt nomina secundarum intētionum, quæ per operationem intellectus illis conueniunt.

Sit quintum notandum subiectum in qualibet scientia est duplex, vnum quod materiale dicitur, aliud quod formale nuncupatur: subiectum materiale sunt ipsę res, quę in illa scientia considerantur, formale est modus siue ratio communis sub qua illæ res considerantur: exempli gratia in phylosophia naturali, subiectum materiale dicuntur elementa, lapides, plantæ, Animalia, & cætera de quibus naturalis Phylosophus tractat; sed formale dicitur illud quod aliquam rationem in se claudit, sub qua entia naturalia considerantur; v.g. ens aut corpus mobile, nam mobilitas est ratio, sub qua naturalia considerantur, non enim de illis agit phylosophus, nisi quatenus sunt entia mobilia, vel ad ipsum motum, respectum aliquem habent: subiectum materiale pluribus scientijs potest esse commune, formale vero non, vt terra à Naturali & à Geometra cõsideratur, ecce materiale subiectũ pluribus scientijs commune, at ratio sub qua consideratur à Geometra est rotunditas, & à phylosopho grauitas, ecce quod formalitas est alia; & per subiecti formalitatem scientiæ distinguuntur: sed quando nunc queritur quid sit subiectum in libro Porphyrij, de formali est sermo.

Sit sextum notandum subiectũ formale duplex est, vnum quod subiectũ principalitatis appellatur, & est illud quod inter considerata in aliqua scientia est nobilius & dignius, exempli gratia, multa in metaphysica tractantur, nobilius tamen ac dignius sunt substantiæ separatæ, ideo subiectum principalitatis nuncupantur: aliud est subiectum adæquationis, & est illud quod sub se ac sua ratione formali comprehendit omnia, quæ in illa scientia tractantur, & nihil in ea scientia tracta- A tur, quod sub illo non contineatur, vnde hoc subiectum neque sciētiam excedit, neque ab ea exceditur: cuius subiecti conditiones alibi explanabuntur. nunc autem de subiecto adęquationis est quęstio; his dictis, ponantur conclusiones.

Conclusio est hęc: subiectum formale & adęquatum in libro Porphyrij est Vniuersale, quatenus Vniuersale, hanc conclusionem habent Scotus in q.7. & 8. super Porphyrium, Burleus B in calce commentariorum Prologi. Sotus in q.4. Toletus in q.1. super prologum Porphyrij, & multi alij. probatur his rationibus.

1 Primo arguit Scotus, illud est subiectum in aliqua scientia, cui conueniunt illę conditiones, quę ad rationem subiecti constituendam necessariò requiruntur; sed Vniuersali conueniunt conditiones, quę ad rationem subiecti constituendam necessariò requiruntur, ergo Vniuersale est subie- C ctum: minorem sic probat, conditiones principales subiecti sunt tres, prima quod de ipso supponatur quid est, & quia est: secunda si aliqua passio de inferioribus demonstratur, debet primo de aliquo vniuersali tanquam de proprio subiecto demonstrari: tertia, omnia quæ in illa scientia considerantur ad illud reduci debent, sed hę tres conditiones Vniuersali cõueniunt, ergo Vniuersale est subiectum: minorē quo ad singulas partes ad huc pro- D bat, & quo ad primam de Vniuersali supponitur ab Authore in hoc libro quid est, & quia est, tanquam notum & ab Aristotelę sufficiēter diffinitum in libro primo perhierm. & primo posteriorum, alioquin non esset possibile scire de aliqua specie illius, quid est, & quia est, & tamen species eius in hoc loco definiuntur: quo ad secundam, prædicari est passio Vniuersalis, ac per definitionē ipsius Vniuersalis de vnoquoque demõstratur: quo ad tertiam, notum est, nihil in hoc opusculo ab Authore tractari, quod ad ipsum Vniuersale,

uersale,

uersale, aut ad partes, vel passiones, vel essentiam eius reduci non possit.

2 Præterea ad eandem Conclusionem cõfirmandam arguunt alij sic: Illud est subiectum alicuius transactionis, in qua omnes species illius subiecti tractantur, sed in hoc libello tractãtur omnes species Vniuersalis, ergo Vniuersale est huius libelli subiectũ: minor ex eo fit manifesta, quod genus, Species, Differentia, Proprium, & Accidẽs sunt species Vniuersalis, vt in futura ꝓxima quest apertius explanabitur.

1 Sed contra hanc Conclusionẽ arguit Paulus Venetus hanc ratione, subiectum alicuius scientię non debet exire considerationem illius, vt Arist. in li. 1. post. docet, sed Vniuersale exijt considerationem libri Porphyrij, ergo Vniuersale non est huius libelli subiectum: minorem sic probat, Vniuersale est vnum in multis & de multis, sed neque hęc scientia, neque aliqua pars logicę considerat Vniuersale vt vnũ in multis, sed vt vnũ de multis, ergo, &c.

2 Pręterea contra eandem conclusionem arguũt alij apud Burleum sic: Si Vniuersale est huius libelli subiectum; ergo præter quinque Vniuersalia, datur sextum Vniuersale, sed consequẽs est falsũ, ergo & antecedẽs: falsitas apud omnes patet nõ cõcedentes dari sextũ Vniuersale: cõsequẽtia probatur, Vniuersale quod ponitur subiectũ in hoc libro, nõ est aliquod illorũ quinq; Vniuersalium, quia non est maior ratio de vno quàm de alio, ergo pręter illa quinque, datur sextum.

3 Præterea, subiectum scientię cõtinet omnes veritates illius sciẽtię: sed Vniuersale nõ continet omnes veritates eorũ quæ in hoc libro tractantur, ergo Vniuersale nõ est subiectũ: minor probatur, Porphyrius dicit quod indiuiduũ prędicatur de vno solo, quæ veritas sub vniuersali nõ continetur, quia Vniuersale de pluribus dicitur.

4 Si Vniuersale est subiectum, ergo genus est species; sed hoc est falsũ, igitur &c. falsitas nota est, quia genus & species sunt prędicabilia ab inuicem distincta: consequentia est nota, quia Vniuersale se habet vt genus respectu partium subiectiuarum.

A

Sed his rationibus non obstantibus, sustinetur tamen Scoti opinio scilicet Vniuersale est huius libelli adæquatum subiectum, vt iam dictum est, & ad has rationes facili solutione respondetur, vnde Ad primum quod est Pauli, negatur minor, & ad illius probationẽ dicitur quod Vniuersale duobus modis consideratur, vno modo quo ad suam essentiam cuius est esse in multis, & secundum hanc considerationem Porphyrius supponit ipsum iam ab Aristotele alibi definitum, alio modo quo ad suam proprietatem, quę est de pluribus prędicari, & per hanc, tanquam per id quod est nobis notius, ea explicat.

B

Ad secundum negatur consequens: ad cuius probationem respondet Burleus, quod cum dicitur Vniuersale est subiectum, sumitur Vniuersale vt quoddam superius, quod ad illa quinque est commune, & secundum quod ille terminus Vniuersale habet simplicem suppositorum: vnde sicut hoc argumentum non tenet, homo est species, & nullus homo singularis est species, ergo alius homo præter hominẽ singularem est species, ita neque illud argumentum tenet: vel dicatur quod argumentum peccat per fallaciam figuræ dictionis, quia Vniuersale in maiori supponit simpliciter, in minori autem personaliter.

C

Ad tertium respondetur primo ad maiorem, quod subiectum continet omnes veritates, quę considerantur per se in illa scientia; nunc verò indiuiduum non consideratur primo & per se in hoc libello, sed quatenus confert ad cognoscendum ea quæ de pluribus prædicantur, aut quatenus ipsi Vniuersali subijcitur.

D

Ad quartum in futura questione respondebitur, quomodo. s. genus possit esse species, non vt quid sed vt modus: his di-

his dictis, superesset aliam conclusionem proponere, & principalia argumenta in initio quæstionis apposita soluere; sed quia verborum prolixitas tedio afficit eos qui vel audiunt, vel legunt, ideo ad sequentem lectionem ea differre decreuimus: hæc satis.

Dilucidatio 3.

Genus esse subiectum principalitatis in libro Porphyrij manifestatur & argumenta in initio quæstionis apposita soluuntur.

IN omni genere est vnum primum, quod est metrum & mensura omnium existentium in illo genere; propositio hæc famosa, & apud omnes in confesso habita, colligitur ex mente Aristot. in lib. *10.* primę phylosophiæ text *7.* vbi de coloribus exemplū præstat; ex quo ad mentem eiusdem Phylosophi habetur in omni genere entium reperiri vnum primum, penès quod tanquam penes mensuram, reliqua eiusdem generis in entitate & perfectione mensurantur: etenim quemadmodum in genere coloris datur albedo penes quam cæteri colores vel magis vel minus perfecti dicuntur, ita & reliqua entium genera penes speciales considerationes habita per comparationem ad primum in eodem genere, perfectiora aut imperfectiora cognoscuntur & dicuntur: hoc idem etiā in genere entium rationis dici posse, nemo sit qui ambigat, quapropter inter quinq; Vniuersalia, (quę sunt rationis entia) dari vnum primum, quod sit reliquorum mensura & metrum ita vt per comparationē ad ipsum reliqua perfectiora vel imperfectiora cognoscantur & dicantur, ab omnibus tanquam notū cōceditur: imo quod in ea scientia in qua huiusmodi Vniuersalia considerantur, illud primū vocari possit subiectum principalitatis, quod est illud quod inter considerata in aliqua

A scientia est nobilius & dignius, (sicut in sexto notando superioris lectionis explanauimus) huic nostræ positioni nullus sanę mentis aduersabitur. igitur vbi exposuimus Vniuersale esse subiectum adæquationis in hoc libello, quē Porphyrius edidit, quęritur nunc inter hæc quinque Vniuersalia nēpe Genus, Species, Differentia, Proprium, & Accidens, quid sit dignius ac nobilius, ita vt in hoc libello, subiectum principalitatis denominari possit, vnde & reli-

B qua ad ipsum comparata, magis minusve perfecta in ratione Vniuersalis, vel prædicabilis cognosci & dici possint: & ad huius quæsiti intelligentiam, ponatur hæc conclusio.

Inter quinque Prædicabilia siue Vniuersalia à Porphyrio in hoc opusculo assignata, genus est nobilius & perfectius, vnde meritò principalitatis subiectum in hoc libello nuncupatur: probatur conclusio his medijs.

1 Primo per definitionem ipsius

C Vniuersalis sic, Vniuersale est illud quod est aptum natū esse in multis & dici de multis, vt colligitur ex lib. 1. post. ergo illud quod magis participat naturā Vniuersalis, est perfectius & nobilius Vniuersale; sed Genus magis participat naturā Vniuersalis, quā reliqua Vniuersalia, ergo Genus est perfectius & nobilius Vniuersale: minor probatur, & primo respectu speciei, Genus est aptū natum esse in pluribus & dici de pluribus, quam species, ergo genus

D magis participat naturam Vniuersalis, quā species, consequens ex definitione Vniuersalis patet: Antecedens probatur, in omni directa prędicatione oportet aut æqua de Equis, aut maiora de minoribus prędicari, vt Porphyr. in capite de specie scribit, sed genus prędicatur de suis speciebus & de omnibus indiuiduis earum, & non econtra, ergo est in omnibus speciebus & indiuiduis earū, nam prædicari supponit esse, ad hoc vt sit vera oratio. Deinde respectu aliorum Vniuersalium, genus est perfectius, quia Genus prędicatur in quid & reli-

reliqua tria in quale, modo prædicari
in quid est perfectius prædicari, cũ di-
cat essentiã, quã in quale, quod quali-
taté dicit, ergo, &c. conclusio hęc clara
est, & nulla alia probatione indiget; &
ex hac fit notum quod cum genus sit
perfectius, reliqua dicuntur magis &
minus Vniuersalia vel secundum esse
in multis, vel secundum dici de mul-
tis, per comparationem ad ipsum ge-
nus, quod principalitatis subiectum in
hoc libello nuncupatur.

1 Sed contra hanc conclusioné ar-
guitur his rationibus: species est quid
nobilius genere, ergo species erit sub-
iectum principalitatis: cõsequentia ex
dictis patet; antecedens probatur, To-
tum est perfectius quacunq; parte ipsũ
componéte, sed species est quoddã to-
tũ, & genus est pars materialis ipsius,
ergo, &c. minor est Porphyrij in capite
de differétia dicẽtis, quod sicut statua
cõstat ex ære & figura, ita homo cõmu
nis. i. species ex genere vt ex materia,
& ex differentia vt ex forma cõficitur.

2 Pręterea species est causa gene-
ris, ergo est quid nobilius ipso genere:
consequentia est manifesta ex illa pro-
positione cõmuni, & habetur ex Auer-
roi in lib. 2. physicorum comm. 4. Cau-
sa est nobilior seu perfectior causato:
antecedens probatur, Genus non re-
sultat nisi à duabus speciebus contra
distinctis, & comparatis per operatio-
nem intellectus ad illud in quo conue
niunt, quod deinde Genus appellat, er
go genus à speciebus causatur.

3 Præterea cõtra eandé conclusio-
né, probatur quod Differentia non sit
minus Vniuersale quam genus; Genus
non reperitur pręter suas species & in-
diuidua earum, vt Aristot. in libro 7.
metaphys. textu 43. scribit, ergo neque
Differentia reperitur pręter illas spe-
cies & indiuidua, consequẽs fit manife
sta quia Genus non contrahitur ad spe
cies nisi per differentias, vt Porphyr. in
calce capitis de differentia scribit.

Ad primum negatur antecedens, &
ad illius probationem, respondetur
A quod Porphyrius eo in loco non dicit
quod genus sit materia speciei; sed
quod genus est proportionale mate-
riæ, & differentia formæ, alioquin ge-
nus non prædicaretur de specie essen-
tialiter, & in recto, vt per pulchrè scri-
bit Alexander in libro 2. quæstionum
naturaliũ: sed intelligitur quod genus
comparatur ad differentiam, vt poten-
tia ad actum, sed de hac re in eodem
capite apertius disputabitur.

Ad secundũ respondetur quod quin
B que Vniuersalia duobus modis consi-
derantur, vno modo quo ad resulta-
tionem ipsorum, quę fit vel per abstra-
ctionem, vel per comparationem ipso-
rum ad inuicé vt dictum est, sed iuxta
hanc considerationem non consideran
tur in hoc libello, alio modo conside-
rantur in ratione prædicationis, & sic
negatur quod species sit causa generis:
imo genus prædicatur de specie essen-
tialiter, & in recto, vnde Porphy. in ca.
de specie appellat genus totũ, per com
C parationem ad specié, quia continet li
cet indistinctè, totũ quod est in specie.

Ad tertium negatur consequentia;
& ad illius probationem distinguitur,
quod Genus dupliciter consideratur,
vno modo secundum suam simplicem
suppositioné, idest quatenus designat
vnam formã distinctam à reliquis for-
mis Vniuersalium, & ita genus abstra-
hit ab omnibus speciebus & differen-
tijs: alio modo contractè, idest qua-
tenus per differentiam contrahitur ad
D hanc & ad illam speciem; & penès
hanc secundam considerationem in
quocunque reperitur genus, reperitur
etiam differentia: sed nunc sumitur
genus penes primam cõsiderationem,
& ita genus est Vniuersalius quàm sit
Differentia, imo quodcunque aliud
Vniuersale: his in pręsenti ita solutis,
(cum horum argumentorum materia
sepe sepius in hoc opusculo pręmani-
bus habeatur) superest vt argumenta
quæ in initio huius quęstionis apposi-
ta sunt, soluantur, eodem ordine, quo
ibi apponuntur.

Ad primum respondetur quod Porphyrius pollicetur velle tractare de quinque vniuersalibus tanquã de partibus subiectiuis ipsius Vniuersalis, quod est commune ad illa quinque: & hęc quinque definit per prædicari, tanquam per id quod est notius, & ad finem introductionis accomodatius: & per hanc responsionem patet solutio

Ad secundum vel dicatur cum Scoto quod & si Porphyrius non facit mẽtionem explicitè de Vniuersali, implicitè tamen illius meminit, quando assignata generis definitione, illicò ad eius explanationem subdit diuisioné, cuius vnum membrum est de pluribus prædicari, per quod intelligitur Vniuersale in hæc quinque diuisum; sic etiam dicit Toletus in hac quæstione ad primum argumentum.

Ad tertium negatur minor, & ad illius probationem respondetur quod quinque Vniuersalia duobus modis considerantur, vno modo per comparationé ad ipsum Vniuersale sub quo continentur, & ita habent vniuocationem, quia omnibus conuenit in esse multis & de multis prædicari, quod est Vniuersalis ratio & conditio; alio modo secundum specialem naturã vniuscuiusque ipsorum, & ita ratio eorum est diuersa, quia alia prædicantur in quid, & alia in quale, vt suis locis explanabitur: nunc autem iuxta primam acceptioné, sumitur Vniuersale.

Ad quartum, Iam dictum est, non esse necessarium subiectum alicuius specialis scientię, nominari eadem denominatione, qua subiectum totalis scientiæ nominatur, sed satis est quod sit pars subiectiua illius, passiones & conditiones illius participans, nam cum subiectum totius logicæ sint ens rationis, satis est, quod Vniuersale de quo nunc fit sermo, & eius passio scilicet prædicari, sint entia rationis, & sub ente rationis ipsum Vniuersale comprehendatur.

Ad quintum negatur minor, & ad illius probationem negatur minor, ad

A cuius probationem quando dicitur, quod proprium debet conuerti cum subiecto, & Vniuersale est superius ad Proprium quod est vnum prędicabile; Respondetur quod Proprium duobus modis capitur, primo pro prædicato quod est quartum prædicabile, & sic Proprium non conuertitur cũ Vniuersali quia Vniuersale est quid superius ad ipsum, vti ad reliqua quatuor Vniuersalia. secundo modo sumitur Proprium vt sonat propriam passioné ali-

B cuius ex principijs essentialibus ipsius emanãtem, & ita proprium ipsius vniuersalis, cũ eo cõuertitur, quoniã si est Vniuersale, ergo est aptũ natũ de pluribus prędicari, & si est aptũ natum de pluribus predicari, ergo est vniuersale.

Contra hanc solutionem hoc modo instatur, Propria passio est idem quod Proprium quarto modo sumptũ quia conuenit omni, soli, & semper, ergo quomodocunque cõsideretur semper erit quid inferius ad ipsum Vniuer-

C sale, ac per consequens nõ cõuertitur.

Ad hoc argumentũ respõdet Sotus, quod peccat in ęquiuocatione, quia in vno sensu supponit propriũ simpliciter pro quarto prædicabili, & in alio supponit psonaliter. i. pro passione ipsius Vniuersalis: vnde Scotus in q. 6. notat quod cũ prædicari sit Propriũ Vniuersalis, & in esse multis sit illius quidditatiua ratio, tum per hoc potest demõstrari illud hoc modo, Vniuersale est aptum natum esse in multis, ergo &

D prædicari de multis, quod etiam Toletus ad quintum affirmat.

Ad sextũ respondetur primo ad maioré, quod subiectũ cõtinet omnes veritates, quæ tractãtur per se in illa sciẽtia, modo indiuiduũ non tractatur per se in hoc libello, sed quatenus illius cognitio cõfert ad cognitioné Vniuersalium, quorum est de pluribus prędicari: & quando subdit, quod Proprium non dicitur de pluribus, sed de vna sola specie, cuius est Proprium, respondetur satis esse ad hoc quod Proprium sit Vniuersale, quod immediatè

prædi-

prędicetur de subiecto Vniuersali, id est de sua specie, quod est Vniuersale, vt suo loco explanabitur.

Ad septimũ respondet Scotus, quod Diuisio in argumento posita, nõ datur per terminos oppositos, vnde vtrumq; membrum concedi potest, quia intentio, vt intentio est applicabilis rei: & quando obijcitur quod cõsiderare intentionem quatenus intentio, ad metaphysicum spectat: respondet quod metaphys. considerat ens reale, & non rationis; vel considerat intentionem quatenus ens, & non quatenus intentio: quia non sunt idem, intentio inquantum intentio, & intentio inquantum ens: nam intentio cum hac reduplicatione inquantum intentio, cum sit ens rationis, relationem denotat, & tunc illius consideratio ad logicum spectat: sed intentio inquantum ens, esse absolutum sub quadam generali ratione designat; quapropter illius cõsideratio vt sic, ad metaphysicum spectare videtur: & quando in argumento subditur, idem est homo inquãtum homo, & homo inquantum ens: ergo idem est intentio inquantum intẽtio, & intentio inquantum ens: Scotus ad hoc negat similitudinem, cuius dissimilitudinis ratio est, quia intentio vt sic relationem importat, & homo vt sic essentiam absolute signat, an autem apud Scotum hæ propositiones, homo inquantum homo, & homo inquantum ens sint idem, non est huius questionis determinare: hoc namque manifestum est, quod homo vt sic, multas differentias addit supra ens, nempe corporeum, animatum, sensitiuum, rationale: sed Scoto satis fuit argumentum soluere. Ad aliam partem argumenti: in qua dicitur hoc totum (intentio applicabilis rei) est ens per accidens, de quo non est scientia: ergo logicus non considerat Vniuersale vt applicabile rei. Scotus negat quod illud totum sit ens per accidens, eo modo quo homo albus dicitur Ens per accidens: quia ille terminus (res) nõ ca-

A dit in intellectu illius totius vt pars, sed vt terminus illius respectus (applicabile) nam quia applicabile est alicui applicabile, ideo relationẽ designat: ac per cõsequens hæc duo (intẽtio applicabilis) ex vna parte & (res) ex altera, faciũt vnũ totũ extremũ propositionis, q, non est vnũ totũ neq; per se, neq; per accidens, nisi eo modo quo relatiuum & terminus illius faciunt vnum totum.

Ad octauũ solutio habetur ex his, quæ in quarta not. superioris lectionis

B dicuntur, scilicet quod scientię reales tractant de Vniuersalibus secũdũ se cõsideratis, & non vt secundis intentionibus substernũtur, i. tractãt de proprietatibus & cõditionibus rerũ, quæ absq; operatione intellectus illis conueniũt, atq; de illis agũt, quatenus nominibus primę intentionis significantur: sed logica agit de Vniuersalibus, quatenus secũdis intẽtionibus subijciũtur i. tractat de proprietatibus & cõditionibus vniuersaliũ, quæ nõ nisi per operationẽ

C intellectus ipsis insunt, & prout nominibus secundæ intentionis significãtur.

Contra hanc solutionẽ sic arguitur: sciẽtia realis tractat de Vniuersali inquantũ Vniuersale, & logica tractat de Vniuersali inquantũ Vniuersale: quia scientia non est nisi de Vniuersalibus: ergo inter logicam & alias scientias nullum discrimen reperitur.

Ad hoc argumentũ respõdet Sotus in q. 4 conclus. 2. quod illa reduplicatio (inquantum) in his propositionibus

D æquiuoca est: nã in priori intelligitur quod scientiæ tractãt de rebus, inquantũ abstrahunt à singularibus, quod & logica facit: etenim sicut Phylosophus naturalis agit de ente, vel de corpore mobili in cõmuni abstrahendo ab hoc & illo mobili: ita logicus agit de Vniuersali in cõmuni abstrahendo ab hoc & illo vniuersali. i. ab hoc genere & ab illa specie: sed quãdo dicitur, logica tractat de Vniuersali inquantũ Vniuersale, intelligitur inquantum secundę intentioni subijcitur, vt dictum est: & in his questioni huic finis imponatur.

Disputatio 9. de Vniuersalibus.

An Vniuersale sit Genus ad quinque Vniuersalia.

Dilucidatio I.

Argumenta ad partem negatiuam afferuntur: Magni Alberti, & subscribentium, (appositis quibusdam notandis) opinio examinatur; & reijcitur.

POSTQVAM in precedenti quæstione explanauimus subiectum adæquationis in hoc Porphyrij libello esse Vniuersale; nec non inter species eiusdem, subiectum principalitatis esse Genus: superest nunc, vt eam quæstionem absoluamus, quæ ad precedentem subsequitur, scilicet, An Vniuersale sit Genus, veramque generis rationem habeat respectu horũ quinque Vniuersalium, quæ in hoc opusculo à Porphyrio assignantur: cuius questionis absolutio certè haud facilis est: Dialeticorum etenim celeberrimorum, varia sunt placita. nos igitur in hac lectione duo agemus; vnum, ad partem negatiuam argumenta proponemus; aliud, positis quibusdam notatu dignis, eorum afferemus sententiã, qui negatiuam partem defensãt, eamque rationibus reiiciemus, igitur arguitur quod Vniuersale respectu quinque Vniuersalium non sit genus, neque propriam generis rationem habere queat.

1 Nullum Genus prædicatur secundum magis & minus de suis speciebus, quorum est genus; sed Vniuer- A sale prædicatur secundum magis & minus de his quinque vniuersalibus, ergo Vniuersale respectu eorum non est genus: maior est Porphyrij in capite de differentia; minor probatur, genus est magis Vniuersale quàm sint species & differentia, quia inest & prædicatur de pluribus.

2 Confirmatur, Vniuersale nõ prædicatur vniuoce de quinque vniuersalibus, ergo ipsorum non est genus: cõsequentia nota ex definitione generis; B antecedens probatur Vniuersale est aptum natum esse in multis & dici de multis, sed Differẽtia specifica, & Proprium quarti modi, vni soli speciei insunt, & de illa prædicantur, igitur, &c.

3 Preterea, Omne genus diuiditur in suas species per oppositas differentias; sed Vniuersale non diuiditur in quinque Vniuersalia per oppositas differentias, ergo Vniuersale non est corũ genus: maior est Aristot. in lib. 7. metaphys. textu 42. minor probatur, Si C Vniuersale habet differentias oppositas, assignentur quę sint; quod si ipsum prędicari assignetur, tunc obijcitur quod est passio communis, & non differentia Vniuersalis.

4 Præterea, Si Vniuersale est genus ad hæc quinque, tunc duo inconueniẽtia sequũtur: vnum, quod præter quinquẽ Vniuersalia dabitur aliud, & tunc erunt sex: aliud inconueniens quod genus erit species: sed maximum absurdum est ex vna positione oriri incon- D uenientia, ergo Vniuersale non est genus: Primum inconueniens sic probatur, Vniuersale quod ponitur esse genus, vel est idem quod genus primum prædicabile, quod species secundum, quod differentia tertium, quod Proprium quartum, quod Accidens quintum, vel ab his distinctum: si est idem cùm vnoquoque eorum, ergo idem est sui ipsius genus, quod est nouum incõueniens: si ab his distinctum, ergo præter quinque, datur sextum Vniuersale: secundum inconueniens sic probatur, Genus est cui supponitur species,

ergo

ergo si Vniuersale est genus generis primi prędicabiles, tunc genus supponitur ei vt species, & ita genus erit species.

5 Quod si cõcedatur hęc quinque prædicabilia esse species: tũc arguitur, ergo hæc quinque prędicabilia sunt in aliquo determinato prędicamento: sed falsum est, quinque prędicabilia sub determinato prædicamento contineri, ergo non sunt species, & ex cõsequenti Vniuersale non est ipsorum genus: consequentia probatur, quia omnis species sub aliquo determinato prædicamento continetur: falsitas deinde manifestatur: hęc quinque prædicabilia sunt communia omnibus prædicamentis, quia vnumquodque prædicamentum est coordinatio plurium prędicabilium secundum sub & supra.

6 Preterea, Si Vniuersale est genus ad hęc quinque Vniuersalia, ergo hęc quinque Vniuersalia sunt vnius & eiusdem generis; sed consequens est falsũ, ergo & antecedens: cõsequentia probatur authoritate Arist. in lib. 5. metaphys. vbi inquit, eadem genere sunt, quęcunque sub eodem genere continentur: falsitas hoc modo manifestatur; quæ sunt eiusdem generis participant eãdem genericam definitionem; sed non omnia quinque Vniuersalia participant eandem Vniuersalis definitionem, ergo non sunt eiusdem generis: minor adhuc probatur, Vniuersale est aptum natum esse in multis, & dici de multis: sed Proprium vni soli speciei inest: ergo, &c.

Albertus cognomento Magnus in tractatu secundo prædicabilium ca. 9. Paulus Venetus in capite de genere, notando primo: Doctor Parisiensis Petri Hispani expositor, super tractatum secundum in comento secundo notãdo quarto, quos deinde quidã Iuniores sequuntur; arbitrantur Vniuersale respectu quinque Vniuersalium, non prædicari vniuoce, nec purè ęquiuoce, sed analogice; & per consequens Vniuersale non esse ipsorum genus, neque generis propriam rationem habere: sed vt huius opinionis modus dicendi facilior iunioribus reddatur, ideo paucis verbis videndum est, & vt ad rem attinet, quę Equiuoca, quę Vniuoca, quæ ve analoga dicantur, atque de æquiuocatis, Vniuocatis, & Analogatis sermo noster semper intelligatur.

Sit igitur primum notandũ Aequiuoca (texte Aristotele in prædicamẽtorum preludijs) illa dicuntur, quorum nomen solum est commune, & secundum illud nomen ratio substantię est diuersa: exempli gratia, Animal significat Animal viuum, & pictũ; dentur igitur duo leones, quorũ vnus sit viuus, & alter in pariete pictus, si quęratur quid his sit commune, patebit quod solum nomen scilicet Animal est eis commune, quo vtrunque ipsorum Animal nuncupatur: demonstrato enim leone in pariete picto, dicitur de eo quod est terribile Animal, quod etiam de leone viuo asseritur: at si ratio substantię vtriusque requiratur secundum illud nomen, id est inquantum Animal vocantur; tunc manifestũ est quod ratio leonis viui, quatenus Animal, est diuersa à ratione Leonis picti, quatenus dicitur Animal: de primo enim dicetur, quod est substantia animata sensitiua: at de alio affirmabitur quod sit similitudo substantiæ animatę sensitiuę: ecce igitur quod æquiuoca solum nomen habent commune, vnde dicuntur ęquiuoca quasi ęqua aut simili voce vocata, ratio vero substantiæ secundum illud nomen est diuersa, Vniuoca deinde dicuntur illa, quorum nomen est commune, & secundum illud nomen ratio substantiæ est eadem: & in hoc Vniuoca ab æquiuocis distinguuntur, quod hæc sub eodem nomine habent substantiæ rationem diuersam, illa vero sub eodem nomine habent substantiæ rationem eandem: exempli gratia hoc nomen Animal homini & Equo est commune, vtrunque etenim eorũ, Animal

nuncupatur; similiter & ratio substantiæ secundum illud nomen est vtriusque eadem, quia quemadmodum homo inquantum Animal est substantia animata sensitiua, ita Equus inquantũ Animal est substãtia animata sẽsitiua.

Sit secundum notandum, quamuis Analogia sit multiplex, atq; illius multi gradus reperiantur, tamen quia huius tractatus non est hoc negocium dilucidare (nam in prędicamentorum preludijs explanabitur, interim de eo cõsule Ammonium in capite de æquiuocis) satis sit exponere, quę apud latinos, analoga communiter dicuntur: igitur nomẽ analogum est illud, quod pluribus est commune, tamen de illis dicitur secundum prius & posterius, ita vt analogum nomen semper significet vnum per prius, & alia per posterius, & de vno prius quàm de alijs dicatur, imo per attributionem & comparationem ad illud vnum de alijs dicitur; quod vnum simpliciter & absolute, id est absque vllo respectu ad alia dicitur tale, cætera vero non nisi per attributionem ad illud, talia dicuntur: hinc fit vt Analogata illa dicuntur, quorum nomen & definitio secũdum illud nomen, sunt communia secundum prius & posterius. exemplum sumitur ex Aristotele in libro quarto metaphys. textu 2. Sanum (inquit ille) de multis dicitur, videlicet de Animali, de medicina, de dieta, de vrina, vnde verum est dicere Animal est sanũ, medicina sana, dieta sana, vrina sana: sed Animal simpliciter & absolute, & absque vllo respectu ad reliqua quæ dicuntur sana, dicitur sanum, cætera autem non nisi per respectum ad Animal dicuntur sana: nam medicina dicitur sana, quia est sanitatis in Animali effectiua, dieta sana quia est sanitatis conseruatiua; vrina sana, quia est sanitatis significatiua: vnde sanum secundum nomen est secundum rationẽ dicitur per prius de Animali, quod subiectiuè & formaliter est sanum; de alijs autem dicitur per posterius, & A non nisi per attributionem ad Animal, quod est formaliter tale.

Sit tertiũ notandum ex D. Th. p. p. q. 13. art. 5. & est etiam sentent. Auerr. in lib. 4. meth. com. 2. quod ratio siue diffinitio Analogorum, est media inter diffinitionem purè æquiuocorum, & simpliciter Vniuocorum, vnde non est totaliter diuersa sicut in æquiuocis nec omnino eadem sicut in vniuocis; sed secundum illud nomen est aliquo modo eadem, & aliquo modo diuersa, B seu secundum quid eadem, & secundũ quid diuersa; v. g. in eodem exemplo, Animal, medicina, & dieta sunt Analogata sub sano, vnde habent nomen commune, omnia dicuntur sana: & diffinitio eorum inquantum sunt sana, est aliquo modo eadem & aliquo modo diuersa: Animal n. dicitur sanum, quia est habens sanitatẽ; medicina inquãtũ sana, est causa sanitatis; dieta inquantum sana, est conseruatiua sanitatis: sunt ædẽ aliquo modo hæ defini- C tiones quia in omnibus includitur sanitas; & propter hoc dicitur quod Analoga habent definitionẽ cõmunem secundum illud nomen: & sunt diuersę aliquo modo, quia diuersis modis sanitatem respiciunt, Animal vt sanitatis subiectum, medicina vt sanitatis effectiua, dieta vt conseruatiua, vrina vt significatiua: quapropter sicut nomen Analogum est medium inter purum ęquiuocum, & vniuocum, ita Definitio Analogorum media est inter definitiones æquiuocorum, & vniuocorum. D

His positis tanquam cognitu necessarijs ad magni Alberti positionẽ percipiendam, superest nunc vt illius sententia exponatur: Etenim Albertus videns rationem & definitionem Vniuersalis, quę est, aptum natum esse in pluribus, & de pluribus prędicari, prius vni quàm alteri conuenire, neque equè perfectè in vnoquoque vniuersali reperiri, sed illius naturã perfectiori modo ab vno, quàm ab alijs participari ideo arbitratur Vniuersale non vniuocè de illis quinque vniuer-

salibus,

salibus prædicari, ac per consequens veram & propriam generis rationem respectu illorum non habere: quod autem Definitio Vniuersalis perfectiori & nobiliori modo in sit quibusdã eorum, sic manifestat: Genus & species perfectiori & nobiliori modo insunt, & prædicantur de suis inferioribus, quam reliqua tria Vniuersalia, per modum namque substantiæ, & substantialiter insunt, & prædicantur, cætera vero per modum qualitatis; quamquam differentia à reliquis duobus scilicet à Proprio & ab Accidente distinguatur, quod illa per modum qualitatis essentialis se habet, & prędicatur, & hęc qualitatem simpliciter significant: tũc subinfert Albertus, Genus quatenus genus æquè perfectè à suis speciebus participatur, & de illis eqnè prędicatur; vnde Porphyrius in capite de Differentia, in quarta diuisione eiusdem inquit quod genus non prędicatur magis & minus, de eo cuius est genus: ergo sequitur quod Vniuersale respectu quinque Vniuersalium nullo modo sit genus neque generis ratioнẽ propriam habere possit, & ita non vniuocè sed analogicè de illis prædicatur.

Quod autẽ Vniuersale dicatur prius de genere & de specie, quã de reliquis: & quod inter hæc quinq; vniuersalia sit ordo prioritatis & posteritatis, Paulus Venetus hoc modo explanat: Aristot. in lib. 1. post. inquit Vniuersale est vnũ in multis & de multis, ergo eo modo Vniuersale prædicatur de quinque Vniuersalibus, quo inuenitur in eis vnũ in multis & de multis; sed esse vnũ in multis & de multis inuenitur prius in genere & in specie, quã in reliquis tribus, ergo Vniuersale prius generi & speciei inest, & de illis prædicatur, quã de reliquis: minorem sic probat, qualitas præsupponit substãtiam, ergo prędicari in quale pręsupponit prędicari in quid: antecedens est Aristotel. in libro 7. meth. textu 4. vbi ait quod substantia est prior accidente, ratione, natura, cognitione, & tẽpore: consequens

A probatur, prędicari in quid, est prędicare substantiam per modum substantię, & prędicari in quale, est dicere qualitatem per modum qualitatis; sed genus & species prædicantur in quid, & reliqua tria in quale vt patet per Porphyrium, ergo Vniuersale prius inest & dicitur de genere & de specie, quam de reliquis tribus.

Pręterea quod prius insit & dicatur de Differentia, quàm de Proprio & de Accidente ita manifestat, Accidentale præsupponit essentiale, ergo

B Proprium & accidens supponunt differentiam: consequentia probatur ex eo quod Differentia prædicatur in quale essentialiter, & Proprium & accidens in quale accidentaliter.

Item quod Prius insit & dicatur de Proprio quã de accidente sic declarat; illud quod est per se, est prius eo quod est per accidens, sed Proprium est prędicatum per se, & accidens est prędicatum purè per accidens, ergo propriũ

C est prius accidente: maior est Arist. in libro secundo physicorum textu 66. minor etiam est Aristotelis in libro primo posteriorum textu 9. & ita concludit quod esse vnum in multis & de multis, inuenitur prius in genere quã in specie, quia Genus est prius quã species; & prius in specie quã in differentia: & prius in differentia quã in Proprio; & prius in Proprio quam in accidente; ac per consequens Vniuersale non vniuocè, sed Analogicè de quin-

D que Vniuersalibus prædicatur.

1 Sed contra hanc opinionem, Scot. in q. 8. Vniuersalium, specialiter cõtra rationẽ Magni Alberti hoc modo arguit: Si ratio, quã opinio adducit, valet, nẽpe Vniuersale ideo analogicè predicari de quinque Vniuersalibus, quia nõ equè perfectè ab illis participatur; ergo sequitur q. omne genus sit Analogũ, sed consequens est falsum, ergo & antecedẽs ex quo inducitur: falsitas ex se ipsa satis manifesta apparet, multa etenim sũt genera quæ vniuocè insũt & prædicãtur: cõsequẽtia probat, nullum

nullum genus reperitur, cuius species sint ęquę perfectæ: species namq; Animalis ita in perfectione diuersificantur, quod homo est Equo perfectior, & Equus Asino.

2 Confirmatur species entium se habent sicut & numeri, ita scribit Aristoteles in lib. 8. meth. text. 10. sed sub genere numeri non reperiuntur duæ species numerorum equè perfectę, ergo neque alterius generis species sunt æqualis perfectionis.

3 Præterea, Contra eandem conclusionem ab alijs arguitur sic, Species sub eodem genere constitutæ distinguuntur ab inuicem per suas proprias differentias constitutiuas, ita scribit Porphyrius, Differentia est, quod est aptum natum diuidere ea, quæ sub eodem genere sunt; ergo eodem modo species se habent ad perfectionem & imperfectionem, quemadmodum se habent differentię ipsarum specierum constitutiuæ & generis diuisiuæ; sed impossibile est duas differentias generis diuisiuas, & specierum constitutiuas esse æquè perfectas, ergo & duas species ęqualis perfectionis sub codē genere reperiri, impossibile est; quod autem Differentiæ nō sint equè perfectę, sententia est Aristot. in li. 10. metaphys. text. 24. vbi inquit, quod differentiarum alicuius generis per se diuisiuarum, vna habet se vt habitus, altera vt priuatio: quæ quomodo intelligatur in calce capitis de specie explanabitur.

Si quis obijciat, quomodo genus prædicatur vniuocè de suis speciebus, si perfectiori modo in vna specie, quā in alia reperitur. Respondetur quod genus participari perfectius ab vna specie, quam ab alia non facit analogiam, neque logicam vniuocationem tollit, quia non ex natura ipsius generis prouenit, quod modo perfectiori in vna specie, quam in alia reperiatur, nam cum genus habeat modum potentialitatis, nullos habet in se gradus perfectionis, secundum quos partici-

A pari possit secundum magis & minus; sed ex conditione ipsarum Differentiarum id accidit, & quas ipse species sumunt quodam modo à genere per illius diuisionem: quæ quidem differentiæ, quia proportionantur formis specificis, quarum vna semper est altera perfectior, ideo vna species sub eodem genere est semper altera magis perfecta: vnde ad argumentum formaliter respondetur, quod generis alicuius species bifariam considerantur, pri

B mo quatenus in eodem genere cōueniunt, & ita vna non magis participat generis natura quàm altera, neque genus perfectiori modo reperitur in vna quàm in alia, vnde esse substantiā animatam sensitiuam æque perfectè reperitur in homine & in Equo, quatenus Animal sunt: secundo modo considerantur ratione propriarum differentiarum, quibus ipse species constituuntur & ita vna est perfectior altera; sed genus quatenus genus ab omni-

C bus differētijs abstrahit, vt in hoc opusculo persæpe explanabitur.

Ad rationem Pauli Veneti, simulq; magni Alberti, multipliciter respondetur; primo quod prioritas & posterioritas specierum non impedit generis vnitatem; sententia est Auerrois in lib. 12. metaphys. comm. 2. vbi habet hęc verba, multa enim quę sunt eiusdem generis sunt priora ad inuicem: vnde quidam Thomistarum rectè in-

D quiunt, quod si prioritas & posterioritas specierum ad inuicem comparatarum tolleret vniuocationem generis, tunc numerus non esset genus numerorum, quorum alij sunt priores & alij posteriores, imo hi sunt prioribus perfectiores.

Secundo respondetur, quod Vniuersale duobus modis consideratur, vno modo inquantum abstrahit ab hoc quod est prędicari essentialiter, & accidentaliter, in quid, vel in quale, de differentibus specie, aut de differentibus numero; alio modo inquantum per has differentias cōtrahitur ad hoc

& ad

& ad illud Vniuersale: primo modo non prædicatur secundum prius & posterius, neque secundum perfectius vel imperfectius: sed sic consideratum dicit vnam communem rationem, quæ est esse in multis, ac proinde de pluribus prædicari, & ita habet rationem generis, vt eadem ratio in omnibus saluatur; sed secundo modo inest, & prędicatur secundum prius & posterius; at hoc modo est genus contractũ per differentias, seu per proprias passiones vniuscuiusque loco differentiarum; quemadmodum Animal per rationale ad hominem & per irrationale ad brutum contrahitur, & penès perfectionem vel imperfectionem ipsarũ differentiarum, perfectiori vel imperfectiori modo inest: reliqua vero quæ ad propositam quæstionem spectant, in proxima sequenti lectione dilucidabantur: nunc dictum sit satis.

Dilucidatio 2.

Vniuersale propriam generis vniuoci, rationem habere ostenditur, ad cuius conclusionis intelligentiam, tria notanda assignantur; & argumenta principalia diluuntur.

LEgitur in Apologia Socratis, delectabilia non perfectè cognosci, nisi & apponantur tristia; & bonum non nisi per malum; ideo propositio illa cõmunis exorta est, Opposita iuxta se posita, magis elucescunt: Sic quoque nos in præsenti dicemus, verum non perfectè cognosci, nisi ex appositione falsi. Idcirco inquirentes an Vniuersale sit genus vniuocè dictum, ad quinque Vniuersalia, quę in hoc õpusculo à Porphyrio assignantur; Magni Alberti, Pauli Veneti, nec non quorundam aliorum opinionem in pręcedenti lectione adduximus, & explanauimus,

A camque vti ab ipsa veritate longè positam, rationibus ac solutionibus reiecimus: qua tandem reiecta, vt ipsa veritas magis elucescat, hanc conclusionem in pręsentiarum statuimus, & rationibus ad aures Phylosophorũ confirmamus; videlicet, Vniuersale est genus, & vniuocè prędicatur de quinque Vniuersalibus, in hoc libello à Porphyrio assignatis. hanc conclusionem habent Scotus in q. 8. Vniuersalium, Dominicus Soto in capite de genere in B q. vnica, in solutione quarti argumenti. Toletus super prologum in q. 2. Aemilius Vallimbrosanus in libro secundo q. logicalium, in q. 4. & tandem pleriq; Iuniores hanc sententiam sequuntur.

Ad cuius conclusionis perceptionem, necessarium est meminisse eorũ, quę in alia lectione de vniuocis dicuntur, scilicet quod Vniuoca sunt illa quorum nomen est commune, & ratio substantię secundum illud nomen C est eadem; vt homo & Leo sunt Vniuoca respectu Animalis, quoniam in nomine & in vna ratione Animalis cõueniunt, nam vtrumque dicitur Animal, & quatenus Animal sunt substantia animata sensitiua: ex quibus colligitur, quod ad vniuocum logicũ tres conditiones requiruntur, quarum prima est, quod illud vniuocum vniuocatum, (de hoc est sermo) comparatum ad sua inferiora de quibus prædicatur, dicat vnum conceptum respectu illo- D rum, quorum est Vniuocum, quia vniuocum formaliter consideratum sua vniuocata respicit, ideo respectu ipsorum vnum conceptum dicit. secunda est, quod Vniuocũ participetur à suis inferioribus, secundum vnam & eandem rationem, ita quod ratio illius communis in se cõsiderati priusquam suis inferioribus comparetur, quando deinde illis attribuitur, seruetur eadẽ ratio in omnibus suis contentis, & per hoc differt vniuocum ab æquiuoco, quod hoc secũdum diuersas rationes respicit ea quæ sub ipso continentur:

Tertia est, quod illa ratio ęque repre-
sentet omnia contenta, & sine ordine,
puta quod ratio Animalis quod vni-
uocè dicitur de homine & de leone,
quantum sit ex se, ęque conueniat ho-
mini & leoni, ita vt in ratione Anima-
lis vnum non sit prius nec perfectius
altero.

Sit secundum notãdum, species sub
aliquo genere vniuoco positæ, duobus
modis considerantur, vno, per com-
parationem ad ipsum genus sub quo
continentur, & quod de ipsis prædica-
tur; & penès hanc cõsiderationem nul
lus ordo prioritatis & posterioritatis,
vel gradus perfectionis aut imperfe-
ctionis inter ipsas species reperitur:
non ordo prioritatis vel posteriorita-
tis, quia cum ex equo diuidant ipsum
genus, sunt simul natura, vt docet Ari-
stoteles in post prędicamentis capite
de simul, Animal enim quantum est
ex se non hominem prius quam leo-
nem respicit; neque homo inquantum
Animal ponitur sub Animali prius-
quam leo inquantum Animal; atque
sic ęquali gradu perfectionis Animal
de ipsis dicitur, cum vtrunque inquan
tum Animal, sit substantia animata
sensitiua: alio modo cõsiderantur spe-
cies per comparationem ad inuicem,
quatenus scilicet vna species alteri cõ
paratur, vt puta homo leoni, Equo, vel
Asino: & penès hanc considerationem
nihil prohibet inter species vnius ge-
neris reperiri, prius & posterius, perfe-
ctius & imperfectius, quorum neutrũ
generis vniuocationem tollit: si nam-
que prioritas vniuocationem aufer-
ret, tunc species numerorum, quarum
vna est prior altera sub eodem genere
vniuoco non ponerentur: & si perfe-
ctio & imperfectio vniuocationem im
pedirent, tunc homo & leo sub Ani-
mali non continerentur: ex conditio-
ne enim propriarum differentiarum
hoc prouenit vt in superiori lectione
dictum est.

Sit tertium notandum, quod etiam
in præcedenti lectione ad rationem
A Pauli, ex parte ponitur. Vniuersale
duobus modis consideratur, vno mo-
do inquantum abstrahit ab hoc quod
est prædicari essentialiter & Acciden-
taliter, in quid vel in quale, de differen
tibus specie, aut de differentibus nu-
mero; quibus abstractis remanet Vni-
uersale in sua simplici natura quæ
est esse in multis & dici de multis, ita
ab Aristotele in lib. 1. poster. definitur:
quemadmodum Animal abstractis dif
ferentijs, nempe rationali & irrationa-
B li, est solùm substantia Animata sen-
sitiua: alio modo consideratur Vniuer
sale inquantum per illas differentias
contrahitur ad hoc & illud Vniuersa-
le; v.g. per prædicari de pluribus diffe-
rentibus specie in quid contrahitur ad
genus; de pluribus differentibus nume
ro in quid ad speciem; per dici de plu-
ribus differentibus specie in quale ad
differentiam; per prædicari in quale
conuertibiliter ad Proprium; in quale
non conuertibiliter ad Accidens: sicut
C Animal per rationalitatem contrahi-
tur ad Hominem, & per irrationalita-
tem ad brutum.

His hoc modo explanatis, probatur
cõclusio posita, scilicet Vniuersale est
genus, quod vniuocè prædicatur de
quinque Vniuersalibus in hoc opuscu
lo à Porphyrio assignatis: quod sit ge-
nus satis manifestabitur, ex hoc quod
probatur vniuocè prædicari.

1 Illud prædicatur vniuocè, quod
prædicatur secundum idem nomen &
D eandem rationem, ita vt secundum eã
rationem dicat vnum communem cõ-
ceptum respectu omnium illorum de
quibus prædicatur, & æquè perfectè
absque ordine prioritatis & posterio-
ritatis repræsentet ea quę sub ipso cõ-
tinentur: sed Vniuersale prædicatur de
quinque vniuersalibus à Porphyrio as
signatis, secundum idem nomen, & eã-
dem rationem, ita quod respectu ipso-
rum dicit vnum conceptum commu-
nem, atque æque perfectè ea represen-
tat, absque vllo ordine prioritatis &
posterioritatis, ergo Vniuersale prædi-
catur

catur vniuocè de his quinque Vniuerſalibus;ac per conſequens eſt ipſorum genus, quia hæc eſt natura & conditio generis. maior propoſitio habetur ex his quæ in primo notando ponuntur ex doctrina ante predicamentorũ: minor quo ad ſingulas partes manifeſtatur, & primo quo a d nomen commune, quia vnumquodque eorum nuncupatur Vniuerſale, vnde in definitione ſingulorum ſubintelligitur Vniuerſale, vt ſuis locis reſerabitur: quo ad rationem communem Vniuerſalis, quæ eſt, aptum natum eſſe & dici de multis, (abſtractis illis conditionibus) de omnibus vniuocè dicitur, quia vnumquodque ipſorum, quatenus Vniuerſale, eſt aptum natum eſſe, & dici de multis: ex quibus alia conditio pateſcit, videlicet quod Vniuerſale reſpectu quinque Vniuerſalium dicit vnum conceptum communem: quo vero ad alias conditiones fit notum,quod cum Vniuerſale ſumatur nunc, prout abſtrahit ab illis conditionibus, nempe prædicari mediatè vel immediatè, eſſentialiter vel accidentaliter, in quid vel in quale: nõ eſt aſſignare aliquam rationem, qua perfectiori modo, aut prius vni inſit quàm alteri, & de eo prædicetur; ſicut Animal abſtractis differentijs rationale & irrationale, quibus diuiditur & ad ſpecies contrahitur, non eſt aſſignare rationem,cur modo perfectiori & per prius homini inſit, quam boui. hac ratione paucis verbis vtitur Scotus, ſed ad Iuniorum vtilitatem explanatur.

Circa hanc rationem eſt vnum notatu dignum, quod cum dicitur, ſicut Animal dicit vnam rationem communem ad omnia Animalia: & genus dicit vnam rationem communem ad omnia genera; ita Vniuerſale dicit vnam rationem communem ad omnia Vniuerſalia, quæ eſt eſſe & dici de multis, prout abſtrahit, &c. eſt inter hæc aliqua Differentia: nam ratio Animalis, nempe ſubſtantia animata ſenſitiua eſt A prima intentio, & conueniens primis intentionibus, id eſt proprietas rebus conueniens ex natura rei: ſed ratio generis, qua dicitur, genus eſt quod prædicatur, &c. eſt ſecunda intentio attributa accidentaliter primis intentionibus: nam quod Animal, aut color prædicetur de pluribus ſpecie differentibus, non eſt ex ſua natura, ſed ab extrinſeco, & ex operatione intellectus ei accidit, vt ſuo loco dicetur: intentio vero B Vniuerſalitatis eſt ſecunda intentio, conueniens itidem ſecundis intentionibus, tanquam genus ſuis ſpeciebus: quare cum dicitur Genus eſt Vniuerſale, ſpecies eſt Vniuerſale, ſunt prædicationes ſecundarum intentionum de ſecundis intentionibus: nam genus ſpecies vt ſic, ſunt ſecũdæ intentiones, ſicut eſt Vniuerſalitatis ratio eſt ſecũda intentio: de quibus intentionibus in calce capitis de genere erit ſermo.

Sed contra hanc concluſionem fieri C ſolet hoc argumentum: ſubſtantię & Accidenti nihil eſt commune vniuocum: ſed horum quinque Vniuerſalium alia quandoque ſunt in genere ſubſtantię,vt genus,ſpecies,differentia & alia ſunt ſemper in genere accidentis,vt Proprium & Accidẽs, ergo Vniuerſale non dicitur de illis vniuocè, ac per conſequens non eſt ipſorũ genus: maior ſupponitur vt nota ex lib. 4. metaph. de ente quod nõ prędicatur vniuocè de ſubſtantia & de accidente, vt D pleriq; Phyloſophorũ ſentiunt: minor quo ad Proprium & Accidens eſt manifeſta: quo ad alia tria notũ eſt, quod quandoq; prædicatur Animal, homo, Rationale,quorum primum eſt genus, ſecundum ſpecies, tertiũ Differentia, & omnia ſunt in genere ſubſtantiæ.

Ad hoc argumentum duobus modis reſpondetur: & primo negatur maior, ad cuius probationem reſpondetur, quod accidenti & ſubſtantiæ nihil eſt commune vniuocũ reale; fallit autem de communi vniuoco intẽtionali: modo Vniuerſale & prædicabile eſt

com-

commune vniuocum intentionale, sub quo substantia & accidens vniuocantur. Secundo respondetur, cum dicitur Vniuersale est genus, sumitur Vniuersale in communi prout abstrahit tam à genere substantię quam Accidentis: sicut etiam quando Vniuersalia definiuntur à Porphyrio, definiuntur in communi, prout in omni genere reperiuntur: his itaque dilucidatis, cæterisque rationibus dimissis, nunc principalia argumenta soluantur.

Ad primum respõdet Scotus, quod aliud est dicere Genus est magis Vniuersale, vel maius Vniuersale: nõ enim dicitur quod genus sit magis Vniuersale, quia magis dicit intensionem formæ eius, cui adiungitur: sed dicitur maius Vniuersale, quia ad plura extenditur: quemadmodum quaternarius est maior numerus binario, & nõ magis numerus: Vel dicatur negãdo minorem, quod aliud est superius prędicari secundum magis & minus de suis inferioribus, & aliud est aliquod inferius habere diuersum modum prædicandi de his, quæ sub eo sunt, distinctum à modo, quem coespecies suæ habent: ad propositum Vniuersale non prædicatur secundum magis & minus de quinque Vniuersalibus; quia Vnicuique vniuersali conuenit ratio Vniuersalis in communi, scilicet esse & dici de multis, prout abstrahit ab esse & prędicari mediate & immediate vt dictum est: benè tamen est verum, quod genus prædicatur de pluribus quã species: quia cum sint diuersę formæ vniuersales, habent diuersum modũ prædicandi, vt dictum est: nam si omnia sortirentur eundem modum prædicãdi, non essent plures, sed vna species ipsius Vniuersalis, quod est falsum.

Ad secundum negatur antecedens, respondetur ad illius probationem, quod ad constituendam naturam Vniuersalis, satis est quod prędicatũ prædicetur de subiecto vniuersali, nũc dato quod Differentia specifica prędicetur de vna sola specie, cum species sit

A vniuersale, & Differentia erit vniuersale: illud idem de proprio asseritur, vt suis locis explanabitur: vel dicatur quod mediatè dicuntur de pluribus, & hoc sufficit.

Ad tertium negatur minor: & ad illius probationem respondetur quod Differentię quibus Vniuersale diuiditur, & contrahitur ad ipsa Vniuersalia, sunt diuersi modi, quibus ipsa prædicantur: & quando dicitur quod prædicari est passio communis omnibus cõ-

B ueniens; respondetur quod & si prædicari sit passio communis, tamen prædicari hoc aut illo modo, loco propriarum differentiarum constituitur.

Contra hanc solutionem sic arguitur. Genus diuiditur immediatè per duas oppositas differentias; sed modi prædicandi sunt quinque, iuxta numerum quinque vniuersalium, ergo modi prædicandi non sumuntur loco differentiarum, quibus Vniuersale diuiditur: minor est nota: maior probatur,

C quia vni vnum tantum opponitur.

Ad hoc respondetur; quod primi modi prędicandi, quibus Vniuersale diuiditur, sunt duo tantum, scilicet in quid & in quale; vnde omne quod prędicatur, aut prædicatur in quid, aut in quale, vt in sequenti quęstione dicetur: deinde subdiuiduntur.

Ad quartum negatur consequentia id est quod ex hac positione sequantur duo inconuenientia: & ad primum inconueniens, negatur consequentia,

D scilicet, ergo datur sextum Vniuersale: & ad illius probationem respondetur, quod Vniuersale nõ supponit pro aliquo illorum quinque, sed ab omnibus abstrahit, & omnibus est commune, & ab illis non distinctum alio modo, nisi eo, quo superius à suis inferioribus distinguitur: vnde non sequitur quod detur sextum Vniuersale: sicut non sequitur Animal quod est genus, non est homo, neque Equus, ergo est aliud ab illis.

Ad secundum inconueniens respondetur quod in hac prædicatione, Genus

nus est species, vtrunque extremum duplicιter sumi potest, vno modo simpliciter, & tũc propositio est falsa, quia non est eadem intentio generis & speciei; & ideo genus vt genus non est species, quia sunt distincta prædicabilia: alio modo potest accipi vt subiectum in propositione supponat simpliciter, & prædicatum personaliter, & hic sensus est verus: est enim id dicere quod Genus est quædam species sub vniuersali contenta.

A

Ad quintum multiplex solutio afferetur in capite de specie, in ea quęstione, qua quæritur an genus & species sint relatiua: pro nunc autẽ sufficiat distinctio Burlei, qua dicitur quinque pędicabilia esse in aliquo prędicamento, duobus modis consideratur, vno modo denominatiue, alio modo quidditatiue: primo modo sunt in omni prædicamento, & omnia prædicamenta circumeunt, quia in vnoquoq; prædicamento est genus, Species, Differentia, Proprium, & Accidens sed secundo modo sunt in prædicamento relationis reductiue, quia siue considerentur vt Vniuersalia, siue vt prædicabilia, semper ad inferiora, quibus insunt, & de quibus prędicantur, referuntur.

B

Ad sextum negatur falsitas: ad cuius probationem negatur minor: & iterum ad probationem alterius minoris, respondetur, quod omnia quinque Vniuersalia vt sic, habent eandem definitionem genericam Vniuersalis, scilicet esse aptum natum esse in multis & dici de multis, prout abstrahit ab esse & dici mediate vel immediate; essentialiter aut accidentaliter; in quid vel in quale: de differentibus specie aut numero: vt autem vnumquodque ipsorum est species Vniuersalis, sic habet diuersam definitionem: & de hac quæstione dictum sit satis.

Disputatio 10. de Vniuersalibus.

Vtrum Vniuersalia, siue species Vniuersalis sint tantum quinque.

Dilucidatio 1.

Ad vtranque partem argumenta afferuntur, pro quorum intelligentia 4. notanda Proponuntur.

ALIA disputatio de Vniuersalibus discutienda adhuc superest: non quod inter Dialeticos aliqua dissensio de ea, nisi forte in modo di-

C

cendi, reperiatur; sed quia non eo ordine ab illis explanatur, quo hi qui logicę studio initiantur, facile eam assequi queant, propterea illam elucidare decreuimus. questio igitur est de numero Vniuersalium, an plura, pauciorave quinque reperiantur: & vt in dicendis ordo seruetur, ideo priori loco probabimus ipsa Vniuersalia esse pauciora quinque, posteriori autem quinarium numerum ea excedere demõstrabimus: ad primum sic arguitur.

D

1 Genus & Accidens non sunt duo distincta Vniuersalia, ergo Vniuersalia non sunt quinque scilicet Genus, Species, Differentia, Proprium, & Accidens. consequentia probatione nulla indiget: sed antecedens probatur, Color est genus, quod ex hoc probatur, quia prędicatur de pluribus specie differentibus, nempe de albedine & de nigredine, sed color est accidens, cum sit in tertia specie qualitatis, ergo Genus & accidens non distinguuntur; & ita Vniuersalia erunt tantũ quatuor.

2 Pręterea, inter speciem specia-

lissi-

lissimam & Proprium quarti modi, nulla distinctio reperitur, ergo Vniuersalia non sunt quinque: antecedens, quod probatione eget, sic confirmatur: si Proprium esset res distincta à specie; v.g. risibilitas ab homine, tunc ipsum Proprium est alia species ab homine; quod si conceditur, arguitur sic; omnis species habet propriam passionem, ergo Proprium habebit suam passionem; sed hoc est inconueniens, ergo species & passio ipsius non distinguuntur.

3 Præterea, Differentia à Proprio non distinguitur, ergo Vniuersalia non sunt quinque: antecedens sic probatur, Differentia est, qua species abundat à genere, ergo inter Differentiam & Proprium, nulla distinctio reperitur; antecedens probationis probatur, sicut genus in sua ratione non includit differentiam, ita nec Proprium includit; vtrunque tamen in natura speciei intelliguntur.

4 Præterea Aristoteles in lib. 1. topicorum cap. 3. assignat quatuor prædicata tantum, scilicet, Genus, Definitionem, Proprium, & accidens: sed prędicabile & prędicatum sunt idem, ergo Prædicabilia sunt tantũ quatuor.

1 Ad aliam partem arguitur quod sint plura quinque: quot modis dicitur vnum oppositorum, tot modis dicitur & reliquum, vt Aristoteles in lib. 1. topicorum docet: sed Vniuersale & singulare opponuntur, ergo quot sunt singularia, tot sunt & Vniuersalia, sed singularia sunt infinita, ita Porphyrius in capite de specie textatur, ergo & Vniuersalia sunt infinita.

2 Pręterea, Vniuersale diuiditur in hæc quinque Vniuersalia, & non est aliquod ipsorum, ergo est aliud ab eis, & ita erunt sex.

3 Præterea, Indiuiduum vagum, vt quidam homo, prædicatur de pluribus, quia verum est dicere, Plato est quidam homo, Sortes est quidam homo, & non est aliquod ipsorum quinque, ergo datur sextum prędicabile.

A Contra est Authoritas Porphyrij quinque Vniuersalia tantũ assignantis.

Ad resolutionem propositæ quęstionis, sunt qui existimant poni debuisse sextum prędicabile, sed hi diuersa ratione ad hanc positionem mouentur, alij propter indiuiduum vagum; alij vero propter quoddam prædicatum, quod ipsimet, repugnans vocitant: exempli gratia si dicatur homo mortuus, in hac prædicatione, illud prædicatum, mortuus, dicitur de illo subiecto, homo, & non est genus, nec species, quia non prædicatur in quid: non Differentia, quia non designat qualitatem essentialem: nõ Proprium, quia non conuertitur: non accidens commune, quia pręter subiecti corruptionem adesse nequit: ergo (concludunt hi) erit sextum Vniuersale: sed quia de indiuiduo vago in capite de specie, & de illis prędicatis in capite de accidente, sermo habendus est, ideo quæ de hac materia dicenda essent, eo differantur; & ad quæstionis propositæ intelligentiam.

B

C

Sit primum notandum, Vniuersalia, prout ad rem facit, sunt duplicia, alia incomplexa, alia cõplexa: incomplexa ad huc distinguuntur, nam quædam sunt Vniuersalia incomplexa in causando, vt intelligentię, quę dicuntur incomplexa, quia substantię simplices existunt, sicut Aristot. in lib. 12. metaphys. ostendit: & alia sunt incomplexa in prędicando, quę sunt naturę communes aptę natæ esse in multis & dici de multis, vt ex definitione Vniuersalis in lib. 1. poster. posita, colligitur. Vniuersalia vero complexa sunt Definitio & omnes propositiones quæ sunt de prędicato siue essentiali, siue accidentali: nunc autem sermo est de Vniuersalibus in prędicando, quæ sunt naturæ incomplexę, vt genus, species, & huiusmodi.

D

Sit secundum notandum: Prędicabile est duplex, vnum quod dicitur Prædicabile communiter, & est illud quod de vno, vel de pluribus aptum

natum

natum est prædicari, quomodocunque prędicetur siue vniuocè, siue ęquiuocè siue analogicè, siue directè, siue indirectè, siue per se, siue per accidens, & inter hęc prædicabilia indiuiduum etiã connumeratur, quod de vno solo prędicatur: aliud est prædicabile propriè sumptum, & est illud quod in aliquo determinato prędicamento existens, est aptum natum prędicari de multis, non quomodocunque, sed vniuocè, id est secundum idem nomen, & eandem rationem, & de huiusmodi prædicabili intelligitur quæstio proposita.

Sit tertium notandum Accidentia, quamuis non sint entia per se, sed in alio, id est in substantia existant, vt Aristoteles in libro 7. metaphys. textu 4. docet: tamen quando Porphyrius in hoc libello definit prædicabilia, definit ea in communi, prout scilicet sunt intentiones secũdæ applicabiles rebus tam de genere substantiæ, quam de genere accidentis: quapropter sicut in genere substantiæ reperiuntur genus vt Animal; species vt homo & Equus: Differentiæ vt rationale & irrationale; Proprium vt risibilitas & hinnibilitas: accidens vt album & nigrum: ita in genere accidentis hæc omnia reperiuntur, exempli gratia in genere qualitatis, color est genus: albedo & nigredo sunt species, disgregatiuum & congregatiuum visus sint nunc differentię: vnde sicut hæ sunt prędicationes essentiales, homo est Animal, ita vt Animal prædicetur de homine in quid, Sortes est homo: ita & hæ sunt prædicationes essentiales albedo est color, ita vt color prædicetur in quid de albedine: & hæc albedo est albedo: ex quibus solutio ad primum habebitur.

Sit quartum notandum ex Scoto in quęstione 12. Vniuersalium ad primum: quod & si prędicatum & prędicabile sint idem; tamen penès aliam considerationem Aristoteles in libro primo topicorum agit de prędicatis &

A ideo quatuor prædicata tantũ assignat: & penes aliam considerationem Porphyrius agit de illis, ac propterea quinque prædicabilia ponit. ad cuius rei intelligentiam, sciendum quod prædicata duo habent; vnum quod sumuntur respectu speciei cuiuscunque prædicamenti, eo quod ipsa sunt, quibus propositiones terminabiles per artem dialeticam constituuntur, & varia dialeticarum quæstionum genera efficiũtur: aliud, quod ipsamet respectu eorũ,
B quorũ sunt prædicata, habẽt duos modos prædicandi, in quid. s. & in quale: iuxta primam considerationem Arist. assignat quatuor prædicata tantũ, Genus videlicet, quod essentiã dicit, Definitionem quæ speciei naturã explicat; atq; sola species definitur: Proprium q. cum specie conuertitur: accidẽs quod à natura rei excluditur: iuxta secũdam considerationem, cũ aliquid prędicari de aliquo multis modis cõtingat, hinc Porphyrius plura prædicata ponit, vt
C infra dicetur: veruntamen si Aristotelis & Porphyrij verba attendantur, tũc ea quę à Porphyrio tractantur, facile ad illa quatuor prędicata reducentur: species enim quam Aristotel. dimisisse videtur, reducitur vel ad genus, cui ipsa subijcitur, vel ad definitionem eo quod sola species definitur: similiter differentia ad definitionẽ reuocatur, etenim definitio ex genere & ex differentia conficitur. hanc eandem resolutionem habent Paulus Venetus su-
D per prologum Porphyrij ad secundum, Sotus quest. 5, & Toletus quest. tertia de Vniuersalibus in responsione ad primum.

Burleus sub alijs verbis ita dicit, ac distinguit, quod problemata sũt duplicia; quędã de subiectis propriè scibilibus, & ita de subiecto scibili quatuor prædicata tantùm quęruntur, videlicet Genus, Definitio, Propriũ, & Accidẽs: hinc cum species non prędicetur nisi de indiuiduis, quorum non est scientia, ideo species inter prædicata de vere scibilibus non computatur: alia

sũt problemata de prædicatis, tã respe ctu subiecti verè scibilis, quã nõ scibilis dũmodo in quacunq; coordinatione prędicamentali contineantur, & de his prædicatis Porphyrius in hoc opusculo agit, & tractat: his notatis superesset conclusionem elucidare: sed ne sermo prolixus molestiam ferat, ad sequentem lectionem differatur.

Dilucidatio 2.

Conclusio propositæ quæstionis elucidatur: & argumenta ad vtranque partem allata, diluuntur.

IN superiori proxima lectione, proposita fuit quæstio de numero Vniuersalium, siue specierum ipsius Vniuersalis, num plures pauciorésque quinque sint: ad vtranque partem argumenta apposita fuere, & non nulla notanda, ex quibus quæstionis intelligentia habetur, & quorundam argumentorum solutio hauritur: illis positis, superest vt huic quæstioni finem imponamus, qui in conclusionis elucidatione, argumentorumque solutione habebitur, hoc vnum nunc sit notum, quod Dialectici in re ipsa non dissident, fortassis autem in rationibus probandi quinarium numerum dissentire aliquantis per videntur: nos vero qui Iuniorum intellectui consulimus, tribus vijs, scilicet, à modis prędicandi, à similitudine, & à modis existendi in multis, quem alij, modum à priori vocant, numerum quinarium manifestare, confirmareque studebimus.

Sit igitur vnica conclusio probanda: Vniuersalia incomplexa in prædicando, sunt tantùm quinque, scilicet, Genus, Species, Differentia, Proprium, & Accidens. probatur conclusio primo à diuersis modis prædicãdi.

1 Omne prædicatur quod de subiecto dicitur duobus modis tãtùm prædicatur, scilicet, aut in quid, aut in A quale: Si in quid, dupliciter adhuc prædicatur, vel de pluribus specie differentibus, & hoc est genus vt ex ipsius definitione liquet: vel de pluribus differentibus numero, & hoc est species, sicut ex definitione illius omnibus est in propatulo: Si in quale, dupliciter adhuc prædicari contingit; aut prædicatur in quale, quod rei essentiam signat, & hoc est vltima differentia specifica, quę à Porphyrio vocatur Differentia per se, ac propterea in illius B definitione dicitur, quod prędicatur in quale quid: aut in quale quod non dicit rei essentiam: quod duobus modis prędicari contingit; vel hoc accidens emanat à principijs essentialibus speciei, ita vt cum ipsã specie cõuertatur, & hoc est Proprium quartum prædicabile: vel tale accidens est commune, non conuertibile, & à principijs indiuiduorum fluens, & hoc est accidens quintum prædicabile.

C Circa maiorem propositionem huius rationis, quæ continet diuisionem modorum prędicandi, videlicet in quid & in quale: notandum ex Scoto in quæstione 12. & 19. quod sunt modi communissimi, & primi modi prædicandi, imo secundum ipsum sunt differentiæ essentiales, quibus ipsum prædicari diuiditur, & per quos Vniuersale in suas species descendit; ideo diuisio in maiori posita, est sufficiens.

D Circa eandem rationem, notat Scotus vnum scitu dignum; quod cũ prædicari in quid sit prædicare essentiam subiecti, per modum esẽtiæ, id est per modum subsistentis, & non denominantis: hoc dupliciter contingit; vel quid prædicat totam essentiã subiecti, & sic est species: nã si in indiuiduo esset aliquid præter essentiam speciei, tunc duo indiuidua essentialiter different, ac per consequens species per differentias ab illis acceptas, formaliter in ipsa diuideretur, quod est falsum: si vero quid prędicat partem essentiæ, sic est genus: nam si solum genus

nus totam speciei essentiam diceret, tunc ipsum sufficeret ad definiendam speciem: atque differentia superflueret;quod est falsum: definitio namque ex genere & differentia conficitur; vt in libro 7.metaphys. textu 43. Aristoteles scribit: sed quia posset meritò quis dubitare, quomodo genus prędicatur de specie in recto, si totam illius essentiam non dicit; ideo quomodo genus dicat totam speciei essentiam, & quomodo partem, vsque ad literæ interpretationem substineatur: & hæc prima ratio, omnibus dialecticis, communis habetur.

2 Secunda ratio sumitur à simili in composito naturali: ad cuius intellectum sciendum quod sicut se habet compositum naturale puta homo apud Phylosophum, ita se habet compositum intentionale, puta species apud logicum: sed in composito naturali reperiuntur quinque, videlicet, ipsum compositum, materia, forma, Proprium ex ipsa forma emanans, & Accidens quod ex indiuiduali materia oritur: ita in composito intentionali, quinque existunt, ipsa species, Genus quod proportionem materię, & Differentia, quæ vicem formę habet, vt Porphyrius textatur: Proprium quod à principijs essentialibus speciei emanat, & Accidens quod ex indiuidualibus conditionibus oritur: sumitur ratio ex Soto q 5.

3 Tertia ratio à modis existendi in multis, quem alij modum à priori vocant, accipitur & formatur hoc modo. Quicquid est, aut est illud in quo omnia alia insunt, aut sunt ea quę insunt: si id in quo insunt omnia, hoc est indiuiduum, quod dicitur subiectum & fundamentum omnium: si sunt ea quę insunt, vel insunt in vno solo, vel in multis: si in vno solo, hæc sunt indiuidua accidentia, sed de his nunc non fit sermo: si in multis, hæc sunt Vniuersalia. nam Vniuersale est, quod est aptum na-

A tum esse in multis & dici de multis vt passim dicitur: si est in multis, aut intrinsecè inest in eorum essentia, aut extra essentiam extrinsecè adiacet, vt in subiecto: si primo modo, id est intrinsecè inest: aut inest vt totum, aut vt pars; si vt totum, sic est species: si vt pars vel dicit materiam quę se habet in potentia, sic est genus, vel dicit formam, quæ est quidam actus sic est Differentia: si vero inest extrinsecè & in subiecto, vel fluit ab es- B sentia & sic est proprium; vel est in subiecto adueniens ex externis causis, & extrinsecè adiacens & sic est Accidens: sumitur hæc ratio ex Toleto in q.3.de subiecto huius libri,igitur conclusione his tribus medijs elucidata: argumenta principalia soluantur.

Ad primum negatur antecedens: ad cuius probationem respondetur quod color, duobus modis consideratur, vno modo respectu suorum inferiorum, scilicet, albedinis, nigredinis, C cæterorumque colorum, de quibus prædicatur in quid, & hoc modo color non est accidens, sed est genus primum prędicabile: nam vt dicitur in notando tertio pręcedentis lectionis, definitur genus in communi, quatenus est intentio applicabilis rebus tàm de genere substantię, quàm de genere accidentis: alio modo consideratur color respectu corporis subiecti cui inest,& in quo subiectatur: & ita est accidens & prædicatum accidentale con- D stituit, distinctum contra reliqua quatuor prædicabilia; sicut in capite de accidente explanabitur.

Ad secundum negatur antecedens: & ad illius probationem Burleus distinguit, quod Species sunt duplices, aliæ de genere substantię,& alię de genere accidentis; in primis Proprium distinguitur realiter à specie cuius est proprium; in secundis autem non distinguitur.

Contra hanc solutionem arguitur, albedo & nigredo sunt species coloris, & sunt de genere accidentis, & tamen

Proprium ipsatum, ab ipsis realiter distinguitur: Pręterea si proprium non distinguitur realiter à specie de genere accidentis, ergo sequitur quod in huiusmodi generibus non reperiantur hæc quinque prędicabilia distincta.

Ad argumentum igitur, negatur similiter antecedens: ad illius probationem conceditur speciem & suum Proprium distingui: & quando subditur, ergo ipsum Proprium est alia species distincta ab illa specie, cuius est proprium, &c. respondetur quod species capitur duobus modis, vno modo pro re completa existente per se sub aliquo genere, vt homo sub Animali, & albedo sub colore, & hoc modo Ptoprium non est species: alio modo capitur species pro quacunque natura, etiam si in alio existat; & hoc modo Proprium potest dici species, quia est quędam accidentalis natura in alio existens: & quando dicitur, omnis species habet Proprium, verum est de specie primo modo sumpta; non secundo modo, quę non est propriè species.

Quod si quis obijciat, Albedo est accidens alteri inexistens, & tamen per obiectionem contra Burleum, albedo habet Proprium: Respondetur quod albedo duobus modis cōsideratur; vno modo vt alicui subiecto inheret, & hoc modo est accidens, alio modo vt continetur sub colore, & ita est species & quid completum in genere coloris, & prædicatur de suis indiuiduis in quid, & iuxta hanc considerationem habet suas proprietates, vt dictum est.

Ad tertium negatur etiam antecedens, & ad illius probationē respondetur, Proprium esse id, quo species abūdat à genere, dupliciter consideratur, vno modo principaliter, & iuxta hanc considerationem species non abundat à genere, quia Proprium supponit speciem ex genere & differentia cōstitutā atque ex ipsius principijs essentialibus emanat: alio modo, secundario, & sic species abundat à genere ipso pro- A prio: genus etenim & à Differentia, & à Proprio abstrahit.

Ad quartum solutio habetur ex his quæ in quarto notando dicuntur.

1 Contra solutionē probatur, quod Proprium inter Vniuersalia non sit ponendum. Vniuersale est aptū natum esse in multis & dici de multis: sed Proprium dicitur de vna sola specie, cuius est proprium, ergo non est Vniuersale.

2 Confirmatur Vniuersale habet per se indiuidua, de quibus prædicatur B vt de specie notum est: sed Proprium non habet per se indiuidua, sed per accidens, id est ratione speciei, ergo Proprium non est Vniuersale.

3 Pręterea modi prædicandi sunt tantum duo, vt in notando circa primam rationem conclusionis dictū est; ergo & prædicabilia sunt tantum duo.

Ad primum respondetur quod ad constituendam naturam alicuius Vniuersalis, sufficit quod ipsum prædicetur immediatè de aliquo subiecto Vni C uersali, vt suo loco explanabitur: Proprium prędicatur immediatè de specie quæ est de numero Vniuersalium.

Ad secundū negatur minor: nā & si Proprium non habet per se primo indiuidua, habet tamen ea per se secundariò: sed non sequitur ergo habet ea per accidēs quoniā habet ea mediāte specie, & de ipsis prędicatur per se, quāuis mediate: vnde hæc est per se Sortes est risibilis; sicut infra dilucidabit.

Ad tertium respondetur quod mo- D di prædicandi sunt duo in genere, & quinque in specie, iuxta naturam singulorum Vniuersalium, sicut ex definitione ipsorum patet.

Ad argumenta alterius partis: ad primum respondetur, quod sensus huius propositionis quot modis dicitur vnum oppositorum, tot modis dicitur & reliquum, est iste, quot sunt significata vnius oppositi, tot & alterius, si secundum omnem significationem alterum sibi opponatur: non autem est sensus de numero suppositorum, sicut argumentum sonat: vel dica-

dicatur quod illa propositio est vera in his quæ vera oppositione opponuntur; Vniuersale & singulare non opponuntur nisi sicut superius & inferius, quæ non est vera & propria oppositio.

Ad secundum negatur consequentia: non enim sequitur, homo est species, & nullus homo singularis est species, ergo est aliquis homo, qui non est homo singularis, quia variatur suppositio: etenim in hac propositione homo est species, ly homo supponit simpliciter pro natura communi: & in hac, nullus homo singularis est species, ly homo supponit personaliter: ita quando dicitur Vniuersale diuiditur in quinque Vniuersalia, ly Vniuersale supponit simpliciter pro Vniuersalitate in communi; sed quando subditur, & non est aliquod ipsorum, tunc supponit personaliter; quapropter argumentum non tenet.

Ad tertium de indiuiduo vago; sunt qui concedunt esse sextum Vniuersale, non secundum rem, sed secundum modum, quia admodum Vniuersalis prædicatur: sed in calce capitis de specie, omnia hæc elucidabuntur: & de tota hac disputatione dictum sit satis.

Dilucidatio prima de Genere.

Capit. primum.

Tex. Videtur autem neque Genus, neque species simpliciter dici.

SEntentia est omnium sapientiū, ac præcipuè Galeni in primum Hipocratis de morbis vuulgaribus, duo esse interpetris cuiuscunque officia; quorum primum est, clarum ac genuinum sensum

A Authoris, quem profitetur, explanare: alterum considerare ac rectè perpendere, an ea quæ ab Authore dicuntur veritatem habeant: quę duo pręcepta sequens & ego, pro viribus meis conabor clarum Porphyrij sensum reddere, & ea quæ ab illo dicuntur, logicam veritatem continere, legentibus audientibusve reserare; igitur ad textū accedendo sic inquam: Postquam Porphyrius suam intentionem; & huius libelli vtilitatem, atque ordinem procedendi nobis aperuit, nec nō de quin B que vniuersalibus se verba facturum, pollicitus est, nunc de singulis tractatum aggreditur: vbi prius id sciendum occurrit, quod & si Caietanus totum hunc tractatum; quatuor tantùm capitibus expleri arbitretur, ex eo fortassis quod Author in fine capitis speciei hęc verba habet, (de genere igitur & specie dictum est) ex quibus vnū solum capitulum de his duobus Vniuersalibus continuasse videtur; veriori C tamē opinione cæteri expositores opinantur, qui singula vniuersalia singulis capitibus tractari, ac per consequens totū hunc tractatū quinque capitibus absolui fatētur: & ad Caietani fundamentū respondere haud difficile sit, ex eo enim quod genus & species relatiua sunt, & in vtrisq; rationibus oportuit vtrisq; vti, inde factū est, quod Author illis verbis vsus fuerit. Verūenimverò hæc parui referre quisquis sapiēs iudicabit, cum difficultas maioris pon D deris sub oriatur, videlicet cur Porphyr. nō à specie, aut quouis alio vniuersali, sed à genere hunc tractatum inchoauerit? huius rei multas rationes expositores reddunt. Ammonius, Boetius, magnus Albertus, quibus recentiores subinde interpretes assentire nō dedignātur, sic scribunt: primò hoc meritò factū est, inquit Boetius ob id ꝙ genus magis Vniuersale est, cętera namq; sub se continet, & ab illis nullo modo cōtinetur, ac propterea cum sit vniuersalius principē locū sibi vēdicat pręterquā ꝙ Vniuersaliora ipsis minus

vniuersalibus notiora nobis sũt, cõfusa saltem, & si non distincta cognitione, sicut in primo libro physicæ auscultationis textu 4, dicitur, quare à notioribus nobis inchoandum erat: hanc eandem rationem tangit Arist. in li. 1. de partibus animalium cap. 1. vbi scribit Vniuersaliora prius pertractanda sunt, quam minus Vniuersalia, cum in horum tractatu ea contineantur: hinc ipsemet phylosophus in libris physicorum de principijs communibus omnibus naturalibus entibus prius egit, quam de singulis ageret: Est præterea huius facti secunda principalis ratio Ammonij ac Boetij asserentium genus esse prius generatione quam species; cuius rei signum est quod si Genus auferatur, nequaquam species remanet; Animali etenim dempto, nec homo nec Leo erit, sed hac vel illa specie ablata, Animal minimè tollitur, ob id à genere tanquam ab vniuersaliori & priori inchoauit: addatur itẽ tertia ratio, à genere inchoat, eo quod Genus in quid prędicatur, & rei substantiam per modum substantiæ designat; quod & si etiam speciei hoc conuenire, quis obijciat, dicatur id verum esse, non tamen eo vniuersaliori modo, quo generi, quod nõ solum de specie, sed etiam de indiuiduis, prædicatur, species autem de indiuiduis tantum; cætera vero prædicabilia in quale dicuntur, & essentiam ad modum qualitatis, licet vario modo, signant: ex his adductis rationibus colligitur Porphyrium, duplicem ordinem, naturæ scilicet, & doctrinę seruasse; naturę dũ à prioribus natura inchoauit, doctrinæ dum ab Vniuersalioribus incæpit; at quomodo contingat Genus vel prius vel simul esse cum suis speciebus, infra occasione ex textu accepta dilucidabitur.

Tex. **Videtur autem, neque Genus, neque species simpliciter dici, &c.**

A Regula ab Aristotele in lib. primo cœli text. 110. editur, quod æquiuoca, & ea omnia, quæ multipliciter dicuntur, prius diuidenda sunt, quam definienda, alioqui necesse est, intellectum indeterminatè se habere, si quis, illo, quod multipliciter diuiditur, tanquam indiuisibili vtatur: hãc regulam Porphyrius nunc seruat, etenim cum genus æquiuoci naturam participet, eo quia plures significationes habet, ob id ipsum prius diuidit: quam diui-
B sionem insinuat, dum dicit, videtur autem neque genus, neque species simpliciter dici; ad huius clausulę pleniorem intelligentiam, sciendum ly simpliciter, quam plures significationes habere; primo idem signat quod absolutè, & hoc modo illud quod sola accidentali differentia à se ipso differt, dicitur idem simpliciter, vt Sortes hodie albus, & cras niger, dicitur idẽ simpliciter, eo quod secundum substantiã & suppositum idem est, & si secũdum
C quid sit aliud, & hoc modo acceptum simpliciter, contra secundum quid diuiditur. Secundo modo simpliciter idem sonat quod totaliter, vt si quis secundum omnes suas partes sit calidus, dicitur simpliciter calidus, secus verò si secundum aliquas tantum.

Tertiò significat idem quod esse in actu distinctum contra esse in potentia, quo modo imaginabilia non dicuntur entia simpliciter, nec homo mortuus est simpliciter homo. Quar-
D to idem designat quod vno solo modo: has acceptiones insinuat. Diuus Thomas tertia pars questio. quinquagesima articulo quinto, & p. secunda questione sexta articulo sexto, alias significationes apponit in hoc loco Ammonius: nam simpliciter sonat quandoque idem quod vniuersaliter, aliquando idem quod solum, vt cum dicitur brutum est simpliciter sensitiuum, quãdoque idem est quod temere & nulla de causa, vt si dicatur Herus simpliciter, id est absque vlla causa seruum verberat, postremo idẽ quod

vno modo designat, quo sensu nunc sumitur: quare cum Porphyrius dicit quod Genus & species non dicuntur simpliciter, est idem ac si diceret quod genus & species non vno, sed pluribus modis dicuntur: ex quibus verbis Porphyrius hanc conclusionem insinuasse videtur, Genus pluribus modis dicitur, quam patefacit quando subinfert ipsum tribus modis dici, videlicet de collectione multorum ab vno descendentium, de principio vniuscuiusque generationis, & de eo, cui species supponitur: ideo in litera dicit, videtur, id est, sic exploratum est, ita Ammonius exponit; quoniam illud verbum, videtur, quandoq; accipitur pro eo quod apparet, & non est, sicut syllogismus elencus videtur verus syllogismus & non est, quandoque pro eo quod verè est, quam distinctionem Aristot. in lib. *1.* elencorum c. 1. & 2. assignat. Igitur Author dicit, videtur, id est apud omnes sapientes in confesso est, & res ita se habet, quod genus & species non dicuntur simpliciter, hoc est vnomodo, eo quòd plures significationes habent. at fortassis quispiam dixerit, cur Porphyrius doctrinam generis tradendo, de sola specie mentionem facit, indicans hanc etiam multipliciter dici, cum & cætera prædicabilia multiplicem significationem sortiantur? Respondet Boetius Authorem id pro tanto fecisse, vt prolixitatem vitaret, breuitatique studeret: vel forte vt Ammonius inquit, quia hec duo sunt correlatiua; & vtraque solutio probatur.

Tex. Genus enim dicitur & aliquorum quodammodo se habentium ad vnum aliquod, & ad se inuicem collectio: secũdum quam significationem Romanorum dicitur genus ab vnius scilicet habitudine (dico autem Romuli) & multitudi-A nis habentium aliquo modo ad inuicem eam, quæ ab illo est, cognationem, secundum diuisionem ab alijs generibus dictum.

PRopositam conclusionem manifestare incipit, dum tria generis significata assignat: quod si quis instet, cum apud grammaticos plura generis significata reperiantut, nempe genus B masculinum, fœmininum, neutrum, quare Porphyrius de his nullum verbum facit? Respondet Albertus cognomento magnus, & post ipsum Caietanus, de illis significatis tantùm in hoc loco ab Authore mentionem fieri, quæ cum genere logico quandam similitudinem habent, cuiusmodi ea genera non sunt, quę à grammaticis considerantur. genus igitur primo modo sumptum dicitur collectio multorum, quodam modo se habentium ad C se inuicem, & ad vnum principium, à quo originem traxerunt; exempli gratia Romanorum collectio dicitur genus, tùm quia hi omnes, & ad se inuicem, & ad vnum principium; v. g. ad Romulum, à quo originem trahunt, quandam habitudinem habent.

Circa quam primam generis significationem, notant Ammonius, Albertus, & Caiet. quod genus hoc primo modo sumptum, ad hoc quod sit genus, tres conditiones requirit, ita vt si D vna ipsarum desit, ratio generis sic accepti, nequaquam seruari possit: prima est quod sit hominum euidens multitudo aggregata, qualis est vel Romanorum, aut Atheniensium: vnde duo, tres, vel quatuor homines tantùm, huiusmodi genus ciuile non constituerent. Secunda, quod hi homines habitudinem quandam inter se habeant, quę habitudo in quadam cognatione ac copulatione consistat respectu illius vnius principij à quo descendunt: quæ habitudo nil aliud est, quàm quędam societas & copulatio, qua hi ad

inuicem sociantur & copulantur respectu ipsius primi principij, à quo originem trahunt, (ita Boetius hunc locum explanat) per quam habitudinē distinguuntur ab alijs hominibus ex alio principio prouenientibus: exempli gratia Omnes Romani dicuntur habere quandam habitudinem, id est cognationem & copulationem ad inuicem, quatenus à Romulo Vrbis Romæ fundatore descendunt & denominantur: vnde fit quod Romani legibus & moribus inter se conueniunt, quibus ab his qui Romani non sunt, vt puta ab Atheniensibus discernuntur: hinc si aliqua hominum multitudo aggregata, nullam habitudinem vel ordinem ad inuicem, & ad vnum principium haberent, non magis esset genus, quàm lapidum cumulus: qua propter Sotus benè ait, quod hominum multitudo ab Adam descendentium, ad mentem Porphyrij Genus appellari haud potest, cum sit multitudo absque ordine, sed confusione plena; vnde hoc exemplum ab Auerroe positum ad rem non pertinet.

Tertia conditio est, quod hæc multitudo non solùm ad inuicem, sed etiam ad illud primum principium à quo successiuè originem accipit, ordinem habeat & denominetur, in quo sensu Romanorum collectio, quæ à Romulo descendit, dicitur genus, vt in secunda conditione dictum est.

Præterea circa eandem primam generis significationem, sciendum quod bifariam de ea loqui contingit, primo secundum habitudinem, quam ipsa simul tota Romanorum collectio, ad illud primum principium, à quo originem trahit, habet, & sic ab eo tanquam à principio remoto denominatur; alio modo secundum habitudinem ipsorum hominum ad inuicem, vt puta quilibet Romanus non tātùm sic denominatur propter Romulum à quo descendit, sed etiam propter patrem, qui vel est, vel fuit Romanus, &

A sic vt à principio propinquo denominationem habet: verum est tamen quod talis collectio prius ac magis ex habitudine ad illud vnum, quam ex habitudine partium multitudinis ad inuicem, denominationem recipit, quoniam hæc secunda à prima dependet, & propter primam, magis ac prius illa multitudo à quolibet alio genere consimiliter accepto distinguitur, hęc à Paulo Venero in hoc loco scribuntur: atque de præsenti di-
B lucidatione satis dictum sit.

Dilucidatio 2.

Tex. Dicitur autem & aliter rursus genus, quod est vniuscuiusq; generationis principium vel ab eo qui genuit, vel ab eo loco in quo quis ge-
C nitus est. Sic enim Orestem quidem dicimus à Tantalo habere genus, Hylū autē ab Hercule: & rursus Pindarum quidem Thebanum esse genere, Platonem verò Atheniensem: etenim Patria principium quoddam est vniuscuiusque generationis, quemadmodum
D & Pater.

AD secundam generis significationem dilucidandam, nunc Porphyrius accedit, circa quam tria facit, primo illam assignat, secundo per exemplum eam explanat, tertio cum prima significatione eandem cōfert: quātum ad primum inquit quod genus secundo modo sumptum significat principium vniuscuiusque generationis, seu illud à quo quis secundum naturalem generationem sui esse originem ducit; & cū in textu subinfert, vel ab eo qui genuit, vel ab eo

loco in quo quis genitus est, insinuasse videtur, hoc principium generationis duplex esse, scilicet, vnum effectiuum, cum dicit vel ab eo qui genuit, alterum conseruatiuum, cum subiungit vel ab eo loco in quo quis genitus est:ac postea vtriusq; principijs significationem exemplis explanando, subintulit,& primo quo ad principium effectiuum, consueuimus dicere Orestem à Tantalo habere genus, & Hylum ab Hercule: & quo ad principium cōseruatiuum, affirmamus Pindarum esse genere Thebanum, Platonem vero Atheniensem;etenim patria principium quoddam est vniuscuiusque generationis, quemadmodum & Pater.

Circa quam secundam generis acceptionem, notat Caiet. Genus esse principiū generationis duobus modis posse considerari, primo modo, quod genus dicatur illud, à quo quis originē ducit;v.g quod Romulus dicatur Romanorū genus, eo quod Romani ab illo originē trahant,& Tantalus dicatur genus Orestis, eo quia Orestes ab eo originē ducat,& iuxta hunc intellectū Auerroes & Iauellus videntur sumere genus;sed vt Caiet. inquit hoc non est formaliter dictū, nam Romulus nō dicitur propriè Romanorum Genus, vel Tantalus Orestis:Secundo modo intelligitur dici Genus secundū initiū originis vel natiuitatis, quod ab aliquo deducitur, siue sit semen, aut virtus generatiua in patre,& conseruatiua in patria,& penès hunc sensum, genus secūdo modo sumptū, significat generationis principiū, quia pater & patria secūdum virtutē in ipsis existentē dicuntur vniuscuiusq; generationis principium, & iuxta hunc intellectū etiam Paulus, Sotus, & Toletus hunc textum explanant:imo huic sententiæ multū fauet Porphyrius in textu, qui non in recto dicit quod Tātalus sit Genus Orestis, & Hylus Herculis, sed in obliquo dixit Orestem à Tantalo genus habere, vnde etiam in principio dicebat, genus dicitur vniuscuiusq; generationis prin-

A cipium, vel ab eo qui genuit, vel ab eo loco in quo quis genitus est,& non dixit vt ille qui genuit: quod si quis obijciat Authorem in calce eiusdem textus, ponere patriam & patrem in recto, quando dicit, etenim patria principium est vniuscuiusq; generationis, quēadmodū & pater, respondet Caiet. Authorem pro tanto id fecisse, vt insinuaret, quod quemadmodum à patre effectiuè, ita à patria conseruatiuè, eo quia ab ea, vel in ea generationem du-

B cimus.

1 Sed maior dubitatio insurgit circa locum, ex qua videtur quod locus nullo modo sit principium conseruatiuum rei genitæ; conseruare etenim quoddam agere est, at locus nullo modo potest agere, ergo nec conseruare; probatur minor, locus vt scribit Arist. in lib. 4. phys. tex. 39. est quædam quantitas cum sit superficies corporis continentis, sed quantitas nullo modo est actiua, vt in eodem lib. Auer

C roes dicit, ergo nec conseruatiua.

2 Confirmatur, si locus haberet virtutem conseruatiuam locati, ergo locatū in suo loco nunquā corrūperetur quod est falsū, quare,&c. consequentia probatur ex eo quod nihil corrūpitur presente suo cōseruāte, sed potius cōseruatur: falsitas patet ad sensū dum Animalia & plātas in suis locis naturalibus deficere, ac mori conspicimus.

3 Præterea sicut vnūquodq; generatur & cōseruatur in loco, ita in tēpore,

D ergo sicut locus dicitur principiū conseruatiuum rei genitæ, ita & tempus tale principium dici debuisset.

Ad solutionē harum obiectionum distinguendum est ex Aristot. in codē lib. 4. tex. 14. de duplici loco; vnus qui dicitur locus proprius ipsi rei locatę æqualis saltem secundum continentiam, cū nec maior nec minor sit ipsa re locata, vt vas vnius quartæ dicitur ęquale vni quartę vini, quā possit recipere, nec plus, nec minus præcise.& de hoc loco nūc sermo nō est: alter est locus cōmunis, q est maior singulis rebus con-

contentis ac locatis, vt cælum, patria, Domus, &c. nam vnumquodque horũ continet speciale locatum, & adhuc aliud, & de hoc communi in præsentiarum fit sermo, & de quo ad huc distinguendo dicimus; quod locus communis dupliciter consideratur, vno modo quatenus est quædam quantitas, & hoc modo locus non est principium conseruatiuum, cum quantitas non sit de principijs actiuis, sicut Auerroes in lib.4.physic. comm.84. scribit. alio modo ratione qualitatum annexarum; scilicet temperiei, caliditatis, frigiditatis & huiusmodi, experientia namque magistra, videmus homines in eodem loco natos, in colore in complexione, & in multis alijs conuenire, ob vnitatem virtutis conseruatiuę loci, quæ virtutem ac potentiam generatiuam patris coadiuuat: Vlterius quod in loco sit virtus conseruatiua ex duobus manifestari potest, primo ex naturali motu rei locatæ ad suum locum, nam dum extra proprium locum est, nisi violentia detineatur, ad ipsum locum mouetur, sicut patet de graui, & de leui: Secundo ex generatione corporum naturalium, etenim multa Animalia & plantæ in vna regione generantur, nutriuntur, & augentur, & non in alia, quod haud eueniret, nisi quædam virtus conseruatiua in loco reperiretur; hinc ad argumenta respondetur.

Ad primum dicitur, quod & si quãtitas per se considerata, non sit actiua, tamen ratione annexarum qualitatum, virtutem conseruandi habet.

Ad secundum negatur consequentia, ad cuius probationẽ dicitur, quod & si locatum dum est in suo loco naturali vt naturalis est, non corrumperetur, dum modo virtus conseruatiua est fortior in conseruando, sed contingit aliquando, quod virtus contraria est fortior in corrumpendo, quam illa in conseruando.

Ad tertium respondetur, quod tempus non per se coadiuuat ad generationem, nec saluat generatum, imo est causa corruptionis per se, sicut Aristotelis in lib.4. physic. text.128. scribit; hinc ipse laudat Parom Pythagoreũ, qui appellabat tẽpus indoctissimum, eo quod in eo obliuiones fiant.

Tex. Hęc autẽ videtur prõptissima esse significatio. Romani enim dicuntur, qui ex genere descendunt Romuli, & Cecropidæ, qui à Cęcrope, & horum proximi.

CVidam tacitæ obiectioni nũc Porphyrius respondet, videlicet, cum iam duæ generis acceptiones sint positæ, illa quæ collectionem multorum ab vno prouenientium, & quandã habitudinem ad se inuicem habentium designat, & ea quę est vniuscuiusq; generationis principium; dicet aliquis inquirẽdo, quæ nam harum acceptionum est propinquior, vsitatior, ac magis in promptu, vt ab hominibus genũs dicatur, & nuncupetur? respondet Porphyrius comparando eas ad inuicem, ac dicens quod hęc secunda significatio est magis vsitata, imo in vsu promptissima, vt genus dicatur, atque ordine prior est, quam sit prima: vnde hęc secunda significatio duplici ordinẽ est prior, naturę scilicet, & appellationis: & quod ordine naturę sit prior, sic in textu probatur, Romani namque dicuntur qui ex genere Romuli descẽdunt, & Cecropides qui ex Cęcropis genere originem trahunt, & eorũ proximi; ergo cum secunda acceptio generis sit idem quod principium generationis multorũ simul collectorum, & ordine naturæ prius sit generationis principium, quam multitudo genita, sequitur quod eodem ordine hæc secunda significatio, quę dicitur vniuscuiusque generationis principium, sit prior quam prima, quæ multorum collectionem significat.

Tex. Et

Tex. Et prius quidem appellatum eſt genus vniuſcuiuſq; generationis principium : de hinc etiam & multitudo eorũ, qui fiunt ab vno principio, vt à Romulo: quam diuidentes, & ab alijs ſeparantes dicebamus omnem illam collectionẽ Romanorum genus.

QVod etiam ordine appellationis, ac denominationis ſecunda ſignificatio ſit prior quam prima, in hoc textu referat dicens, quod genus quo ad nominis ſignificationẽ, illud prius appellatum eſt, quod eſt vniuſcuiuſq; generationis principium, quam multitudo ab illo principio deſcendens, quod ex eo fit manifeſtum, ſeparamus enim & diuidimus hanc multitudinem ab alijs, eo quod intelligimus eam ab vno principio Origenem ducere; v.g. multitudinem Romanorum à Romulo, ergo Genus quo ad nominis ſignificationem prius dicitur de generationis principio, quam de multitudine ab illo principio deſcendente.

Sed obijciet forſitan aliquis dicens, ſi hæc ſecunda ſignificatio eſt prior prioritate naturæ, quam ſit prima; igitur quare Porphyrius in illarum enumeratione, poſuit eam in ſecundo loco, & eam quæ eſt natura poſterior in primo aſſignauit?

Huic obiectioni ſatisfaciunt Ammonius & Boetius dicentes, quod illa quę ſunt priora ordine naturæ, ſunt poſteriora ordine noſtræ cognitionis, quapropter à faciliori noſtra cognitione inchoans, illud ſignificatum in priori loco appoſuit quod eſt nobis notius, cuiuſmodi eſt collecta hominum multitudo, facilius enim collectam multitudinẽ cognoſcimus, quam illius multitudinis natiuitatis principium: quod ſi quis iterum obijciat Authorem in textu aſſerere hanc ſecundam ſignificationem eſſe promptiſſimam, & A magis vſitatam; ergo erit notior quàm ſit prima. Reſpondet Boetius hanc ſecũdam eſſe magis vſitatam ſecũdum noſtrum modum loquendi, conſueuimus namq; generationis principium genus appellare, magiſque ipſam multitudinem, cum genus idem ſonet, quod generatio; prima tamen ſignificatio nobis notior eſt: aliam ſolutionem, inſinuat Ammonius, quam recentiores ſequuntur videlicet, quod cum intentio Porphyrij B ſit ad ſignificationẽ generis logici peruenire, ideo minus propriam ſignificationem in priori loco collocauit, vt inde ad eam quę cum genere logico maiorem conuenientiam habet, deſcenderet: & hæc de prima ac de ſecunda generis acceptione dicuntur, ſatis dilucidata ſint.

Dilucidatio 3.

Tex. Aliter autem rurſus C genus dicitur, cui ſupponitur ſpecies: ad horum fortaſſe ſimilitudinem dictum. etenim principium quoddam eſt huiuſmodi genus earum quæ ſub ipſo ſunt ſpecierum: videtur etiam multitudinem continere omnem, quæ ſub ipſo ſunt ſpecierum.

D ADmirabilem ſemper fuiſſe naturã in omnibus ſuis operibus exactè ſatis docuit Ariſtoteles in libro 8. phyſicæ auſcultationis text. *15.* hinc eſt quod dicere conſueuit ordinem rei eſſe eiuſdem rei naturam: atque cũ munus artis ſit, naturam imitari inquantum poteſt, vt ipſemet Ariſt. in libro 2. phyſ. text. *78.* docet, ob id ars in ſuis actionibus eundem ordinem ſeruare nititur. En Porphyrius noſter ordinem hunc admirabilem in aſſignatione plurium generis acceptionum ſeruaſſe videtur: etenim cum iam dixerit

xerit genus non simpliciter, id est non vno modo dici, sed quam plura significata habere, illud in priori loco collocauit, quod minus proprium, minusque cum logica significatione conuenit, in posteriori deinde illud assignauit, quod cum genere logico maiorem conuenientiam habet, vt inde tandem ad propriam quam intendit acceptionem, descenderet, & hæc omnia in fine superioris lectionis satis superque à nobis explanata fuere. modo autem ordine quodam seruato, ad eam quæ est logicæ considerationis acceptionẽ dilucidandam accedit, & in reliqua parte huius capitis, quatuor facit: primò generis logici vnam definitionem assignat, & hanc in superiori posito textu; secundo conuenientiam huius logicæ significationis cum duabus pręfatis explanat, in eodem textu ly etenim principium quoddam, &c. tertio quę harum trium significationum sit logicæ considerationis, simulq; aliam eiusdem logici generis definitionem explicat, infra ly tripliciter igitur, &c. quarto eiusmodi definitionem, non solum bonam, sed optimam esse manifestat ex eo, quod per illam, genus logicè sumptum ab alijs pędicabilibus distinguitur, infra ly, eorum enim quę prædicantur, alia quidem de vno dicũtur solo, &c. igitur quantum ad primũ dicit Porphyrius quod præter duas iã assignatas generis acceptiones, est tertia significatio qua dicitur, Genus est, cui supponitur species, & est ac si diceret, genus est Vniuersale quoddam, ac superius, cui species tanquam minus Vniuersale supponitur; v. g. Animal dicitur genus cui homo subiicitur, & color dicitur genus, cui albedo supponitur, &c.

Ad huius definitionis clariorem dilucidationem, sicut notarunt expositores, tres particulæ apponendæ sunt, videlicet, directè, immediatè, & sub superiori, vt sit sensus, Genus est, cui directè immediatè, & tanquam sub superiori species supponitur; & fortassis

A omnes hę particulę sub illis verbis positis à Caietano comprehenduntur, cũ dicit in recta linea pędicamentali, vt sit sensus, genus est, cui in recta linea prædicamentali species supponitur: verum tamen priores singulæ declarantur: Genus est illa scilicet natura cõmunis & vniuersalis, cui directe, &c. nã ly directè ponitur, ex eo quod aliquid poni sub genere duobus modis contingit, vno modo directè & sic species tantùm est quæ sub genere ponitur,

B alio modo indirecte & hoc pacto differentiæ generis diuisiuæ sub eo ponuntur: ly immediatè ponitur ad differentiam indiuiduorum, quæ & si directè sub genere ponuntut, mediatè tamen sub eo ponuntur: ex quo iterum distinguitur, quod aliquid poni directè sub genere, duobus modis contingit, vno modo immediatè & sic species tantum sub genere ponitur, alio modo mediatè & sic indiuidua illius speciei sub eodem genere ponuntur, nam

C Sortes & Plato mediante homine sub Animali continentur: ly tanquam sub superiori, ponitur ad differentiam indiuidui vagi, vt quidam vel aliquis homo, cui supponitur indiuiduum proprio nomine signatum, vt Sortes & Plato: nam indiuiduum signatum supponitur indiuiduo vago, non tanquam inferius sub suo inferiori formaliter & essentialiter, sed tanquam singulare certum & determinatum, sub singulari incerto & indeterminato: genus ergo tertio modo sumptum, est cui direc-

D ctè immediatè & tanquam superiori species supponitur.

Tex. Ad horum fortasse similitudinem dictum.

RECtò Ammonius & Auerroes inquiunt, quod huius artis famosiores transtulerunt nomen generis ciuiliter sumpti ad genus logicum, & hoc ob similitudinem quam genus Logicum cum pręfatis acceptionibus notis

apud

apud vulgum habet: quam similitudinem in præsenti textu Porphyrius assignat; & est secundũ quod in hac parte ab illo tractabatur; dicit igitur quod cum dicitur genus esse illud, cui species supponitur, sic dicitur ad similitudinem priorum duarum generis acceptionum, eo quia cum vtroque eorum conuenientiam quandam habet, & addit fortasse, vel quia eorum, qui nomina imposuerunt, mentes certa cognitione nescimus, vt Caietanus exponit: vel quia hoc genus logicum nõ est in omnibus simile cum prioribus acceptionibus: vt paulo infra dicetur, at in quo conueniunt sit explanat, & primo quemadmodum genus secundo modo sumptum dicitur principium genitæ multitudinis, non quidem cuiuscunque, sed illius tãtùm, quæ ab eo originem ducit, vt puta: Romanorum principium dicitur Romulus, & non Hercules, & Heraclidarum Hercules & non Romulus, ita genus est suarum specierum principium quæ sub ipso sunt, nam quodlibet genus habet in potentia quam plurimas differentias, quibus deinde contrahitur ad constitutionem singularum suarum specierum, pro vt vnicuique competit hanc comparationem Ammonius vocat relationem vnius ad vnum, vt potè causę ad effectum, & effectus ad causam: postea similitudinem, quam genus logicum habet cum genere primę significationis, insinuat dicens, quod sicut genus ciuile primo modo sumptum continet multitudinem ab eo descendentem, ita genus logicum continet sub se omnem multitudinem quæ sub ipso est, tam specierum, quàm indiuiduorum; intelligatur tamen species immediatè, & indiuidua mediatè sub genere contineri, vt iam dictum est: non nulla verò dubia scitu digna, contra ea, quæ dicta sunt, ad aliam lectionem differantur; & hęc de præsenti sufficiant.

A Disputatio prima de Genere.

Quęstio in qua dilucidatur, quomodo Genus logicum sit principium suarum specierum & eas sub se contineat.

B Dilucidatio I.

PRIUSQUAM ad aliud propositum accedamus, explanandum occurrit, an genus logicum sit suarum specierum principium, easque sub se cõtineat: & primo probatur Genus non esse suarum specierum principium, & per consequens nullam similitudinem cum secunda generis acceptione ha-
C bere.

1 Nullum compositum est principium suarum partium componẽtium, sed genus logicum componitur ex suis speciebus, ergo genus non est ipsarum principium. maior à simili declaratur, domus quæ ex lapidibus & lignis componitur, non est horum principium, sed è contra potius contingit; minor est Auerrois in prologo physicorum, vbi tres compositiones assignat, videlicet indiuidui ex materia & forma; spe-
D ciei ex genere & differentia, generis ex suis speciebus.

2 Pręterea secundo ad idem sic arguitur, si genus est suarum specierum principium, ergo est sui ipsius principium, sed consequens est falsum, ergo & antecedens: falsitas nota est ex Aristotele in lib. secundo de anima, textu vbi ait quòd nihil producit se ipsum quod tamen eueniret si idem esset sui ipsius principium: consequentia sic manifestatur, genus est idem speciei, ergo si genus est principium speciei, erit etiam sui ipsius principium: antecedẽs dupli-

dupliciter probatur, primo Authoritate Aristot. 7. metaphys. text. 43. vbi ait genus non est aliud præter eas, quę sunt generis species: secundo sic, genus prædicatur de specie per se, nam hęc prædicatio est per se, homo est Animal, sed quod pręedicatur per se de aliquo, non est ab illo distinctum, ergo est idem sibi.

3 Contra primum dictum scilicet, genus continet sub se multitudinem suarum specierum sic arguitur: quod continet multitudinem, est multa & non vnum, sed genus est vnum & non multa, ergo genus non continet multitudinem specierũ: minor nulla protione indiget; maior probatur, nam secundum Porphyrium in litera, hæc cõtinentia est ad modum generis ciuilis, quod non est vnum per se, sed tantum per aggregationem.

4 Item ad idem sic arguitur; nulla pars continet suum totum, imo pars à toto cõtinetur, sed genus est pars speciei, ergo genus non cõcinet speciem, sed ab ea potius continetur: minor est Porphyrij in cap. de differentia, vbi ait quod species ex genere & differentia componitur, quemadmodum statua ex ære, & figura.

Ad solutionem harum obiectionũ, aliqua notanda sunt, ex quibus nõ solum earum solutiones patebunt, verum etiam qualiter generis acceptionum comparationes, nequaquam cõueniant, palàm videbitur.

Sit igitur primũ notandum ex magno Alberto in capite de genere quod inter prædictas generis significationes est similitudo, & dissimilitudo; & primo si comparatio fiat inter primam & tertiam significationem ad inuicem, similitudo consistit in eo, quod iam dictum est, videlicet, sicut genus primo modo sumptum continet sub se multitudinem ab eo descendentem, ita genus logicè consideratum continet multitudinem specierum, quæ sub illo sũt, Dissimilitudo deinde in hoc consistit, quod genus logicum prædicatur in re-A cto & per se de suis speciebus, vnde verum est dicere homo est Animal, Leo est Animal, albedo est color, nigredo est color, & sunt pręedicationes in primo modo dicendi per se, quia prædicatum est de essentia subiecti, sicut in lib. 1. poster. text. 9. dicitur: sed genus primo modo sumptum, neque in recto, neque per se de sua multitudine pręedicatur, non enim est verum dicere quod Romanorum multitudo sit Romulus, vel Heraclidarum collectio sit Hercules. B Vlterius inter secundam & tertiam acceptionem dissimilitudo in hoc consistit, nam genus logicum secundum totam suam naturam & essentiam saluatur in singulis suis speciebus, quapropter sicut Animal est substantia animata sensitiua, ita & quodlibet Animal, vt puta homo, Leo, Canis, est substantia animata sensitiua, sed Romulus non est in singulis Romanis, neque Hercules in his qui ab eo descendunt, reperitur.

C Sit secundum notandum ex Paulo Veneto super hunc locum, quod cum quodlibet horum generum habeat rationem principij respectu multitudinis sub ipsis contentę, & quælibet multitudo habeat rationem principiati, ideo tam ex parte principij, quàm principiati inter se differunt: nã genus primo modo sumptum est principium denominatiuum, & quoddam totum ad modum totius integralis, ac propterea ipsius multitudo subijcitur ipsi D generi, vt quædam ipsius pars integralis: Genus secundo modo sumptum est principium effectiuum & extrinsecum, & quælibet pars multitudinis ab eo descendentis subijcitur ipsi vt pars virtualis: sed genus logicum est principium formale, & intrinsecum, quia genus est forma suarum specierum, & quælibet pars suæ multitudinis subijcitur ipsi vt pars subiectiua, de quarum singulis ipsum genus in recto & per se prædicatur. ex his dictis sequitur quod principium primę multitudinis descendat in illam non per ali-

quid

quid sui, sed tantum per aliquam denominationem: principium secundę multitudinis descendit in eam per aliquid sui, nempe per seminis decisionẽ; at principium tertię multitudinis descendit in ipsam, secundum totam suã essentiam, quia tota essentia generis in qualibet suarum specierum reperitur, vt dictum est.

Sit tertium notandum, Principium vniuscuiusque rei dicitur illud a quo ipsa res initiatur, dummodo aliquo modo ab eo initietur, vt ex lib. 5. metaphys. cap. 1. elicitur: igitur cum esse, vel essentia speciei à genere initietur, & in Differentia compleatur, quemadmodum per definitionem speciei patet, species etenim ex genere & differentia conficitur, inde fit manifestũ, quod etiam secundum hanc rationẽ, genus est quoddam principium earũ, quæ sub ipso sunt specierum.

Sit quartum notandum, ex Scoto in q. 20. vniuersalium, cum Porphyr. dicit quod genus est suarum specierum principium, tũc est intelligendũ quod sit principium essentiale ipsarum; sed distinguendum est de duplici principio essentiali, nam quoddam dicitur principium secundum rem, & est illud quod est pars rei, atque ipsam rem in existentia constituit, quemadmodum materia & forma, aliud est principium secundum rationem, quod principium importat eandem rem sub quodã modo indeterminato, quam species sub modo determinato significat: igitur quamuis genus nõ sit principium speciei iuxta priorem principij acceptionem, (sicut existimat Ioannes Gãdauensis in lib. 3. metaphys. q. 9. & lib. 7. q. 23.) quia tunc Animal non prędicaretur in recto de homine, sicut nec materia nec forma dicuntur in recto de eo cuius sunt materia vel forma, non enim est verum dicere quod homo sit corpus vel anima, tamẽ est speciei principium penès secundam acceptionem sumptum, id est secundũ rationem: nam si homo definiatur, dice-

A tur quod est Animal, quod significat totum id quod est homo, sub modo indeterminato & confuso.

Sit quintum notandum apud Dialeticos, totum est duplex, vnum quod dicitur totum actuale aliud quod totum potentiale nuncupatur: totum actuale est illud, quod in sua quidditate continet actu plures partes essentiales, totum potentiale est illud, quod plures partes subiectiuas sub se habet: primum dicitur totũ definibile, quod B in partes cõpositiuas resoluitur, aliud totum vniuersale vocatur, quod in partes subiectiuas diuiditur: primo modo species est totum respectu generis, eo quod genus est pars compositiua speciei, at secundo modo genus est totum respectu specierum, eo quia species sunt illius partes subiectiuę: ex his nũc positis notandis facile est ad obiectiones respondere, vnde.

Ad primum respondetur, quod de genere contingit loqui dupliciter, vno C modo quatenus per differentiam contrahitur ad speciem, quam constituit; altero modo vt est quoddam totum indeterminatum, indeterminatè ac cõfusè continens sub sua potestate plures species, & hoc secundo modo intelligebat Auerroes genus componi ex suis speciebus, quatenus quoddam potentiale & indeterminatum eas continet.

Ad secundum negatur consequentia, ad cuius probationem respõdetur D quod genus duobus modis consideratur, vno modo secundum suam actualem existentiam, & quia non existit nisi in suis inferioribus, ideo vt sic idemptificatur illi, in quo est, nam Animal quod prædicatur de homine, vel equo idem est quod homo vel equus, sicut S. Thom. in tractatu de natura generis scribit: alio modo consideratur quatenus habet esse obiectiuum in intellectu, id est, vt cognitum, & apprehensum per abstractionẽ ab omnibus differentijs ipsum diuidentibus, & hoc modo genus distinguitur à suis speciebus.

ciebus: vel vt alij dicunt genus fundamentaliter non distinguitur à specie, sed bene formaliter consideratum.

Ad tertiũ dicitur quod Genus quatenus est quoddam indeterminatum, confusè ac indistinctè continens plura sub se, sic dicitur esse vnum: alio modo si consideratur prout per differentiam contrahitur ad speciem, quam constituit, sic non est vnum, sed plurificatur ad plurificationem specierum, per differentias, quibus diuiditur.

Ad quartum respondetur quod Genus quatenus definitionem speciei cõstituit, sic est illius pars, vnde Boetius in libro diuisionum dicit, quod Genus in prædicatione est totum, in definitione pars: & hæc de præsenti lectione sint satis, ne prolixior sermo mentem à contemplatione distrahat.

Dilucidatio 4.

Tex. **Tripliciter igitur cum Genus dicatur, de tertio apud phylosophos sermo est: quod etiam describentes assignauerunt, Genus esse dicẽtes, quod de pluribus & differentibus specie, in eo quod quid est, prædicatur, vt Animal.**

Haud possibile est, humanum intellectum vnico verbo ea exprimere, quę magna discussione indigẽt: ac pręcipuè cum ad proprios conceptus exprimendos, significatiua voce vtatur, quæ sæpe sæpius ex lapsis instrumentis, longiori sermone; quam sit opus, rauca efficitur: nam quæ dicenda de genere logico cepta fuere, ob non nullas difficultates, quæ in superioris textus dilucidatione, obuiam nobis venerunt, minimè explere quiuimus: nunc igitur ad illum qui sequitur contextũ redeuntes, dicimus, quod cum Porphyrius tres generis acceptiones iam
A assignauerit, atque qualiter tertia cum duabus prioribus conueniat, manifestauerit: nunc de qua harum trium significationum apud Phylosophos sit sermo, explanare intendit; quod & si multoties diximus tertiam generis acceptionem, logicam esse, non ex Porphyrij adhuc, sed ex communi interpretũ authoritate affirmauimus: duo principalia in hoc textu, quem dilucidandum proposuimus, facit Author, primũ de qua generis acceptione apud
B phylosophos sit sermo, declarat; secundum aliam eiusdem generis definitionem à phylosophis assignatam explanat, & hoc est tertium principale, quod in reliqua parte huius capitis à Porphyrio tractari dicebamus: quantum ad primum Author inquit, quod cum genus tripliciter dicatur, scilicet de collectione multorum ab vno descendentium, de principio vniuscuiusque generationis, & de eo, cui species supponitur, illicò subinfert, quod apud
C phylosophos non de his omnibus sermo est, sed de tertio tantùm: quasi dicat primæ duę generis acceptiones, vel ad historicos, vel ad ciuiles spectant, tertia autem phylosophicæ considerationis est: quod genus tertio modo sumptum, iterum ipsi phylosophi describentes inquiũt, Genus esse quod idest Vniuersale seu prædicabile, quod de pluribus & differentibus specie, in eo quod quid est, prædicatur; & exemplificando subiungit, vt Animal, quasi
D dicat, Animal enim, cum sit genus prædicatur de homine, de Leone, & de equo, qui specie differunt: hanc generis descriptionem Author desumpsit ex Aristotele in libro primo topicorum, capite quarto.

Sed vt omnis ambiguitas è medio tollatur, notandum ex Caietano, Genus bifariam considerari posse, primo modo vt est quædam natura communis de multis prædicabilis, & ab illis participabilis, & penes hanc considerationem datur hæc secunda definitio, secundo modo quatenus est quoddam

supe-

ſuperius reſpiciens ſpeciem ſub ſe poſitam, & iuxta hanc conſiderationem, aſſignatur prima definitio: vel cũ Paulo dicatur, quod Duplex eſt rei definitio, ſicut ex primo libro poſter. cap. 2. colligitur, vna formalis quæ eſt demõſtrationis principium, altera materialis, quæ eſt demonſtrationis concluſio: prima à Porphyrio aſſignata eſt formalis, ſecunda quæ ab antiquis phyloſophis ponitur, eſt materialis, quapropter ex formali poteſt demõſtrari materialis in hunc modum: Omne illud cui immediatè ſupponitur ſpecies, prędicatur de pluribus differentibus ſpecie in quid; ſed genus eſt illud cui immediatè ſupponitur ſpecies, igitur genus eſt illud quod prędicatur de pluribus ſpecie differentibus in quid.

Præterea ad clariorem dilucidationem præaſſignatę definitionis animaduertendum eſt, quod cum dicitur, Genus eſt quod prædicatur, hoc verbum (prędicatur) exponitur communiter vt ſignet aptitudinem & non actũ, ita vt ſit ſenſus, Genus eſt, quod eſt predicabile, vel aptum natum prædicari de pluribus, nam poſito quod omne Animal pręter hominẽ deſineret eſſe, adhuc Animal eſſet genus, quia & ſi natura ſenſitiua, à qua dicitur Animal, de facto eſſet in ſolo homine, & de eo ſolo predicaretur, tamen ex ſui natura, quæ eſt communis, eſſet aptum eſſe in pluribus ſpeciebus, & de pluribus prędicari. Sunt tamen quidam, quorũ poſitio multis probatur, qui aſſerunt, illud verbum (prædicatur) in definitione generis actualem prædicationẽ importare, eo quòd genus ad hoc quod ſit genus requirit actu ſpecierum pluralitatem, etenim generis natura in vnica ſpecie ſaluari nequit: ſecus autem eſt in definitione ſpeciei, cuius natura in vnico indiuiduo ſaluari poteſt: nos tamẽ dicimus, in hac generis ac reliquorum Vniuerſalium definitione, illud verbum (prędicatur) aptitudinem ſemper deſignare: natura verò generis & ſpeciei in ſequenti cap. explanabitur.

A Vlterius, quia in eadem definitione dicitur, Genus predicari in quid de pluribus ſpecie differentibus, ideo ad huius rei intelligentiam; quatuor ſunt dilucidanda: primum quot conditiones requirantur ad hoc quod aliquid prædicetur: ſecundum quot modis aliquid dicat quid: tertium quid ſit predicari in quid: quartum quid ſit ſpecie differre. quantum ad primum dicitur quod tres conditiones requiruntur ad hoc quod aliquid vere & propriè prædicetur,
B quarum prima eſt, quod illud prædicatum ſit forma; at quia ſecundum Auicennã forma eſt duplex, vna quę eſt pars compoſiti, ſicut Anima eſt forma hominis, ex anima enim & corpore cõponitur homo; & altera quæ totum compoſitum ſequitur, vt humanitas quę dicitur forma totius, ideo pro ſecunda cõditione illud prædicatum debet eſſe forma totius. ſed iterum notandum eſt, quod forma totius duobus modis deſignatur, vno mo-
C do in abſtracto, vt ſi dicatur humanitas, alio modo in concreto vt homo, ideo pro tertia conditione debet in concreto deſignari: qua propter ſicut hæc eſt falſa, homo eſt Anima, quia Anima eſt forma partis, ita hęc eſt falſa Plato eſt humanitas, quia abſtractè ſumitur: ſed hęc eſt vera Plato eſt homo, quia homo concretè ſumptus per modum totius ſe tenet. Quantum ad ſecundum dicimus quod aliquod prædicatum dicere quid, tribus modis cõ-
D tingit, primo ſecũdum rem & modum ſimul, & ſic genera & ſpecies de genere ſubſtantię dicunt quid: alio modo ſecundum rem tantùm, & ſic Differentia ſubſtantialis & ſpecifica dicit quid, quia eſt de genere ſubſtantiæ, ſed non dicit quid ſecundum modum, quia reſpectu illius ſpeciei, cuius eſt Differentia ſe habet per modum qualitatis, & ideo de ea in quale prædicatur, hinc Ariſtot. in libro 4. topicorum in explanatione loci 81, inquit quod Differentia qualitatem generis ſemper ſignificat, & in libro 5. metaphyſ. tex. 19. ipſã

differentiam substantię qualitatem appellauit. Tertio modo aliquid prędicatur in quid secundum modum tātùm, & ita genera & species de genere accidentis dicuntur in quid de suis inferioribus: quia & si ex suo genere sūt Accidentia, tamē respectu suorum inferiorum de quibus prędicantur habēt modum substantiæ: quapropter sicut hę prędicationes homo est Animal, Sortes est homo, sunt essentiales & in primo modo dicendi per se, & dicunt quid ita & hæ, albedo est color, & hæc albedo est albedo; & hoc est quod Aristoteles in libro primo topicorum capit. septimo inquit quod in omni genere est inuenire quid.

Quo ad tertium quid sit prædicari in quid, D. Thomas in opusculo 48. capit. 2. & Scotus in q. 19. vniuersalium, inquiunt quod aliquod prędicatum prędicari in quid, est dicere essentiam rei per modum essentię: quod est dicere illud prędicatū prædicatur in quid, quod importat formam substantialem rei per modū per se stantis, vel per modum substantię, & præsupponit aliquid quod qualificet, & determinet: exempli gratia in hac prædicatione homo est Animal, illud prædicatum Animal, dicit naturam & essentiam hominis per modum essentiæ, & alicuius per se stantis: vel distinctius dicatur hoc modo; ad hoc quod aliquid prædicetur in quid, duo sunt necessaria, primum quod illud prædicatum sit de natura, vel pars naturæ rei, sed hoc non sufficit, quia vt Toletus in quęstione quarta huius capitis benè inquit, etiam Differentia specifica est pars naturæ rei, & tamen non prædicatur in quid: secundum requiritur quod prędicetur per modum naturæ & substantiæ: & addatur tertium ex Scoto ibidem, videlicet, quod illud prædicatum per modum essentiæ & substantiæ referatur ad suum subiectum, vel inferius de quo dicitur, quoniam lapis & quodcunque aliud substantiale disparatum, licet dicant quid,

A non tamen respectu hominis, vel alterius cuiuscunque subijcibilis: tunc fit quod cum genus respectu suarum specierum, & species respectu suorum indiuiduorum has conditiones habeāt, prædicentur in quid: Differentia autem & si secundum rem dicat quid, eo quòd est de natura rei, tamen quia se habet per modum qualitatis & sub modo alteri adiacentis, & supponit aliquid ante se quod determinat, propter hoc prædicatur in quale. At Caietanus, & subtiliter quidem notat, quod prędicari in quid, dupliciter ad

B huc contingit, vno modo complete, alio modo incomplete; prędicari in quid complete est prędicatum dicere actualiter totam rei quidditatem de qua prędicatur, & hoc modo sola definitio completè prædicatur, sed prędicari incomplete est dicere essentiam rei per modum substantiæ non explicando distinctè totam illius quidditatem sed partem, & hoc modo genus

C prędicatur de specie; significat enim vniuscuiusque speciei essentiam per modum substantiæ, non tamen complete; Animal namque significat quid sit homo, non tamen perfectè, quemadmodum Definitio facit, scilicet Animal rationale.

Quo ad quartum: quid sit specie differre, & quæ sunt ea, quę specie differunt: sciendum quod Aristoteles in lib. 5. metaphys. cap. 10. plures modos differendi specie assignat, verumtamē

D ad rem nostram, illa dicuntur specie differre, quę sub eodem genere distinctas definitiones habent, & ea ipsa in alias inferiores species diuidi non possunt, sicut sūt species specialissimæ homo, Leo, Equus, Asinus, nā hæ species sub eodē genere proximo & immediato. s. sub Animali cōtinentur, atq; sub illo distinctas definitiones habent, cū alia sit hominis definitio, & alia Leonis: de his Animal prędicatur in quid, & sub illis non nisi indiuidua reperiuntur: & hęc dicta sufficiant.

Dilucidatio 5.

Tex. Eorum enim quæ prædicantur, alia quidem dicũtur de vno ſolo, ſicut indiuidua, vt Sortes, & hic & hoc: alia vero de pluribus, quemadmodum genera, & Species, & Differentia, & Propria, & accidentia cõmuniter, ſed nõ propriè alicui: eſt autem genus quidẽ vt Animal, ſpecies vt homo, Differentia vt rationale, Proprium vt riſibile, Accidens vt album, nigrum, ſedere.

POſtquam Porphyrius quid genus logicum ſit explicuit, illiuſque geminam definitionem aſſignauit, nec non conuenientiam & ſimilitudinem, quã cum duabus prioribus acceptionibus habet, explanauit; in preſenti textu & reliqua parte huius capitis oſtendere intendit poſtremam generis logici poſitam definitionem, nõ ſolùm bonam, verum etiam optimam eſſe, atque per eam ipſum genus ab omnibus alijs prædicabilibus diſtingui; ſed quia hęc litera prolixior eſt, quã opus exigat, & ex ſe ipſa ſatis clara eſt, ideo rectè aſſerit Caietanus, quòd quadam breui explanatione potius, quàm verborum expoſitione indiget: at quia iuniores docemus, propterea ad faciliorem intelligentiam, eam partire nec nos pigeat: igitur Author vt ad propriam intentionem perueniat, tres diuiſiones predicatorum, ſimulque modorum predicandi inſinuat, quarũ prima eſt hæc; Eorũ quæ prædicantur, alia predicantur de vno ſolo, alia de pluribus; illa quę de vno ſolo prædicantur ſunt indiuidua, quorũ aliqua ſunt nominata vt Sortes & Plato, quędam ſignata, & pronomine demonſtrata vt hic & hec, & hoc; quæ ſignata indiuidua duplici modo proferuntur, vel ſim-

A pliciter vt ſi dicatur hic currit, aut cũ additione vt hic homo currit: quædam de pluribus prædicantur, vt ſunt quinque prædicabilia, videlicet Genus, ſpecies, Differentia, Proprium, & Accidẽs cõmune. Deinde per exempla explanat quę prenominata Vniuerſalia ſint, dicens Genus vt Animal, Species vt homo, Differentia vt rationalis, Proprium vt riſibile, Accidens commune, vt album, nigrum ſedere.

B *Tex.* Ab ijs igitur quæ de vno ſolo prædicantur, differunt genera, eo quod hęc de pluribus prędicantur: ab ijs autẽ rurſus quæ de pluribus, à ſpeciebus quidem, quoniam ſpecies & ſi de pluribus prædicantur, non tamen de differentibus ſpecie, ſed numero; homo.n.cũ ſit ſpecies, de Socrate & de Platone
C predicatur, qui non ſpecie differunt, ſed numero: Animal vero cũ ſit genus, de homine, & boue, & Equo predicatur, qui differunt à ſe inuicẽ ſpecie, nõ numero ſolum. à Proprio vero differt genus: quoniã Propriũ quidem de vna ſola ſpecie cuius eſt proprium, prędicatur,
D & de ijs quæ ſub ipſa ſpecie sũt indiuiduis, quemadmodum riſibile de homine ſolùm, & de particularibus hominibus; genus autem nõ de vna ſola ſpecie predicatur, ſed de pluribus & differentibus. à Differentia vero, & ab his quæ communiter ſunt accidentia differt genus; quoniam & ſi de pluribus & differentibus ſpecie predicantur differentiæ & commu-

niter accidentia, nõ tamẽ in eo quod quid est predicantur, sed in eo quod quale quid est.

POsita prima diuisione eorum quæ prędicantur, & si in hac litera secundam & tertiam explicitè non assignet, implicitè tamen eas insinuat: vnde secũda in ordine est hęc; eorum quæ de pluribus prædicãtur, quædã predicantũ de pluribus differẽtibus numero solo, & quædam de pluribus differentibus specie: tertia est hęc; eorum quæ de pluribus & differentibus specie dicuntur, alia in quid, & alia in quale predicantur: his positis, Author insinuat cõclusionem vnam in textu, & est hęc; Generis definitio non solùm bona, sed optima est, quam conclusionem tali ratione comprobat, illa Definitio est bona, quæ soli Definito competit, & per quam ipsum definitum à quolibet alio definibili distinguitur, sed hęc generis assignata Definitio soli generi competit, atque per ipsam genus distinguitur à quolibet alio definibili, ergo assignata generis definitio est bona: maior est Aristotelis primo capite libri sexti topicorum; minorem verò quo ad singulas particulas Porphyrius in textu hoc modo dilucidat; tres etenim particulæ in hac definitione ponuntur, quarum prima est prędicari de pluribus, secunda differentibus specie, tertia in quid, per primam genus distinguitur à quocunque indiuiduo, quod de vno solo predicatur, nempe de se ipso vt puta dicendo Sortes est Sortes: circa quam differentiam modi predicandi generis ac indiuidui, notat Paulus Venetus, quod genus & indiuiduum non differunt absolute per predicari de vno vel de pluribus, quoniam predicari de se ipso non est propriè predicari, vnde Aristoteles in capit. de substantia dicit quod à prima substantia nulla est predicatio, sed differunt per predicari secũdum rem, & secundum rationem: nam genus predicatur de pluribus secũdum rem,

A quia ea de quibus predicatur sunt plura secundum rem; sed indiuiduum intelligitur à se ipso distinctum secundum rationem tantùm: per secundam particulam, quæ est de differentibus specie, genus distinguitur à speciebus, quoniam & si species predicatur de pluribus, quemadmodum & genus; tamen ea plura de quibus species predicatur, non distinguuntur ab inuicem eo modo, quo illa de quibus genus predicatur: nam species

B predicatur de pluribus differentibus solo numero, sed genus de pluribus specie differentibus: exempli gratia Animal quod est genus dicitur de homine & de Leone & de Equo qui specie ab inuicem distinguuntur; sed homo qui est species predicatur de Socrate & de Platone qui solo numero distinguuntur; sunt enim eiusdem speciei cum eorum quilibet sit homo. Quod si quis obijciat etiam genus prędicari de pluribus differen-

C tibus numero, quia quęcunque differunt specie differunt numero sicut in libro quinto metaphys. Aristoteles scribit, qua propter si genus predicatur de pluribus differentibus specie, predicatur etiam de pluribus differentibus numero; Respondetur quod hęc obiectio soluitur à Porphyrio in litera dum dicit quod genus v g. Animal prædicatur de homine, de boue, & de Equo, qui differunt à se inuicem specie, non numero solùm, qua pro-

D pter ponendo illam particulam, solum, ostendit distinctionem hominis & Equi non esse tantùm numeralem, sed principaliter esse specificam, at secundario numeralem quatenus plures species numerum constituunt: sed Sortes & Plato solo numero distinguuntur ab inuicem, nec aliqua formalis distinctio inter eos reperitur. Vlterius ostendit Author Genus per eandẽ particulam distingui etiã à Proprio, quia Proprium de vna sola specie, de illa scilicet cuius est Proprium, predicatur, vt risibilitas de homine, & hinnibi

litas

litas de Equo: & de indiuiduis sub ea A specie cōtentis, qua de re sicut dicitur homo est risibilis, ita dicitur Sortes est risibilis, Plato est risibilis, nec de alia specie ab homine risibilitas predicatur; sed genus de pluribus speciebus prædicatur; Preter quod assignatū discrimen inter genus & Proprium, tria alia Paulus assignat, vnde secūdū in ordine est quia genus predicatur de omnibus suis speciebus & indiuiduis in primo modo dicendi per se, at Propriū de sua specie & indiuiduis in secundo B modo dicendi per se: tertiū est ex parte modi essendi, quia genus est prius suis speciebus, & Propriū est sua specie posterius eo quòd à principiis essentialibus illius emanat: quartū Genus est definiens suas species, Propriū autem per suam speciem definitur, sicut in lib. primo posteriorum capite quarto legitur: addatur quinta ex eo quod genus predicatur in quid, Proprium verò in quale, Tandem Porphyrius concludit, Genus distingui à Differentia & ab Accidente communi C per illam tertiam particulam, videlicet per prędicari in quid: nam genus, Differentia & Accidens commune in hoc conueniunt, quod singula predicantur de pluribus specie differentibus, vnde sicut Animal predicatur de Leone & Equo qui specie differunt, ità ad mentem Porphyrij Rationale quod est differentia predicatur de hominibus & de Dijs, vt suo loco dicetur, & sic album & nigrum quæ sunt D Accidentia communia predicantur de pluribus specie differentibus: sed distinguuntur deinde ex eo quod genus predicatur in quid, Differentia & Accidens in quale, vt suis locis manifestabitur; quamuis non eodem modo, sed nunc sit satis demonstrasse diuersum modum predicandi scilicet in quid & in quale inter genus ex vna parte, & differentiam & accidens commune ex altera parte distinctionem intulisse, atque diuersitatem fecisse.

Sed Contra ea quę dicta sunt surgit non modica difficultas; nam cum Proprium predicetur in quale, sicut Differentia & Accidens commune in quale dicuntur: cur Porphyrius non distinxit genus à Proprio per predicari in quid & in quale, sicut fecit à Differentia & ab Accidente communi? ac precipue id facere debuisset, cum predicari diuidatur in quid & in quale tanquam per primos modos predicandi, sicut Scotus quest. decima nona scribit.

Ad hanc difficultatem respondent quidam, quòd aliqua conueniunt quinque vniuersalibus essentialiter, & aliqua non essentialiter; v. g. in definitione generis duo ponuntur, vnum est prædicari de pluribus differentibus specie, alterum est prædicari in quid; primum inest generi essentialiter, alterum non, eo quod predicari in quid inest etiam speciei respectu suorum indiuiduorum: item predicari de vna sola specie conuenit essentialiter Proprio, non autem predicari in quale, quoniam & Differentiæ & Accidenti communi etiam hic modus predicandi competit: & ad propositum inquiunt, quia Author intendit ponere discrimen inter genus & proprium penès ea, quæ essentialiter illis conueniunt, quæ sunt dici de pluribus & de vno, ideo non disiunxit vnum ab altero per predicari in quid & in quale, quę accidentaliter eis insunt: sed quando diuidit genus à Differentia & ab accidente communi, satis fuit discrimen inter ea assignare, per hæc quæ accidentaliter eis conueniunt.

Verum hæc solutio non nihil difficultatis secum affert; etenim si predicari in quid ideo competit generi non essentialiter, eo quod etiam species in quid predicatur, pari ratione predicari de pluribus specie differentibus non inest generi essentialiter, quoniam ad mentem Porphyrij competit etiā Differentiæ, & accidenti communi, vt dicetur, propterea dicatur nunc & forte

magis ad intentionem Authoris, quod cum prædicari de pluribus specie differentibus sit commune generi, Differentiæ & accidenti ideo ex hac parte nullum discrimen inter ea assignare poterat, ob id per primos modos prędicandi qui sunt in quid & in quale ea ab inuicem disiunxit; at cum vnum & multa opponantur, sicut Aristoteles in lib. 10. metaphys. text. 9. scribit, & genus de pluribus speciebus, & Propriũ de vna sola specie, cuius est Proprium prędicetur, ideo fuit satis per hãc primam oppositionem genus à Proprio separare; quæ solutio est consideratione digna; & de præsenti dilucidatione hæc dicta sufficiant.

Dilucidatio 6.

Tex. Interrogantibus enim aliquibus, quid est illud de quo prædicantur hæc? genus respondebimus, Differentias autem & accidentia non respõdebimus; nõ enim in eo quod quid est prædicantur de subiecto, sed magis in eo quod quale quid est: interroganti enim quale quid est homo, dicimus quod rationale, & quale quid est Coruus, dicimus quod nigrum: est autem rationale quidem Differentia, nigrum verò Accidens: quãdo autem quid est homo? interrogamur, Animal respondebimus, est autem hominis genus Animal.

Porphyrius iã dixerat Genus à Differentia & ab accidente communi distingui per primos modos prædicandi, qui sũt prędicari in quid & in quale, quemadmodum Scot. in q. 19. vni-
A uersalium scribit; nam genus prædicatur in quid de suis speciebus, Differentia & Accidens commune prędicãtur in quale; sed suam positionem ad huc non comprobauerat; qua propter in presenti textu, quadam ratione sũpta à signo, & ex Aristotele in lib. 1. topicorum cap. 4. accepta illam explanat hoc modo procedendo. illud prædicatur in quid quod respondetur ad interrogatiouem factam per quid, sed si quis interrogetur de homine quid sit,
B respondet genus, scilicet Animal, ergo genus in quid prędicatur. Quod si quis querat ob quam causam ad interrogationem factam per quid, respondeatur genus? dicitur quod hoc interrogatiuum quid, querit de substantia & de quidditate rei, & quia Aristoteles in lib. 1. poster. ca. 1. docet responsionem interrogationi proportionari debere, & genus signat essentiam & quidditatem rei, quamuis sub ratione confusa & indeterminata, determina-
C bili tamẽ per differentias, propter hoc ad interrogationem factam per quid, respondetur genus: ac subinfert Author, quod ad interrogationẽ per quale respondetur Differentia & Accidẽs commune, nam si quis interrogetur quale Animal sit homo, respondebit rationale quod est Differentia: vlterius si queratur qualis sit Coruus, dicimus quod niger, quod est accidens commune: sed ob quam causam hæc prædicantur in quale, singula in singulis suis
D locis dilucidabuntur.

Text. Quare de pluribus prædicari diuidit genus ab ijs quæ de vno solo, eorum quæ sunt indiuidua, prædicantur: hoc verò de differentibus specie, separat ab his quæ sicut species prædicantur, vel sicut Propria: in eo autem quod quid est prędicari, diuidit à Differẽtijs & communiter acciden-

cidẽtibus, quę non in eo quod quid est, sed in eo quod quale quid est, vel quomodo se habet vnumquodque prędicatur de his, de quibus prædicatur.

RESumit Author quæ dixerat, & preassignatę generis definitionis sufficientiam concludit dicens, quod prædicari de pluribus diuidit genus ab ijs quę de vno solo prædicantur sicut sunt indiuidua: predicari verò de differentibus specie diuidit genus à specie & Proprio, eo quod species predicatur de pluribus differentibus numero, & Proprium de vna sola specie, cuius est Proprium: predicari autem in quid diuidit genus à differentijs, & communiter accidentibus, quæ in quale, aut in quomodo se habet, prædicantur.

Tex. Nil igitur superfluum, neque minus continet generis dicta descriptio notionis.

SEntentia est Aristotelis in lib. 6. topicorum in explanatione locorum 12. & 13. illam definitionem esse benè assignatam, quæ nihil superflui aut diminuti continet, sed semper æquari debet ei quod definitur: quoniam vt in hoc loco Boetius & Ammonius inquiunt, si Definitio non sit ęqualis, sed sit maior aut minor ipso definito, tunc vel plura indicabit, quæ ad rei substantiam non spectant, aut eiusdem rei naturam incompletam demõstrabit: vnde subdit Ammonius quod Definitiones ea potissimum de causa appellantur termini, eo quia ipsam rem definitam suo complexu coërcent & continent; imo à similitudine terminorum, quibus possessiones à possessionibus separantur, nomen acceperunt, qua propter vni tantùm rei conuenire, & totam eam rem complecti debẽt. perfecta enim est ea definitio, quæ rem definitam circumscribit, quæque nihil

A extra ipsam relinquit, nec quicquam eorum, quę cum vi & natura rei coherent, pretermittit. Etenim quando Definitiones continent aliquid superflui, tunc ipsam rem contrahunt & coangustant, idest ita ipsum definitum diminuũt, vt iuxta illam definitionem paucioribus conueniat quàm debeat; exempli gratia definiatur homo sic, homo est Animal rationale mortale, gramaticum vel album, tũc huiusmodi definitio non omnes homines, sed

B gramaticos tantùm vel albos tantùm iure optimo continebit; res quo compositiores sunt eo magis contrahuntur, & coangustantur; nam ipsum Animal per se multis competit, quia multę sunt Animalium species, rationale adiunctum paucis, rationale cum mortali paucioribus, si autem gramaticum vel album addatur, longè pauciora cõtinebit. Sed si ipsæ definitiones aliquid diminuti contineant, tunc ipsam rem definitam amplificant & dilatant,

C vt si dicatur quod homo sit Animal mortale, res ipsa amplificabitur, si quidem non solùm homo, sed bos etiã & canis, & alia permulta, Animal mortale sunt: hinc igitur Porphyrius vt ostendat allatam generis definitionem esse bonam, solique definitio generi conuenire, concludit, atque huic capiti finem imponit his verbis, nil igitur superfluum, neque minus continet generis dicta descriptio notionis: & hęc sint satis.

D

Dilucidatio 7.

Quid prima, quidue secunda intentio sit, elucidatur.

VEritatis contemplationem partim esse hominibus difficilem, partim facilem, Aristoteles Peripateticorum Princeps, ac Phylosophorum prestantissimus, in lib. 2. primę phylosophię capite primo textatur. quòd autem

quadam ex parte sit difficilis, duobus confirmat indicijs, vno, quia nemo vnquam pro rei dignitate eã assequi potuit; altero, quia si quis intelligere voluerit, quid vnusquisq; Phylosophorũ per se ipsũ ad veritatis cognitionẽ cõtulerit, planè comperiet singulos aut nihil, aut parum contulisse, quòd ex altera parte sit facilis, totidẽ suadet argumentis. vno, quia nemo est, qui etiã per se à vero prorsus aberrauerit, nullamque verę cognitionis particulã attigerit: altero, quia saltẽ congestis in vnum omniũ Phylosophorum inuentis, satis magna videri potest verę cognitionis sũma. nos igitur qui in huius opusculi dilucidatione, logicam veritatẽ contẽplari, eamque cognitã alijs anteponere statuimus, & si illius cognitio nostro ingeniolo difficilis reddatur, ex his tamen in vnum congestis, quæ Dialetici dixere, eam indagare studebimus. at quoniam logici, frequenti vsu, nomen primæ ac secundę intentionis prę manibus habent, vnde Auicennæ diuulgata sententia est, logica est de secundis intentionibus adiunctis primis; ob id vt logicalium rerum veritatem rèperiamus, ab horum terminorum explanatione nunc exordiamur, ipsorum etenim obscuritatem Iuuenum intellectus obtundere, nequaquam dubitare licet; eorumdemque intelligentiam, vtilitatem haud paruam allaturam his qui logicæ limen aggrediuntur, omnibus est in cõfesso: quæritur ergo quid & quotuplex sit intentio, ad quorum terminorum facilem intellectum, notandorum ordine procedemus.

Sit primum notandum, hoc nomen intentio cùm Phylosophis moralibus, tùm Dialeticis cõmune est: & quamuis apud vtrosq; intentio, vt ipsum nomen sonat, significet in aliud tendere, ita S. Tho. in p. 2. q. 12. art. 1. scribit, vnde intentio est idẽ quod alicuius potẽtiæ in aliud tendentia; tamẽ apud morales intentio est actus alterius potentię, & alterius apud dialeticos. Etenim

A apud morales intentio est actus volũtatis respectu finis, alius tamen ab actu qui dicitur volitio, & à fruitione: volũtas enim, vt S. Tho. eodem in loco ad quartũ inquit, tripliciter respicit finẽ, primo modo absolutè; v. g. cũ volumus sanitatẽ, vel aliquid huiusmodi, quod propter se est amabile, & alia propter ipsum amantur & desiderantur, tunc illius actus dicitur volitio: secundo consideratur finis, prout voluntas in eo quiescit, nil aliud vlterius quærens tũc

B illius actus dicitur fruitio, quæ quietẽ in termino significat; tertio consideratur quatenus est terminus alicuius, quod in ipsum ordinatur, exempli gratia, si quis vult sanitatem, & vult ad illã per aliud, vt puta per medicinã peruenire, tunc dicitur quod intendit sanitatem tanquam finem, quem finem intentio respicit, quatenus alia in ipsũ ordinantur, & ita voluntas tendit primo in finem vt acquisibilem per aliquod medium: & in hoc differt inten-

C tio ab electione & vsu, quia in intentione volũtas primò fertur in finẽ per media acquisibilem, in electione autem cõsensu, & vsu, primo respicit media in ordine ad finem: igitur apud morales intentio est actus voluntatis. Sed apud dialeticos intentio est actus intellectus seu mẽtis, quo ipsa in aliud i. in aliquod obiectũ intelligibile tẽdit; ac propterea dicitur intentio, quasi mẽtis in aliud tendẽtia, eo quod mẽs nostra suo actu in aliud tendit, vt infra dicet.

D Sit secundum notandũ rebus naturalibus, quę sub nostris intellectus cõsiderationem, ac contẽplationem cadunt, aliquæ proprietates duobus modis conueniunt & insunt; vno modo ex sua natura, & ab intrinseco, ita vt nullo intellectu cõsiderante, habent quod sint hoc & illud; exẽpli gratia Animal habet quod sit substãtia animata sẽsitiua, homo quod sit risibilis, quantus, coloratus, & huiusmodi: altero modo aliquæ eis insunt ab extrinseco, & non nisi ex sola nostri intellectus apprehẽsione & consideratione: exẽpli gratia,

quod

quod Animal sit genus, homo species, prędicatum, vel subiectum; nam hæ naturæ non ex sua intrinseca ratione habent quod sint genus aut species, sed ex quadam nostri intellectus consideratione tantùm huiusmodi proprietates sibi attribuuntur: quare priores ab intrinseco & ex sua natura eis insunt, posteriores vero ab extrinseco tantũ, id est per operationem intellectus tan tùm eis conueniunt. sumitur hæc distinctio ex Diuo Thoma in tractatu de ente & essentia, cap. quarto.

Sit tertium notandum, quia apud Dialeticos intẽtio est actus intellectus quo ipse in aliquod tendit, & illud cõcipit; ideo iste actus est duplex, primus est, quo intellectus tendit in res, & eas concipit, quo ad illas proprietates, quę ab intrinseco & ex sua natura eis insunt: secundus est, quo eas concipit ac cõsiderat quantũ ad illas proprietates, quæ ex solius intellectus negociatione circa eas, illis cõpetunt. ex quibus apparet quod intentio est duplex, vna quæ prima intentio dicitur, altera quę secunda intentio nũcupatur. prima intentio est ille actus, siue operatio, siue conceptus, qui de re primo formatur, siue ab ipsa re immediatè abstrahitur; vel vt alij dicunt, illa cognitio qua noster intellectus cognoscit rẽ sibi obiectam, ac prę sentatam, quo ad illas proprietates, quæ naturaliter eis insunt, vt quod Animal sit substantia animata sensitiua, homo sit risibilis, quãtus, &c. ex quo fit quod intentio quandoque sumitur pro ipsa re, circa quam noster intellectus sua negociatione operatur: sed secunda intentio est ille secundus actus, siue operatio, siue conceptus, vel vt alij dicunt secunda cognitio eiusdem intellectus, qua secundario cognoscit & concipit res, quo ad illas proprietates, quæ ex ipsius intellectus negociatione tantùm sibi conueniunt, & dicitur secundarius quia priorem supponit & in ipso fundatur; exempli gratia, intellectus postquam concepit Animal & illius naturam, A tunc reflectitur supra ipsum Animal cognitum, prospiciensque illius naturam pluribus communem, abstrahit ac format illum conceptum, genus, quo significatur, illam proprietatem nempe esse substantiam animatam sensitiuam pluribus Animalibus in esse; idem de homine quatenus species, atque vt prima intentio quandoque pro ipsa re concepta sumitur, ita secunda intentio aliquando pro ipsa re secundario concepta, & intellecta accipitur. B

Sit quartum notandum, vtraque intentio, tàm prima videlicet, quàm secunda, duobus modis adhuc sumitur; vno formaliter, altero, obiectiuè: vel dicatur sic, vtraque intẽtio est duplex, vna formalis, altera obiectiua; & has alij vocant conceptum formalem, & conceptum obiectiuum: intentio formalis secundũ quosdam, est ille actus intelligendi & concipiendi, quo intellectus rem ipsam intelligit, & cõcipit; C siue vt alij dicunt, est illa qualitas potẽtiæ cognoscitiuæ, qua res formaliter cognoscitur, seu vt quidã clarius interpretãtur, est illa actualis similitudo rei quę intelligitur, & ab intellectu producta, ad eã rem quę intelligitur, exprimendam, exempli causa, cum intellectus percipit naturam humanã; actualis similitudo illius, quam sibi cõficit, vt naturã humanã exprimat, est cõceptus formalis humanæ naturæ. & dicitũ formalis duplici de causa, vna, quia est D forma quædã accidentaria intellectui inherens; altera quia repræsentat rem, sub ea forma, seu natura, secundũ quã intelligitur. & nõ ab re (animaduerte) dicitur actualis similitudo, vt ex hoc distinguatur à specie intelligibili, quæ & si est similitudo rei, quę intelligitur, nõ tamẽ inheret intellectui in actu secũdo, vel vt actus, sed in actu primo seu vt habitus: etenim quãuis in intellectu sint species intelligibiles, quæ sunt rerum similitudines, vnde in libro tertio de anima, scribitur non lapis, sed species lapidis est in anima, non pro-

propter hoc illicò est in intellectu cõceptus formalis, sed tunc producitur, quando intellectus per actualem applicationem & considerationẽ ad speciem intelligibilem habitualem format in se illam actualem similitudinẽ, siue verbum cordis, ad quod intellectus directè & immediatè terminat actum intelligendi, vt inde tendat in obiectum ad extra: & propterea quando intellectus cessat ab actuali consideratione illius speciei intelligibilis, vt in somno vel alia occupatione, tunc illa actualis similitudo, seu verbum cordis euanescit, propter desitionem conseruantis, quod est actus intelligendi, siue actualis applicatio intellectus; quemadmodum exempli gratia, pro nunc, actualis visio siue species visibilis, quæ producitur ab obiecto in potentia visiua euanescit propter desitionem luminis, & remotionem obiecti. intentio autem obiectiua est ipsum obiectum, id est ipsa res quæ intelligitur secundum eam formam, naturamve, qua per formalem concipitur: vel vt alij dicunt est ipsa res immediate significata per conceptum formalem, & quatenus ipsi intellectui obijcitur, vt immutãs ipsum ad sui intellectionem, vel prout est terminus intellectionis.

Sit quintum notãdum quemadmodum prima intentio, vt partim dictum est, est duplex, nempe formalis & obiectiua: formalis vt ille primus conceptus, siue similitudo rei in intellectu formata; obiectiua, id est ipsa res cognita & representata, vt homo, Animal, Sortes; ita datur secunda inteniio formalis, id est, secundus conceptus abstractus à conceptu primo, vel secunda similitudo à prima actuali similitudine sumpta, vt conceptus generis ab animali abstractus, & speciei ab homine; & secunda intentio obiectiua. id est illa entia rationis ab intellectu cognita, & ipsi representata sub ea forma seu natura, qua ab ipso intelliguntur, vt genus, species, subiectum, prædicatum, & cętera huiusmodi.

A Sit sextum notãdum cum vnaquæquæ res quę est in mundo sit prima intentio, ita scilicet denominata per respectum ad intellectum, à quo sunt aptę natæ cognosci & intelligi; ideo vnaquæquæ res, quę actu aut potentia intelligitur, potest dupliciter considerari, vno modo quãtum ad suam propriam actualem existẽtiam, qua in rerum natura existit, & hoc modo ipsa est semper singularis, quia existentia conuenit indiuiduis primo & per se,

B vniuersalibus autem secundario, vnde Aristoteles in cap. de substantia dicit quod secundæ substantiæ non existunt nisi in primis; & hoc modo res accepta & considerata, non dicitur conceptus siue intentio obiectiua, quia vt sic nulli obijcitur, sed potius existentię subijcitur. alio modo consideratur vt est immutans intellectum ad sui intellectionem, vel prout est terminus intellectionis, quem intellectus intelligit & cognoscit, & iuxta hanc consideratio-

C nem vocatur conceptus vel intentio obiectiua; & propter hoc diximus intentionem obiectiuam esse ipsam rem intellectam secundum eam formam & naturam qua per formalem concipitur; concipitur enim per hanc, vt terminus intellectionis intellectus.

Sit septimum notandum intentio siue conceptus formalis quicũque sit, siue primus, siue secundus ad huc duplex est, vnus qui dicitur simplex, alter qui dicitur complexus siue composi-

D tus: simplex conceptus siue intentio formalis est illa, quæ respondet rei in enunciatione subiectæ; complexa quę etiam prædicatum illius coplectitur: exempli gratia formetur de re primę intentionis hęc enunciatio in mente, (homo est Animal rationale) in qua quidem enunciatione quando intellectus apprehendit subiectum tantùm, vt puta ly homo tunc conceptus aut similitudo illi correspondens, vocatur primus conceptus, vel prima intentio formalis simplex; at cum subiectum & prædicatum simul concipit, tunc ille con-

conceptus appellatur primus conceptus, vel prima intentio formalis complexa: & quod de prima intentione dicitur, affirmatur etiam de secunda intentione formali, scilicet quod est duplex, simplex & composita, simplex intentio secunda formalis est illa, quæ respondet rei significatę intentionaliter per subiectum tantùm; composita quę respondet rei significatæ per prędicamentum simul vt si formetur in mente hæc enunciatio de secundis intentionibus, atque dicatur (Genus est Vniuersale,) quando intellectus concipit subiectum tantùm, vt puta, genus, tunc ille conceptus dicitur secunda intentio simplex; sed quando concipit simul prædicatum, tunc ille conceptus dicitur secũda intentio formalis composita: similiter dicatur de vtraque intentione obiectiua, tam prima scilicet quàm secũda, quod est duplex nempe simplex & composita: prima intentio obiectiua simplex est res primæ intentionis. quę intelligitur secundum eam formam & naturam, qua per formalem concipitur, vt Animal, homo, sortes: secunda intentio obiectiua simplex est ipsa res secundæ intentionis, quæ intelligitur secundum eam formam & naturam, qua per formalem concipitur, vt genus, species, indiuiduum: prima intentio obiectiua complexa est ipsa res repræsentata per subiectum & prędicatum simul, vt homo est Animal rationale; secunda intentio obiectiua complexa est ipsa res secundę intentionis, per subiectum & prædicatum simul concepta & repræsentata, vt si dicatur Genus est Vniuersale, indiuiduum est singulare.

Sit octauum notandum prima & secunda intentio conueniunt & differunt: etenim si ambę sumantur formaliter, tunc in hoc conueniunt, quod vtraque est ens reale realiter & subiectiuè in intellectu existens; quia cum tam prima, quàm secũda intentio formaliter sumpta sint actus & conceptus intellectus, sequitur quod sint verę

A qualitates in intellectu existentes, omnis namq; actus & cõceptus intellectus in ipso intellectu subiectatur, quapropter sicut similitudo vel cognitio quã habeo de Animali, aut de homine est vera qualitas in intellectu existens, & est prima intẽtio formalis, ita similitudo aut cognitio quã habeo de genere, de specie, ac alijs secũdis intẽtionibus est vera qualitas in intellectu existẽs, & est secunda intentio formalis. Si autẽ intentio sumatur obiectiuè, tunc partim

B conueniunt & partim differunt, cõueniunt itaque ex eo quod vtraque est in intellectu obiectiuè, quod est dicere vtraque terminat actum intellectus, eo quòd tanquam obiecta cognoscibilia aut cognita intellectui obijciuntur: vnde sicut Animal, homo, Sortes, quę sunt prima intentio obiectiua repræsentantur intellectui tanquam obiecta ab eo cognita aut cognoscibilia, ita genus, species, subiectum, & huiusmodi, quæ sunt secunda intentio

C obiectiua repræsentantur intellectui tanquam obiecta ab eo cognita aut cognoscibilia: at differunt postea quia prima intentio obiectiua est Ens reale extra intellectum existens vt Animal & homo: sed secunda intentio obiectiua est ens rationis, eo quòd est tale ex proprietatibus ab extrinseco sibi cõuenientibus, & non nisi ex sola nostri intellectus operatione, vt genus, species, Differentia, & reliqua huiusmodi.

D Sit nonum notandum quemadmodum intentio est duplex, nempe prima & secunda, ita nomina sunt duplicia, quædam sunt nomina primæ intentionis, vt illa quæ significant rem vt cadit sub primario conceptu intellectus, vt homo, leo, Animal, substantia: alia sunt nomina secundæ intentionis, vt illa quę significãt rem, quatenus cadit sub secundariò conceptu intellectus, & cõnotant secundam intentionem, vt hæc nomina, Genus, species, indiuiduũ, &c. & quamuis prima & secunda intentio distinguantur eo quod vna est ens reale, & altera rationis (de obiectiua

namque

namque nunc est sermo) tamen res vtrique substrata est eadem res, quia ipsa met sub primario & secundario conceptu apprehendi potest, vt Animal quod sub primario conceptu signat naturam animatam sensitiuam, sub secũdario deinde signat naturam generis, & ita de alijs dicitur.

Sit decimum notandum: Relatio est duplex, vna realis, altera rationis: relatio realis est illa quæ seclusa omni operatione intellectus rebus, inexistit, & per quam vnum ad aliud est, vt paternitas quę est in aliquo homine, sine aliqua intellectus operatione ad filiũ refertur: sed relatio rationis ea est, quę non est in rebus nisi per operationem intellectus: & in hoc genere relationis reponuntur omnes intentiones secundæ, cuiusmodi sunt relationes generis, speciei, prædicati, subiecti, & omnium intentionum, quas logicus producit, sed quando dicitur quod secundæ intentiones sunt relationes, intelligatur quod ipsę sunt relationes, non eæ quibus Vniuersale refertur ad intellectũ à quo producitur, sed quibus Vniuersale refertur ad sua inferiora, respectu quorum dicitur genus aut species, & ad quæ per intellectum comparatur: Igitur ex his quæ dicta sunt, ac explanata fuere patet quid & quotuplex sit intentio, sicut in principio polliciti sumus. quæ dicta sufficiant.

Disputatio secunda de Genere.

An Definitio Generis, Ceterorumq; Vniuersalium supponat pro prima, vel pro secunda intentione.

Dilucidatio I.

Proponitur Disputatio, & Ioannis Gandauensis opinio examinatur.

A QVEMADMODVM Aristoteles in libro 1. cæli textu 101. scribit; Ea quæ dicuntur maiorem fidem habebunt, si disceptantium rationum iura prius fuerint audita, minusque videbimur in dicta causa damnare: arbitros enim non aduersarios oportet esse, qui de veritate iudicium
B laturi sunt, hoc idem rursus in primo capite lib. 3. metaphys. repetit dicens, melius affectum ad iudicandum necesse est esse eum, qui rationes omnes disceptantes, quasi ipsos aduersarios audiuit. quod quidem diligentissimè ipsemet Aristoteles obseruat penè vbicunque difficile aliquid, aut contrauersum tractandum suscipit, vt in libris de physico auditu, de cœlo, de anima, atque in metaphysica cuilibet legere licet. hanc regulam, huncque
C ordinem nos etiam posthac seruaturi sumus, non minus ac antea seruauerimus: quippe qui & si inter Elephantes tanquam culex, proprium interponere iudicium deterremur, attamen non sicut aduersarij, sed veluti arbitri illud ferre studebimus. igitur cum in præcedenti dilucidatione satis elaborauerimus in explanatione terminorum primæ & secundæ intentionis cũ formalis tum obiectiuę, quibus logici frequenter vtuntur; superest modo di-
D ligenter quàm maximè inuestigare, an Definitio generis, cæterorumque vniuersalium, quam singulis locis Porphyrius assignat, supponat pro prima, aut pro secunda intentione: vel vt alij dicunt, an Definitio generis assignata conueniat intentioni, vel naturæ tali intentioni substratę: nec certè determinatu facilis est hęc quęstio, eo quod Dialetici sibi ipsis aduersantur, & in eandem sententiam nequaquam concurrunt: verumenimvero, vt quę dicẽda sunt apertiori ordine percipiantur ab opinione Ioannis Gandauensis hanc

hanc disputationem exordiamur.

Ioannes Gandauensis in lib. 2. metaphys. quest. 12. in responsione ad primum argumentum:& in lib. 4. quest. 6. contra primam opinionem ibidem relatam, sentire videtur in hac ceterisq; logicalibus definitionibus definiri primam intentionem, seu res primæ intentionis, quas (ipse inquit) logica primo ac per se considerat; at ipsas intentiones per se non primo considerat, atque definit: quam sententiam his rationibus comprobare nititur.

1 Illa scientia. cuius finis est distinguere verum à falso, primo & per se considerat res, ac per consequens ipsæ res in ea definiuntur; sed finis logicę est distinguere verum à falso, ergo logica primo & per se considerat res, ac per consequens ipsæ res in logica definiuntur. minorem probat authoritate Boetij asserentis in suis topicis logicam esse scientiam distinguendi verũ à falso: maiorem deinde confirmat, ex eo quòd veritas & falsitas primo & per se fundantur in rebus, & secundo in intentionibus. sumitur hæc ratio ex q. 6. lib. 4. metaphysicę.

2 Præterea, illud propriè ac per se definitur, de quo ipsa definitio verificatur; sed definitio generis, speciei, ac cæterorum vniuersalium verificatur de rebus primę intentionis, & non de secundis intentionibus, ergo res primę intentionis definiuntur: maior elicitur ex lib. 6. topicorum, minorem sic probat, omnes hę prædicationes pro secundis intentionibus sunt falsę, vt si dicatur species est genus, indiuiduum est species: sed in rebus primæ intentionis sunt veræ, vt si dicatur Animal est genus, homo est species: sumitur hęc ratio ex q. 12. libri secundi.

3 Præterea ad eandem opinionem tuendam alij sic arguunt: Secundæ intentiones sunt nihil sine rebus, ergo sine ipsis applicari nequeunt: imo res non sunt propter secundas intẽtiones, sed è contra secundæ intentiones sunt propter res; ergo res magis quàm se-

A cundę intentiones à logico definiũtur.

4 Præterea, Alij sic confirmant, Logicus definit propositionem, demonstrationem, syllogismum, ac multos cõceptus formales, quos intellectus in se ipso efficit: & sunt veræ res, quia sunt qualitates intellectui inherentes: ergo logica definit res.

Sed hoc Gandauensis iudicium, quã longè ab ipsa veritate distet, haud multum difficile sit, tum Phylosophorum authoritatibus, tum eorundem rationibus

B manifestare: atque vt ad presentem rem spectat, sit satis ostendere, non de rebus, sed de secundis intentionibus primo & per se in logica pertractari, easque definiri: & vt ab authoritatibus exordiamur, Aristoteles pluribus in locis explanat Logicam circa secundas intentiones versari.

1 Etenim in initio primi libri Perihermenias, liquidò ostendit logicæ negocium circa secundas intentiones principaliter consistere, quando in-

C quit primum oportet cõstituere quid sit nomen, quid verbum, postea quid affirmatio, quid negatio, &c.

2 Item in primo capite primi libri priorum, inquit, primum oportet dicere circa quid, & de quo est intentio, quoniam circa demõstrationem & demonstratiuam disciplinam, deinde determinare, quid est propositio, & quid terminus, & quid syllogismus, &c.

3 Vlterius in principio libri topicorum ita exordiuit, Propositum qui-

D dem negocij est methodum inuenire, qua poterimus syllogizare de omni problemate ex probabilibus: primum enim dicendum quid est syllogismus. c. & in lib. elenchorum tali pręfatione vtitur, de sophysticis autem elencis, & de his qui vidẽtur quidem elenci & non sunt: sunt autem paralogismi, dicemus incipientes secundum naturam à primis: ex quibus quidem authoritatibus cõstat Logicam circa secundas intentiones consistere.

4 Confirmatur authoritate Auicẽnæ in libro primo suę metaphys. c. 2.

dicentis subiectum verò logicę sunt intentiones intellectæ secundo, quę apponuntur intentionibus primo intellectis. ac tandem Auerroes in libro quarto metaphys. com. 2. inquit quod hoc nomen ens dicitur de primis intelligibilibus & secundis, & sunt res logicæ.

Sed fortè dicet aliquis ad mentem ipsius Ioannis, imo eiusdem apparet solutio in loco preassignato libri secundi metaphys. quod partes logicę sunt duæ: vna in qua agitur de ratiocinationibus & partibus & speciebus argumentationis: altera in qua de natura rerum pertractatur, vt sunt predicabilia & predicamenta, quorum descriptiones assignantur ab Aristotele in libro prædicamentorum, & in primo topicorum, quorum cognitio ratiocinationibus preordinatur: prima pars est de secundis intentionibus, & propterea Aristoteles in initio illorum librorum se tractaturum esse de secundis intentionibus ostendit; secunda verò primò ac per se est de rebus, quæ tamē ad aliud ordinantur. Sed hæc solutio est nulla, quia Aristoteles in libro predicamentorom, in quo de rebus agere, easque definire videtur, non considerat res primo & per se, sed in ordine ad secundas intentiones: sicut agit de substantia inquantum est generalissimum, quatenus nō est in subiecto, aut dicitur vel non dicitur de subiecto; & in ratione superioris & inferioris, vel predicati & subiecti, ita gręci & latini interpretantur.

5 Præterea secundo principaliter contra eandem opinionem his rationibus arguitur. Si Logica primo ac per se tractat de rebus easque definit: vel agit de ipsis quatenus ab omni materia simpliciter & omnino abstrahuntur, & ita non erit scientia à metaphysica distincta: vel quatenus abstrahuntur à materia sensibili secundum rationem tantùm, & ita à mathematica non separabitur: aut quatenus à materia sensibili indiuiduali seiunguntur

A non autem ab vniuersali, vt entia naturalia, & ita erit scientia naturalis: nā alius modus abstrahendi res, easque considerandi, ab Aristotele in lib. 6. metaphys. non assignatur: & penès quemlibet horum modorum, logica erit scientia realis; quod assertum est falsum.

6 Præterea in logica demonstrantur passiones & Proprietates secundarum intentionum: ergo secundæ intentiones definiuntur. consequentia

B est nota ex Aristotele in lib. 1. poster. cap 7. dicente quod Definitio est principium demonstrationis, aut demonstratio, sola positione differens: antecedens manifestatur; quia prædicari & subijci, differre genere, aut specie, vel numero, & similia, sunt passiones secundarum intentionum, & hæc in logica tractantur.

7 Præterea Boetius, Ammonius, & Albertus super Porphyrium; D. Tho. in q. super Boetium de Trinitate. Sco-

C tus q. 14. Vniuersalium, Burleus, Paulus Venetus, Caietanus, Sotus & Toletus, asserunt logicam de secundis intētionibus agere, easque definire: quapropter Ioannis Gandauensis sententia, non est recipienda: neque his assentiendum est, qui asserentes logicā considerare res, tamen subinferunt eā non esse scientiam realem, quia non considerat eas, vt cognoscat, sed vt in eis se-

D cundas notiones effingat; quoniam si eas considerat per respectum ad aliud, igitur neque primo ac per se eas considerat, cuius oppositum ipsi affirmāt: his visis & dilucidatis, argumenta illius opinionis diluantur.

Ad primum negatur maior, ad illius probationem respondetur quod & si veritas & falsitas sit in rebus tanquam in signato: tamen reperiuntur etiam in secundis intentionibus tanquam in signo; vnde propositiones logicales de actu signato, vt cum dicitur, genus est quod prædicatur, &c. deinde in actu exercito verificantur in rebus, eo quod Animal est, quod prædi-

catur,

catur, vt Scotus in q. 14. notauit: & fortè propter hoc deceptus est Gandauensis, quia vidit nonnullas definitiones in rebus verificari. Vlterius dicatur quod etiam in ipsis secundis intentionibus reperitur veritas vt in signato, sicut cũ dicitur Genus vel species est Vniuersale. & per hæc patet solutio ad secundum vel dicatur quod cũ Ioannes arguit has predicationes (species est genus) esse falsas in secundis intentionibus; arguit à prædicari signato ad predicari exercitum, in quo consequentia in eisdem terminis non tenet: non enim valet genus predicatur de specie, ergo species est genus; in ipsis tamen rebus valet, Animal dicitur de homine, ergo homo est Animal: ita inquit Scotus in quest. 14. Vniuersalium.

Ad tertium negatur vltima consequens: nam & si secundæ intentiones fundantur in primis, tamen consequẽs non tenet logica tractat de secundis intentionibus, ergo magis tractat de rebus, in quibus fundantur: quia satis est quod secundæ intentiones habeãt suum esse obiectiuum, ad hoc quod logica eas definiat.

Ad quartum conceditur quod intentiones secundæ formaliter sumptæ sunt conceptus intellectui inherentes, sed sic à logico non considerãtur; alioquin consideratio logica à consideratione aliarum scientiarum non distingueretur: at obiectiuè sumptę sunt entia rationis, & hoc modo à logico considerantur & definiuntur. hæc satis.

Dilucidatio 2.

Dialeticorum sententia proponitur: & octo notanda assignantur.

VEra est illa Aristotelis, quotidiano penè omnium sermone trita sententia, opposita iuxta se posita magis elucescunt: vnicam namque Ioannis

A Gandauẽsis examinatam opinionem, qua ipse asserebat logicam facultatẽ primo & per se considerare res, easque definire, ex hac quam nũc sumus propositũri sententiam, eam falsam, nec non à veritate esse distantem, manifestabitur. clarissimum profectò argumentum ad illam opinionem consutandam erit, cæterorum ferè omnium Dialecticorum placitum ipsi protinus aduersum, Auicennas igitur in lib. primo suæ meth. c. 2. Auerroes in com. 2.

B lib. 4. meth. Boetius Ammonius, Albertus cognomẽto Magnus super Porphyrium: D. Thom. in tractatu de ente cap. 4. Scotus in q. 14. Vniuersalium Burleus, Paulus Venetus, Caietanus, ac postremũ Sotus & Toletus, hi vno ore fatentur, nõ ipsas res primo & per se, logicam considerationem subire, vt Gandauẽsis asserebat; sed aut ipsas secundas intentiones, vel ipsas res quatenus secundis intentionibus substernuntur: verum enim vero, cum & hi

C inter se aliqualiter dissideant, vt tactũ est, dum non nulli eorum censent logicas definitiones de secundis intentionibus assignari, ac pro ipsis etiã supponere: alij autem de primis intentionibus quatenus secundis subijciuntur, dari arbitrantur: ideo priusquã ad has opiniones referendas veniamus, quędam scitu digna, imo necessaria apponantur.

Sit primum notandum, intentio secunda, de qua nunc fit sermo, est du-

D plex, vna formalis, altera obiectiua, & vtraque ad calcem huius capitis exponitur: quando in disputatione petitur, vtrum Definitio generis supponat pro secunda intentione, vel pro re secundę intentioni substrata, quæsitum intelligitur de secunda intentione obiectiua, scilicet an Definitum sit ipsum genus quatenus est quędam relatio rationis, qua superius ad inferiora refertur. vel ipsa natura puta Animal, quatenus intentioni genereitatis subijcitur: & quod de genere dicitur, idem de alijs Vniuersalibus intelligatur.

Sit

A Sit ſecundum notandum ex Scoto in q. 14. Vniuerſalium, intentio ſecũda obiectiua dupliciter conſideratur, primo in abſtracto, vt ſi dicatur, v.g. genereitas, ſpecieitas; ſecũdo in cõcreto, vt quãdo dicitur, Genus, Species, Differẽtia: nũc de ſecũdis intentionibus in cõcreto ſumptis eſt ſermo, eo quod ſecundum hanc conſiderationem tantùm, ſunt applicabiles primis intentionibus, vnde dr̃ Animal eſt genus, homo ſpecies, Rationale Differentia, &c.

B Sit tertium notandum ex Caietano in calce commentariorum capit. 4. in tractatu de ente, & in hoc capite de genere: quando aſſignatur Definitio alicuius accidentis, tunc eamet definitio aliter conuenit ipſi accidenti, & aliter ſubiecto illius accidentis: ipſi ſiquidem accidenti conuenit quidditatiuè & formaliter, vt ei quod formaliter eſt tale, at ſubiecto illius denominatiuè, vt quod ſubiectiuè & denominatiuè eſt tale: exempli gratia definiatur album, & dicatur ſic, Album eſt C diſgregatiuum viſus: tunc talis definitio aliter conuenit albedini, & aliter niui, vel alteri rei quæ ſit alba: nã ipſi albedini conuenit quidditatiuè & formaliter, eo quod ipſa eſt, quę formaliter viſum diſgregat; ſed niui conuenit denominatiuè tantum, eo quod nix non quatenus nix, ſed quatenus alba viſum diſgregat, vnde ab albedine denominatur diſgregatiua.

Sit quartum notandum Accidens D cui aliquid conuenit formaliter, habet in ſe duo, vnum eſt, quod ipſum met poteſt appellari tale vt quod, formaliter tamen; vnde ſi petatur quid ſit illud, quod formaliter diſgregat viſum, vt quod; conuenienter reſpondetur albedo: aliud eſt, vt ſit illud, quo ſubiectum cui inhæret, dicitur tale, vt ſi quæratur quo nix eſt diſgregatiua viſus, reſpondetur, albedine; nix etenim non alia de cauſa eſt viſus diſgregatiua, niſi ob albedinem ſibi inhærentem: nam ſi non eſſet alba, non eſſet viſus diſgregatiua, vnde albedo eſt quo nix viſum diſgregat.

Sit quintum notandum; Genus pro ſecunda intentione obiectiua ſumptũ, eſt accidens, eo quod eſt ens rationis per operationem intellectus productum: ideo duo habet in ſe, vnũ quod formaliter ſibi conuenit, & eſt prędicari, vt quod; ita namque genus definitur, ſcilicet genus eſt quod prędicatur: aliud eſt, eſſe id quo natura ſubſtrata prędicatur: Animal enim non prædicatur, niſi quia eſt genus, & homo niſi quia eſt ſpecies: & hoc eſt quod alij dicunt, videlicet ſecunda intentio eſt ratio ſecundum quam natura ſubſtrata prædicatur. nam Animal & homo non prædicantur, niſi quia ſunt genus & ſpecies, vnde genus & ſpecies ſunt ratio ſecundum quam, vel ſunt illud quo natura Animalis & hominis prædicatur; ſicut albedo eſt id quo nix viſum diſgregat.

Sit ſextum notandum. Prędicatum prędicari de ſubiecto duobus modis contingit, vno modo formaliter, alio modo fundamentaliter: hinc dicitur quod prędicatio eſt duplex, vna formalis, altera fundamentalis: prædicatio formalis eſt illa relatio ad inuenta ab intellectu inter ſubiectum & prædicatum, quæ ab alijs dicuntur extrema complexionis verbalis: & dicitur prædicatio formalis, aut quia eſt conceptus formalis in mente formaliter exiſtens; vel quia quodcunque prædicatum ſiue ſubſtantiale, ſiue accidentale ſemper ſe habet tãquam formam reſpectu ſubiecti: prędicatio fundamẽtalis eſt coniunctio rei prædicatæ cum re ſubiecta, ſiue vt alij dicunt eſt connexio extremorum orationis: exempli gratia, Si formentur hæc mẽtalis propoſitio, (homo eſt Animal) in hac propoſitione ſunt tria, ſcilicet ly homo, ly eſt, ly Animal: quæ tria quamuis extra animam ſint vnam et res, natura videlicet humana, per hominem ſignificata, quia eadem res, quę eſt homo, eſt Animal: tamen ſecundum noſtrum modum intelligendi ſunt plura,

quia

quia intellectus in sua secunda operatione apprehendit ea vt plura, atque eis quasdam relationes attribuit, appellans hominem subiectum, Animal prædicatum, & verbum, est, copulam, quia copulat prædicatum cum subiecto: idem etiam est dicendum de prædicatione accidentali, vt si dicatur (Sortes est albus) in hac si quidem prædicatione vt in essentiali, sunt tria, videlicet subiectum Sortes, predicatum albus, copula est: distinguitur tamen hæc ab illa, quia in essentiali subiectum & prædicatum extra animam sunt idem realiter vt dictum est, & distinguuntur tantum secundum nostrum modũ intelligendi, prout intellectus concipit prædicatum vt id quod de alio dicitur, & subiectum vt id de quo aliud dicitur: sed in accidentali prædicatum distinguitur realiter à subiecto, vnde albedo est quid realiter distinctum ab homine, vel ab alio subiecto cui inest, & de quo predicatur, igitur predicatio formalis est relatio inter subiectum & prædicatum, & formaliter predicari est formaliter referri: fundamentalis autem est cõnexio prędicati cum subiecto, & fundamentaliter prędicari, est predicatum ipsi subiecto inesse.

Sit septimum notandum ex eodem Caietano in capite de genere, quamuis predicari fundamentaliter sit fundamentum ipsius predicari formaliter, tamen inter hos duos modos predicandi maxima diuersitas reperitur: nam cum predicari in definitione generis positum sumatur formaliter, (quod & in alijs Definitionibus secundarum intentionum est intelligendum) ideo non exigitur, vt illud cui quidditatiue conuenit illa definitio, prædicetur, idest vt insit illis de quibus predicari dicitur, sed sufficit quod prędicetur, idest quod ad illa referatur: ei autem cui Definitio conuenit denominatiue, exigitur quod prędicetur fundamentaliter, id est vt insit eis de quibus dicitur: quapropter

A Animal, quia est illud quod denominatiuè predicatur, ideo fundamentaliter prædicatur, id est inest homini & Equo: sed intentio generis est id quod prædicatur in quid, id est quod tali relatione predicationis refertur ad suas species: & hoc est maxime animaduertendum (inquit Caietanus) ex eo quod ex idemptitate vocabulorum, quis sepissime decipitur.

Scotus autem in questione decima quarta Vniuersalium, (& erit

B octauum notandum) sub alijs verbis hanc eamdem doctrinam insinuat, dicens, quod prædicatio est duplex, vna exercita, altera signata: prædicatio exercita dicitur illa, quæ fit per aliquod verbum substantiuum, vt verbum, est, aut fit, vel existit; & dicitur exercita, quia exercet aliquam veritatem, & eam exequitur, clarificans illud quod sub oscuritate terminorum secundę intentionis te-

C gebatur, vt si dicatur homo est Animal; Sortes est homo: prędicatio signata dicitur illa, quæ fit per verba adiectiua, non tamen omnia, sed quædam importantia aliquam habitudinem ad aliud, cuiusmodi sunt hęc verba prædicatur, enunciatur, affirmatur: & dicitur signata, quia sub velamine suæ significationis aliud signat, & dat intelligere; vt cum dicitur Genus prædicatur de specie, species predicatur de indiuiduo: nam

D hæ predicationes sunt veræ in secundis intentionibus prędicatione signata, siue actu signato, & dant intelligere, quod res significata per predicatum inest rei signatę per subiectum: & hoc est quod Scotus ibidem inquit, scilicet, verbum, esse, in rebus primæ intentionis, illud exercet, quod prædicari signat in secundis intentionibus.

Circa quam doctrinam Scoti & Caietani, animaduertendum est, quod illamet predicatio, quæ à Scoto nuncupatur exercita, à Caietano dicitur

prædicatio fundamentalis: & quę ab illo dicitur prędicatio signata, ab alio vocatur prædicatio formalis: etenim quemadmodum in predicatione exercita, exercetur & manifestatur veritas rei significatę in prædicatione signata; quia quando dicitur Genus prædicatur dè specie, significatur generis naturam speciei inesse, ita quando dicitur homo est Animal, ostenditur veritas illius propositionis, videlicet Animalis naturam homini inesse: & propter hoc dixit Scotus, quod verbum esse, in rebus primæ intentionis illud exercet, quod prędicari signat in secundis intentionibus: Quod à Caietano dicitur, prædicatio formalis est illa relatio rationis qua Genus ad species refertur, vt cum dicitur, genus prædicatur de specie, deinde in predicatione fundamentali, quæ importat inesse, exercetur & ostenditur veritas signata in prædicatione formali, videlicet connexio rei prędicatæ cum re subiecta: ex hac doctrina, duo inferuntur à Scoto, vnum, quod nomina concreta secundæ intentionis, vt genus, species, Differentia, respectu huius quod est predicari, supponunt pro suis fundamentis respectu esse: quod est ac si dicat, quando formantur propositiones per verba adiectiua in terminis secundarum intentionum, vt dicendo Genus predicatur de specie; tunc illa nomina concreta genus & species, quę sunt nomina secundę intentionis, supponunt pro suis fundamentis, id est pro Animali & pro homine, respectu esse, id est in prædicatione exercita, vnde illud quod in nominibus secundæ intentionis significatur, dicendo genus predicatur de specie, verificatur deinde predicatione exercita in suis fundamentis, id est in rebus primæ intentionis, dicendo Homo est Animal; & iuxta hunc sensum intelligenda sunt hæc verba Scoti, & non vt quidam interpretantur, scilicet, quod eius inten-

A tio sit dicere Definitionem supponere pro re substrata secundæ intentioni. aliud quod subinfert est, quod à predicari signato ad predicari exercitum, siue ad esse, non tenet consequentia per se in eisdem terminis: non enim sequitur, Genus predicatur de specie, ergo species est genus: sed benè tenet consequentia a predicari per se in intentionibus ad esse in fundamentis, quia si dicitur Genus prædicatur de specie, tunc tenet con-
B sequentia, ergo homo est Animal; quia tunc in rebus primæ intentionis exercetur illud, quod in secundis significatur: Quod si quis arguat contra Scotum, ab hac predicatione signata, Animal prędicatur de homine, tenet consequentia ad hanc prædicationem exercitam, ergo homo est Animal, & tamen fit in eisdem terminis: ad hanc instantiam duobus modis ipse respondet: primo negat consequentiam; nam illud conse-
C quens non est verum propter antecedens: & ratio est, quia cum in antecedente sit propositio per accidens, accidit enim Animali quod prædicetur, ex sola etenim intellectus operatione & ab extrinseco conuenit Animali predicari, ideo ex hac propositione per accidens, non potest sequi hæc propositio per se, ergo homo est Animal: vnde ex predicari in rebus quod est per accidens, non sequitur esse in rebus, quod est per se: secun-
D do respondet, quod termini positi in antecedente & in consequente non sunt idem: quia in antecedente sumuntur vt significata coniunguntur cum terminis secundæ intentionis, nempe cum predicari: at in consequenti pro significatis absolutè; quibus vt sic intentiones sunt extraneæ: & propterea cum non sint idem, eo quod in antecedente potius supponũt pro terminis secundæ intentionis, ideo committitur fallacia antecedentis: & hæc notanda apposita sunt à nobis, vt ex ipsorum explanatione Iuniores faciliori

ciliori intelligentia percipiant Scoti & Caietani sententia, quid in definitione generis definiatur, & supponatur, prima vel secunda intentio: quorum opinio in sequenti dilucidatione explanabitur: & de præsenti tot dicta sufficiant.

Dilucidatio 3.

Scoti & Caietani asserentium definitione Generis definiri secundam intentionem in concreto, atque pro ea supponere opinio refertur.

SEruaturi quod in superiori dilucidatione polliciti fueramus, ac in huius disputationis initio proposueramus, aggredimur sententias eorum referre, qui logicam facultatem circa secundas intentiones versari arbitrãtur: Dialecticos enim, quos retulimus, bipartitos esse ibidem insinuauimus, dũ eorum non nullos existimare logicas Definitiones de secundis intentionibus assignari, atque pro ipsis tantùm supponere diximus; & alios definiri primas intentiones, quatenus tamen secundis subiiciuntur, censere manifestauimus. verùm vt ad Scoti & Caietani opinionem percipiendam, facilior esset aditus, ideo octo notanda habita ex ipsorum doctrina proposuimus, ex quibus haud difficile sit legentibus ipsorum placitum deducere; liquidius tamen ex dicendis referabitur. Scotus igitur in quæstione decima quarta Vniuersalium, & Caietanus duobus in locis videlicet tractatu de ente in calce commentariorum capitis quarti, & super Porphyrium capite de genere, (atque hanc esse S. Thomæ mentem, ipse vbique textatur) affirmant definitum definitione generis, esse secũdam intentionem obiectiuam, & pro hac eandem definitionem supponere: vnde ipsa secunda intentio, (quę est relatio rationis) est quod de pluribus specie differẽtibus predicatur, & quod hac definitione definitur: horum opinio ex tribus conclusionibus, quas assignant, euidentissime habebitur.

1 Est ergo prima conclusio, Genus non definitur pro aggregato ex re, & intentione; vel sic, Definitum in hoc loco non est aggregatum ex natura substrata, & ex ipsa intentione, cui natura substernitur: hæc conclusio est omnibus receptissima, & nullus qui sanum sapit intellectum, ab ea dissidet; attamen hac ratione probatur. Nullum complexum & Ens per accidens est definibile; sed aggregatum ex natura substrata, & intentione, est quoddam complexum & ens per accidens, ergo aggregatum ex natura & intentione non est definibile: minor non eget probatione, & maior est Aristotelis in lib. 7. metaphys. text. 13. vbi ait quod complexorum, vt homo albus, non est definitio, sed oportet id quod definitur esse vnum in vna aliqua natura.

Contra hanc cõclusionem, quis instabit authoritate Auicennæ aientis, quod logica est de secundis intentionibus adiunctis primis: sed secundę intentiones adiunctæ primis efficiunt quoddam aggregatum, ergo ipsum aggregatum definitur.

Ad hanc obiectionem, Caietanus qui affirmat Definitũ Definitione Generis, esse intentionem secundã, vt paulo inferius dicetur: respondet quod intentio Auicennæ in illis verbis nõ est, quod logica versetur circa vtrasq; intentiones ex æquo, aut quod sit ex aliquo ex vtrisq; aggregato; sed quod sit de secundis intentionibus, vt fundãtur in primis, & eas denominant, ita vt per earum cognitionẽ habeatur cognitio illarum, quæ primis intentionibus offeruntur: nam ex assignata generis definitione innotuit, quę sit illa res quæ dicitur Genus, & quæ res primę intentionis possit denominari genus, quæ

non, & quæ ad talem denominationem exiguntur: & ita intelligitur de specie, & reliquis. Alij, qui tenent Definitum definitione Generis, esse naturam intentioni substratam; inquiunt quod Auicenna in illis verbis non intendit asserere quod logica sit de aliquo ex vtrisq; aggregato, quia illud quod definitur non est compositum ex natura & ex intentione; v.g. ex natura animalitatis, & genereitatis, vt conclusio rectè probat: sed intendit quod logica non est de primis per se, & absolutè, sed per comparationem ad secundas, prout videlicet ratione secundarum sunt genera & species: non enim considerat Animal in eo quod Animal, sed in eo quod Genus: neque hominem in eo quod homo, sed in eo quod species: & ita de alijs intelligatur.

Secunda conclusio est hæc: Genus non definitur hic pro re substrata secundę intentioni: quam Scotus duobus medijs probat.

1 Primo, illud quod in hac definitione à Porphyrio definitur, conuenit vniuoce, id est secundum idem nomen & eandem rationem, rebus omnium generum, sed nulla res intentioni substrata cõuenit vniuocè rebus omnium generum, ergo in hac definitione res intentioni substrata non definitur: maiorem propositionem manifestat ex eo quod in singulis prędicamentis reperitur genus sic definitum; nam in genere substantiæ est Animal, in genere qualitatis color, & ita de alijs; & vniuocè eis conuènit, quia cuilibet generi vt sic, conuenit de pluribus prædicari: minorem sic confirmat, res non potest communiori nomine significari, quod videatur magis, vniuocum, quam per hoc nomen Ens, ergo si res aliqua sub intentione esset omnibus vniuoca, tunc ens sub intentione generis posset esse illis vniuocum, & ita esset vnum genus tantùm omnium rerum.

2 Pręterea, si Res sub intentione definitur, ergo res per accidens definitur; consequentia probatur ex hoc quod intentio accidit rei: sed omne definitum per accidens reducitur ad aliquod definitum per se, ergo quia res ab intentione habet quod definiatur, sequitur quod sola intentio per se definitur.

3 Pręterea ad eandem conclusionem arguit Caietanus super Porphyrium, prędicari in quid de pluribus in definitione generis positum, vel sumitur formaliter, aut fundamentaliter: si formaliter, ergo cum sit manifestum quod relatio rationis non cadit in definitione rei extra animam, sequitur quod genus non definiatur pro re substrata: si fundamentaliter, ergo cum sit notum, quod genus fundamentaliter, puta Animal, non includit in sua definitione prędicationem fundamentalem, quæ est connexio rei prædicatę cum re subiecta; quia in definitione Animalis non ponitur coniunctio eius cum homine vel boue; quia Animal abstrahit ab omnibus speciebus, sequitur quod genus nullo modo definiatur pro re substrata: quam rationem tangit etiam in capite quarto de ente.

Tertia conclusio est hæc. Genus definitur pro ipsa intentione secunda: vnde Definitum formale & quidditatiuum est secunda intentio obiectiua: probatur conclusio his rationibus.

1 Primo, illud tantum definitur cui per se primo competit definitio; sed soli secundæ intentioni competit definitio generis, ergo sola secunda intentio definitur: maior est nota; minor probatur, in definitione generis ponuntur termini intentionales, puta prædicari de pluribus specie differentibus, qui termini intentionales non competunt per se primo, nisi secundis intentionibus, ergo sola secunda intentio definitur.

2 Pręterea, illud formaliter & quidditatiuè definitur à logico, quod sub logicam considerationem directè cadit: sed sola secunda intentio

cadit

cadit directè sub logicam considerationem, vt Auicennas & Auerroes affirmant, ergo sola secunda intentio à logico definitur.

3 Præterea in nominibus concretis, illud quod formaliter definitur est suum significatum formale: sed nomina generis & cæterorum Vniuersaliũ sunt concreta, ergo in illis definitur suum significatum formale: ergo definitur secunda intentio, quia significatum formale huius nominis genus, est secunda intentio, scilicet illa relatio rationis: maior patet ex his quæ in tertio not. secundæ dilucidationis dicuntur.

4 Preterea, Genus prędicari formaliter de specie, est referri ad ipsam speciem: nam hęc est pręd icatio formalis vt in 6. not. dicitur; sed secunda intentio est quæ formaliter refertur; ergo secunda intentio prædicatur: ac per consequens secunda intentio definitur.

5 Præterea Porphyrius in capite de specie quærit cur in definitione generis ponitur species, & in definitione speciei ponitur genus; & respondet quia sunt relatiua: ex his arguitur, Genus & species pro prima intentione non sunt relatiua, non enim valet Animal est, ergo homo est; sed pro secunda intentione conuertuntur, genus est, ergo & species est, & è contra; ergo pro secunda intentione definitur.

6 Postremum arguit Scotus, si logicus definit primas intentiones, ergo logicus est artifex realis, quod est falsum: falsitas patet quia logica est scientia rationis: consequentia manifestatur, quia definire primas intentiones spectat ad artifices reales.

Contra hanc conclusionem surgit vnica dubitatio videlicet; quod si termini positi in definitione sumuntur formaliter, atque definitum formale est ipsa secunda intentio, ergo sequitur quod vna relatio cadat in definitione alterius relationis: sequela probatur; pręd icatio qua vnum de al-

A tero formaliter prædicatur, est quædam relatio vt dictum est, & etiam genus formaliter sumptum est quędam relatio, ergo vna relatio cadit in definitione alterius: ad hanc respondet Caietanus, capite quarto de ente, nullum ex hoc oriri inconueniens, vt conceptus relationis, quæ est de pluribus predicari, cadat in conceptu alterius relationis, quæ est ipsum Genus.

Quarta conclusio, quæ ex Caietano elicitur, est hæc: Definitum denominatiuè definitione generis, est natura intentioni substrata: quæ conclusio satis innotescit ex his quę in tertio not. secundæ dilucidationis dicta sunt: quibus subditur quod cum Genus sit accidens rei substratæ, ideo denominat ipsam rem, genus.

B

At si quis obijciat similitudinem inter albedinem & subiectum ex vna parte, & inter intentionem & naturam substratam ex altera non esse bonam; eo quod albedo secluso quocunque actu intellectus realiter inest suo subiecto & aliquid reale in ipso ponit, vnde verè denominat ipsum album; sed intentio generis per solam operationem intellectus conuenit naturę substratæ, & nihil reale in ea ponit, ac per consequens non verè eam denominat; ergo similitudo ad conclusionem est nulla: Meminisse oportet eorum, quæ in disputatione de Vniuersalibus, diximus, videlicet, quod ambo sunt prædicata denominatiua; differunt tamen, quia primum facit denominationem intrinsecam, eo quod ipsi subiecto re ipsa inheret; & secundum denominationem extrinsecam constituit, eo quod solo actu intellectus ei conuenit, tamen suo modo sibi conuenienti denominat, ab extrinseco scilicet, & ita definitum denominatiuè definitione generis est natura intentioni substrata.

C

D

Quinta conclusio est hæc: intentio generis est ratio, secundũ quam vel id

quo natura substrata prædicatur: & manifestatur ex positis in quinto notando, Animal enim & homo nõ prædicantur, nisi quia sibi applicantur intentiones generis & speciei: & hoc est quod Caietanus ad calcem comment. quarti capitis de ente scribit, scilicet, aliquod dicitur prædicari de specie dupliciter, vno modo vt res denominata prædicabilis de speciebus, & sic Animal prędicatur de homine, de boue, ceterisque Animalibus: alio modo vt id, quo res denominatur prædicabilis de speciebus, & sic genus in cuius definitione ponitur prędicari, prędicatur de ipsius speciebus: etenim quemadmodum disgregatiuum visus dicitur dupliciter, vno modo vt res denominata disgregatiua visus, & hoc modo nix dicitur disgregatiua: alio modo vt id quo res dicitur disgregatiua, & sic albedo dicitur disgregatiua visus, cum in illius definitione ponatur disgregare visum: & sicut hæc duo stant simul scilicet, res definita per disgregare visum est albedo & non nix; res autem denominata disgregatiua visus est nix, & non albedo: ita in proposito hæc duo stant simul, res definita per prædicari de speciebus est relatio generica, res autem denominata prędicabilis de speciebus est natura substrata illi relationi, puta Animal: ita quod res definita per prædicari est genus formaliter, non materialiter: res vero denominata prędicabilis est genus materialiter, non formaliter: ideo S. Thomas in eodem capite per pulchrè scribit, quod ratio prędicabilitatis clauditur in hac intentione quę est genus: illud autem cui intellectus intẽtionem prędicabilitatis attribuit, non est ipsa intentio generis, sed res cui intentio generis attribuitur: igitur quę sit D. Thomæ, Scoti, & Caietani positio ex his liquido patet.

Hinc me haud mirari non posse fateor, quomodo Dominicus Sotus in quæstione vnica de genere art. 1. conclusione secunda offenderit in doctri-

A na ita clarissima, vt ad mentem S. Thomæ asserat Definitionem generis supponere pro natura intentioni substrata, atque rem ipsam definiri vt intentioni subiicitur, & quicunque aliud dixerit, non esse in schola Aristotelis audiendus; imo quod hoc idem Scotus senserit, nec aliud vnquam somniauerit, ibidem scribit; ac propterea ex eo quod Scotus inquit definitione generis definiri secundam intẽtionem, ideo aliquos male inferre, ad mẽtem ipsius

B ergo Genus & illius Definitio supponit pro secunda intentione, positio nãque Scoti, & verba ipsius clarissima sunt; legatur subtilis Doctor ibidem, & verba illius attentione perpendantur, & considerentur: & de hac positione dictum sit satis.

Dilucidatio 4.

C *Burlei, Pauli Veneti, Soti, Toleti, & quorundam recentiorum asserentium Definitione Generis definiri rem primæ intentionis, vt secundæ tamen substernitur, positio assignatur.*

NOn satis esset ad completam doctrinam propositæ disputationis exhauriẽdam, retulisse opinionem eorum, qui definitum definitione generis esse secundam intentionem, ac pro

D ipsa supponere dixerunt, nisi alteram huic protinus aduersam referremus: ex his itaque ad inuicem comparatis, & rationibus vtriusque diligenter animaduersis, quid de hac re sentiendum sit, quæue positio sit probabilior enodare fortasse difficile non sit: igitur sũt qui asserunt Definitum definitione generis esse primam intentionem, seu naturam substratam, vt puta Animal, Corpus, Color, & hęc sunt, quæ prædicantur. Verumtamen distinguunt, ipsam naturam posse considerari bifa-

riam,

riam, vno modo prout est talis natura, puta Animal, homo, rationale, & huiusmodi & sic à logico non considerantur, sed ab alijs artificibus; alio modo quatenus secundis intentionibus substant, Animal enim substat intentioni generis, vnde Genus nuncupatur; homo intentioni speciei, vnde species dicitur: rationale intentioni differentiæ, vnde Differentia nuncupatur, & penès hanc considerationem definiuntur, & prædicantur: vnde harum opinionum discrimen in hoc cõsistere videtur, quod Priores vt Scotus & Caietanus affirmant Definitum definitione generis esse secundam intẽtionem, idest illam relationem genericam, & ipsamet intentio, seu relatio est quæ formaliter prædicatur: at natura huic relationi substrata, puta Animal, non est genus nisi denominatiue, & nõ prædicatur de speciebus nisi prædicatione fundamẽtali siue exercita: Posteriores autẽ authumãt Definitum definitione generis esse naturam intentioni substratam, vt Animal, Color, & hęc natura vt intentioni generis substat est quę prædicatur: vlterius apud Priores, secunda intentio duo habet, vnum, prædicatur vt quod; aliud est quo res substrata prędicatur: sed apud posteriores, id quod prædicatur vt quod, est res primę intentionis vt secundæ substernitur, Genus verò siue intentio est ratio secundum quam ipsa res definitur & prædicatur: & ita apud eos intentio generis est ratio siue modus, quo res definitur & prædicatur; quæ explanatio est maxima animaduersione digna eo quod terminorũ obscuritas & eorum obscura explicatio, per difficile admodum hoc quesitum iunioribus reddiderunt, ex quo fit vt ex terminorum ignorantia vnum pro altero magna intellectus confusione, sumunt: qui hanc posteriorem positionem tuẽtur, sunt Albertus de Saxonia in sua logica, Burleus in capite de genere notat. 2. Paulus Venetus super illa (tripliciter igitur cum Genus dicatur)

A not. 1. Sotus q. vnica de genere art. 2. ad primum argumentum conclus. 2. Toletus q. 1. huius capitis, Magister Aemilius in lib. 2. quæstionum logicalium q. 6. ac tandem multi recentiores huic sententiæ libenter subscribunt: authoritates autem, & rationes, quibus hoc placitum fulciunt, potissimæ sunt hæ.

1 Porphyrius ad calcẽ descriptionis generis explicans quid nomine Generis intelligatur, exemplum ponit de
B re primæ intentionis dicens (genus esse dicentes, quod de pluribus & differentibus specie, in eo quod quid est prædicatur, vt Animal) sed ridiculum esset secundam intentionem definire, & mox de prima exemplum apponere, ergo Genus pro prima intentione definitur.

2 Pręterea, Genus non est secunda intentio generis, sed habens illam, & in hac definitione definitur genus, ergo definitur non intentio generis, sed
C habens illam: quod autem habet illã est prima intentio indeterminatè sumpta, vnde sensus definitionis est, habens intentionẽ generis prędicatur de pluribus specie differentibus in quid, ergo prima intentio est quę hac definitione definitur.

3 Præterea Aristot in lib. 7. metaphys. textu 20. & 21. inquit quod in dictis secundũ accidens, propterea quod duplex significat, aliud est, quod quid erat esse, ab eo cuius est tale, ideo tale
D dictum secundum accidens cum definitur, aliud est quod definitur, & hoc est substratum formæ denominantis; & aliud id secundum quod definitur; tũc si ipsum quod quid erat esse, esset formæ denominantis ergo falsa est Aristotelis doctrina dicentis in dictis secundum accidens, ipsum quod quid est esse, distingui ab eo cuius est: sed Genus est quoddam concretum accidentale, atque ita dictum secundum accidens, ergo definitio non est illius, sed rei habentis illud.

4 Præterea illud definitur in hoc

loco, de quo Definitio verificatur, sed Definitio generis verificatur de re primæ intentionis, ergo res primę intentionis definitur: minor probatur, quãdo dicitur Genus predicatur de specie, tunc non est intentio generis, sed natura intentioni substrata est, quæ predicatur; Animal enim quod intentioni subijcitur prædicatur de homine & de boue, & de cęteris animalis speciebus in quid.

5 Præterea Definitum hoc in loco, prædicatur in quid de eo, de quo prædicatur; sed secunda intentio non prędicatur in quid; ergo secunda intentio non definitur: minor probatur, Nullũ accidens predicatur in quid de re, sed secunda intentio est accidens, ergo nõ prędicatur in quid de re.

6 Prętere a, si definitur intentio generis, pari ratione definitur etiam intentio speciei, ergo cum intentio generis & intentio speciei sint disparatæ, & disparatum de disparato non predicetur, sequitur quod Genus non prędicetur de specie, quod est contra definitionem generis.

7 Præterea intentio non predicatur in quid nisi de singularibus intentionibus, quæ solo numero differunt, vnde verum est dicere, quod genus est intentio, species intentio, Differentia intentio: sed Genus predicatur de pluribus differentibus specie, ergo genus non pro intentione, sed pro re subiecta, prędicatur.

His rationibus positis, Paulus & Sotus vnum asserunt, quod specialis considerationis dignum se prestat, videlicet, quod & si Definitum principale & formale huius definitionis sit secunda intentio, tamen neque Genus, neque illius definitio vllo modo supponunt pro secunda intentione, sed pro natura intentioni substrata: vnde inquiunt, cum definitur genus, aliud est quod definitur, & aliud pro quo Definitum supponit: definitur enim intentio secunda, & illud pro quo supponit est intentio prima: nam quando (inquiũt)

A definitur, album esse disgregatiuum visus, quamuis tunc definiatur albedo, non tamen definitur tanquam id quod disgregat, sed tanquam ratio disgregandi, & ideo neque album, neque illius definitio supponit pro albedine: pari ratione, quamuis definitione generis definiatur secunda intentio, non tamen definitur tanquam id quod prædicatur, sed tanquam ratio, qua genera predicantur, & ideo non supponit pro illa, sed denominatiuè

B supponit pro re ipsa, pro qua supponit genus, puta pro Animali, pro colore: &c. ex his igitur quæ dicta sũt, manifesta apparet positio eorum, qui asseuerant Definitum definitione generis esse rem primę intentionis, prout tamen secundæ subiicitur: at quid de his sententiis sit affirmandum, ne sequentia verba obliuionem antecedentium ob prolixitatem ferant, ideo ad aliam dilucidationem differatur.

C

Dilucidatio 5.

Vtraque magnorum Dialeticorum positio, vt probabilis enunciatur; vnde exercitationis gratia, vtriusque opinionis rationes diluuntur.

D HEraclitus Ephesius, vir animi & ingenij magnitudine, caducarumque rerum despicientia valde memorabilis: cum veritatis cognitionem difficilem, non modo indefesso Phylosophorum studio, sed quotidiano etiam experimento comprobaret, non ab re protulit scientias omnes veluti in profundo pelago demersus existere, eo quod nihil veri aut parum certi de rebus sensibilibus, quarum (inquit) nihil fixum, nihil stabile est, hauriri possit. Quòd si de ijs entibus, quę omni actu intellectus secluso, existunt, nostroque aspectui semper obij-

obijciuntur id afferebat, quid queso de ijs, quæ sola intellectus operatione producuntur, asserere debebat? etenim logicarum rerum studium, ita perdifficile omnibus redditur, vt sint pauci qui ad illius culmen pertingant; qua de causa, pingui quadam logicę considerationis intelligentia contenti, sistunt. Tenuia namque & obscura sunt, quæ in hac facultate discutiuntur, ita doctissimi Themistius in libro primo de anima super expositione textus octauo, Boetius in prędicamentis capite de substantia, & Auerroes in libro duodecimo metaphysicæ comment. quarto, & vigesimo septimo scribunt, scilicet, Genus aut mera notio est, sine euidenti soliditateque aliqua, sed ex tenui sub obscuraque similitudine singularium collecta, aut penitissime nihil, aut quàm singularia multo posterius: quod & Aristoteles antea in libro primo de anima textu octauo, contra Platonem protulerat dicens Vniuersale aut nihil est, aut posterius est. admiretur igitur nullus si in logicis disputationibus eneruandis, Dialetici aut pauca dicant, vel in his paucis dictis diuersa sentiant. Quantùm tedij, quantumve laboris reliquerit posteris Definitio generis à Porphyrio assignata, ex his, quę in hac disputatione adduxi, in propatulo omnibus esse potest, imo quàm variè magni Proceres & Magistri de ea dixerint, cuique videre licet: Ego vero inter controuersiam tantorum virorum, quos semper maximè feci, & obseruaui, ac perpetuò obseruaturus sum, proprium interponere iudicium, valde deterreri fateor; quapropter non sine ingēti gratiarū actione hoc quesitum ab alijs dilucidatum acciperem, potiusquam elaboratum proponere alijs debuissem. à Doctissimo omni scientiarum genere, Præceptore meo, iugi memoria seruando D. Cornelio à Prato veteri eiusdem Vallisumbrosanę Congregationis Monacho, nec non studij nostri Passinia-

A nensis per plures annos Moderatore vigilantissimo sepius audiuisse memini, eam positionem cæteris probabilitate ducendam, quas Sanctus Thomas, ac Scotus, duarum Achademiarum studij literarij certamine diu altercantium, Principes omni scientia reliquis pręcellentes vnanimiter, concorditerque defendunt, verumtamen magnorum Magistrorum authoritas & ratio ex altera parte maximam vim habere asserebat. Non ne prętereos, quos supra posui Dialeticos, Am-
B monius item, & Albertus cognomento magnus, ac deinde omnes ferè recentiores, qui Phylosophorum sententias & rationes, subtili ingenij acumine inuestigarunt, defendunt res primæ intentionis prout secundæ tamen substernuntur in hac & in cęteris definitionibus definiri? non ne Aristoteles in libris topicorum diffusius, atque in omnibus logicis considerationibus, de rebus primæ intentionis exempla ap-
C ponit, easque vt secundæ substant definire videtur? sed vt vnicuique proprio sensu abundare liceat, & eam quam suo intellectu probabiliorem duxerit, defendere valeat, ideo vtranque vt probabilem & ad aures peripateticas aptam, enunciandam censeo: quapropter vt quilibet, hanc & illam protegere possit, & aduersantibus obiectionibus repulsam facere, ideo vtriusque opinionis argumenta & rationes diluere studebo. Concludatur igi-
D tur probabile esse si dicitur, Definitū definitione generis esse secūdā intētionē, atq; pro ea Definitionē supponere, vt Scotus & illius Discipuli inquiunt, & Caietanus ad mentem S. Thomæ affirmat: probabile quoque esse, quando asseritur definitione Generis, ac reliquorum Vniuersalium definiri res primæ intentionis, pro vt secundę subijciuntur, vnde Animal, Corpus, & aliæ naturæ prædicantur, sed non predicantur nisi quia genera, vel species sunt, & vt his ac cæteris secundis intētionibus subijciuntur: his itaque expositis, ad ra-

tiones

tiones huius posterioris sententię primo respondeatur: ac deinde alterius positionis argumenta solutionibus diluantur.

Ad primum, quod sumit vim ab authoritate Porphyrij exemplum assignantis de rebus primæ intentionis respōdet Scotus id fieri, quia illud quod in intentionibus significatur, deinde in rebus exercetur, & ideo in illis exemplificat tanquam in manifestioribus, & non quia de eis definitionem dederit. nec quidquam valet quorundam recentiorum obiectio, dicentium hanc Scoti solutionem nihil prodesse, eo quod non alia de causa Porphyrius ponit exemplum primæ intentionis, quia ipsa est, cui conuenit definitio, scilicet de pluribus predicari: nam sicut hæc obiectio absque probatione gratis ducitur, ita sine solutione gratis dimittitur.

Ad secundum negatur maior: nam quando dicunt, Genus non est secunda intentio, sed habens eam, quod habēs est res primæ intentionis; si ipsi intelligant quod genus non sit formaliter secunda intentio, hoc assertum probatione eget, & ibidem non probatur: si intelligunt quod res habens intentionem sit genus fundamentaliter; hoc dictum gratis conceditur; quia res primæ intentionis est, quæ ab intentione secunda denominatur genus, & fundamentaliter prædicatur: si autem intelligant quod res primæ intētionis prout secundę substat, sit quę hac definitione definitur: hoc affirmatum, esset in ea ratione probandum; & ideo quousque probetur, eo solutio illius differatur.

Ad tertium respondetur argumentum processisse ex non bene intellecta authoritate Aristotelis, in illis verbis ex lib. 7. metaphys. textu 21. deductis, scilicet in dictis secundum accidens, aliud est quod quid est, ab eo cuius est quod quid est: dicta etenim secundum accidens sunt duplicia; quædam complexa, vt si dicatur homo albus, homo

A musicus, & alia in complexa, vt accidētia vnam simplicem naturam, quæcūque illa sit, significantia, & de quibus Aristoteles in capite de substantia ait, nihil aliud significat album, quā qualitatem: cuiusmodi sunt etiam Vniuersalia incomplexa, nam Genus simplicem naturam genericam; species simplicem naturam specificam significāt: & dicuntur entia secundum accidens, aut quia sunt accidentia, aut quia accidentali denominatione extrinseca

B denominant naturas, quibus extrinsecè accidunt: modo quando Aristoteles ait in dictis secundum accidens, aliud est ipsum quod quid est, ab eo cuius est, loquitur de dictis secundum accidens complexis; quia cum dicitur homo albus, propterea quod duplex significat, aliud est, quod quid est ipsius albedinis formę denominātis, & aliud quod quid est hominis rei denominatæ, quia duas naturas significant: Quod autem hæc sit Aristotelis intētio, prę-

C terquam quod ab Auerroe eo in loco comm. 21. & à magno Alberto in tractatu secundo eiusdem libri cap. 3. ita explanatur; legantur verba eiusdem Phylosophi, quę sunt hęc: (Quod autem secundum accidens dicitur, vt musicum, aut album, propterea quod duplex significat, non est verum dicere, quod idem sit quod quid erat esse, & ipsum: etenim cui accidit album & accidens. quare quodammodo quidem est, quodammodo vero non est idem

D quod quid erat esse, & ipsum: homini namque & albo homini non est, idem passione vero idem) quid igitur manifestius ex Aristotele expetitur? sed quod simplicia accidentia, nomine cōcreto significata, vt sunt Vniuersalia incomplexa, Genus, Species, & reliqua, definiantur etiam vt quod (eo tamen modo, quo accidentibus definiri competit) neque ibi, neque alibi ab Aristotele negatur: ex quo fit vt Definitum definitione generis sit ipsa secunda intentio; & sic soluitur argumentum.

Ad

Ad quartum (quod certe argumentum decepit Ioannem Gandauensem videntem logicas definitiones non verificari nisi in rebus primę intentionis, sicut Zimara in annotationibus super questionem vltimam lib. 2. metaphys. eiusdem Gandauensis animaduertit;& quo iuniores fulciuntur) Caietanos in primis respondet ad maiorem inquiēs sic esse intelligendam, illud Definitur, de quo Definitio verificatur scilicet formaliter & quidditatiuè : modo negatur minor, videlicet quod predicari verificetur formaliter , & quidditatiuè de natura substrata: & ad illius probationem inquit, quod est vera de predicatione fundamētali; vel dicatur cum Scoto de predicatione exercita : Animal enim est , quod fundamentaliter predicatur de homine : vnde veritas harum propositionum , quę in secundis intentionibus verificatur, postea in rebus primę intentionis exercetur , vt dictum est.

Contra hanc solutionem quidam sic objciunt ; si definitio , qua dicitur, Genus est quod predicatur & c. intelligenda est de predicatione signata, ergo vt omni vitio careret , dici debuisset expressis verbis , (Genus est, quod predicatione signata predicatur de pluribus specie differentibus in quid.)

Ad hoc negatur consequentia, quia cum definitiones de formali signato rei definitę assignentur, quemadmodū Aristoteles vbique locorum docet , ideo pro eo supponere intelliguntur : modo cum dicitur , Genus est quod predicatur, de formali significatione generis, Definitio intelligitur .

Ad quintum negatur minor,& ad illius probationem, Scotus ita respōdet, quod licet intentio non sit quid rei, tamen predicatur in quid de re , ita vt in quid sit terminatio inherentis , & non inherentiæ ; quia prædicari in quid est accidens, quia intentio, sicut & Definitum: hæc Scoti solutio est intellectu admodum difficilis , & à paucis bene exposita; quapropter nisi mea me intel-

A ligentia fallat , sensus huius solutionis est hic , intentio dupliciter consideratur, vno modo prout dicit quandā habitudinem , secundum quam prędicatum ad suū subiectum refertur , quod est determinare inherentiam, & penès hanc considerationem intentio nō est quid rei , neque de ipsa re quidditatiuè prædicatur, sed est purum accidens: alio modo consideratur , prout est in se vnum quid, id est vnum predicatum essentiale, quod est determinare inhe-

B rens , & hoc modo quamuis intentio sit accedēs, tamen respectu speciei designat prędicatum essentiale , & iuxta hanc considerationem intentio dicit quid, de re illa cuius est intentio, idest de suo inferiori ad quod refertur .

Ad sextum conceditur consequentia , quia quemadmodum indefinitione generis definitur secunda intentio , ita & in definitione speciei definitur secunda intentio : sed quando dicitur, quod disparatum non prædicatur de

C disparato,& intentio generis, & speciei sunt intentiones disparatę; Respondetur , vnam intentionem de alia prædicari duobus modis contingit , primo prędicatione exercita in eisdem terminis , & ita genus non prædicatur de specie, quia non est verum quod intentio speciei sit intētio generis , nō enim species est genus ; secundo prædicatione signata , & ita intentio generis prędicatur de intentione speciei quia significatur quod res per genus signata ,

D sit res per subiectum designata, vt multoties dictum est.

Ad septimum dicitur quod intentio prout abstrahit ab hac & illa intentione, & sumitur indeterminatè , prædicatur de intentionibus solo numero differentibus , quia verum est dicere species est intentio , differentia est intentio , Proprium est intentio , & hęc sub ratione intentionis solo numero distinguuntur : si verò intentio sumatur vt dicit quoddam prædicatum, respectu eorum quorum est prædicatū , ita intentio generis predicatur de pluribus

ribus specie differentibus: & hoc est quod alij dicunt, intentio prędicatione exercita prædicatur de pluribus differentibus numero, tamen prædicatione signata dicitur de pluribus specie differentibus.

Solutis rationibus huius positionis; ad assertum deinde Pauli Veneti & Soti, dicitur, nequaquam esse intelligibile, quod definitum formale definitione generis sit secunda intentio; & tamen neque Genus neque eius definitio vllo modo accipiuntur, aut supponunt pro secunda intentione, sed pro natura substrata: nam quod hoc assertum implicet contradictionem manifestissimum est, his qui scientia sunt eruditi: nunquam intellıgi potest, vt definitio conueniat vni formaliter, & pro alio supponat: neque qui asserunt definitione generis definiri rem primæ intentionis id concederent, sed dicunt definiri rem primæ intentionis, prout secundæ subijcitur idest inquantum Genus, vel species, & huiusmodi: argumentum vero eorum nihil valet, vnde à Caietano negabitur, quod in illa definitione, (album est disgregatiuum visus,) non definiatur albedo vt quod, sicut in quarto notando secundæ dilucidationis huius disputationis, ex doctrina eiusdem Caietani dictum est: ita & genus pro secunda intentione obiectiua sumptum, habet vt sit illud quod definitur, & quod predicatur: quam vis sit etiam id, quo natura substrata denominatiuè definiatur, & prædicetur. igitur ex his quæ dicta sunt, fit vnicuique notum, quo nam modo Scoti & Caietani positionem, vt probabilem, defendat, & alterius opinionis rationes & argumenta diluat: quam opinionem si vt probabilem, (sicut re ipsa probabilis est) recipere velit; tunc ad rationes Scoti & Caietani respondere poterit peripateticis solutionibus, quę in proxima sequenti dilucidatione apponentur.

A

Dilucidatio 6.

Diluuntur Rationes duarum conclusionum, Positionis, Scoti & Caietani.

DIlucidationem hanc, non solùm propter alterius positionis probabilitatem, sed etiam vt studiosorum iuuenum ingenij accumen magis magisque excitetur, & id quod diximus,
B
planius fiat, adiungendam putauimus: iam affirmauimus, eam opinioně, qua dicebatur definitum definitione generis, esse secundam intentionem, & pro ea definitionem supponere, valde probabilem esse, ac propterea ad certiorem ipsius euidentiam, eas rationes, quibus oppugnabatur, solutas fecimus. At quia & altera positio, qua asseritur, Definitum definitione generis esse rem primę intentionis, non vt
C
sic, sed prout secundæ substernitur, nō minus priori, probabılem esse, nec peripateticorum auribus dissonare; non enim Animal vt Animal, sed vt Genus prædicatur: ideo vt huius positionis probabilitas clarior fiat, necessarium est Scoti, Caietani, & Discipulorum argumenta huic sententiæ aduersantia, soluta reddere, nam dubitationum solutio est veritatis, & etiam rei probabilitatis manifestatio. Duas conclusiones inter cęteras, ad mentě ipsorum in dılucidatione tertia, appositæ
D
fuere: altera in ordine est secunda, & altera tertia: in secunda dicebatur Genus non definiri pro natura intentioni substrata; quę conclusio tribus potissimis rationibus fulciebatur, quarū duę priores ex Scoto, tertia vero ex Caietano deducebatur; in tertia deinde explicabatur Definitum formale definitione generis esse secundam intentionem, & definitionem pro ea supponere, quæ conclusio sex rationibus muniebatur. igitur vt alterius positionis probabilitas lucescat, has rationes solutio-

lutionibus diluere necessarium est, in eo tamen ordine hoc vno tantùm mutato, vt illamet conclusio, quę ibi est secunda, in hac dilucidatione sit prima, & quę ibi est tertia; hic fiat secunda: nam hoc ordine seruato, & positiones, & rationes, & solutiones faciliori modo capientur.

Ad primam igitur primæ conclusionis, qua probatur Definitum definitione Generis, nequaquam esse naturam substratam, negatur minor; & ad illius probationem respondetur, quod natura substrata duobus modis sumitur, vno modo definite, pro hęc videlicet, & illa natura puta Animalis, corporis, & coloris: alio modo indefinite vel vt alij dicunt indeterminatè: iuxta primam acceptionem non definitur hoc loco, quia per hoc nomen Genus, nulla primæ intētionis res determinatè significatur, nec substantia, nec quantitas, nec qualitas: vnde fit vt sub nomine generis nulla determinatè definiatur: at penes secundam acceptionem definitur genus, pro natura videlicet indeterminatè sumpta, & intentionis substrata, quę vniuocè dicitur de omnibus generibus propriè dictis.

Ad secundum negatur consequentia: ad cuius confirmationem dicitur, quod aliquid definire per accidens dupliciter contingit, primo quia ipsum coniungitur alicui, quod per se definitur, secundo quia definitur secundum rationem alicuius, quod sibi per accidens inest: quod primo modo definitur, definitur simpliciter per accidens: at non quod secundo modo: ad rē vero dicitur, quod Res primę intentionis definitur per secundam intentionē quæ est accidens, tamen est ratio secūdum quam ipsa natura definitur: & quod hoc modo definitur, non reducitur ad aliud quod per se definiatur, quia & ipsum vt sic, dicitur per se definiri: sed quod definitur primo modo, quia definitur verè per accidens, indiget vt reducatur ad illud, quod

A per se definiatur.

Ad tertium quę est Caietani Achilles, respondetur quod prædicari in definitione generis positum, sumitur formaliter: & quando subdit, quod relatio non cadit in definitionem rei extra animam: tunc dicitur, quod res extra animam duobus modis consideratur; v.g. Animal, primo absolutè & secundum suam absolutam naturam, inquātum est substantia animata sensitiua, & ita prędicari non cadit in illius defini-

B tionem, secundo quatenus inuentioni substat, & est genus, & ita relatio prædicationis in eius definitione ponitur: ex quo fit vt Animal genus formaliter prædicetur.

Ad rationes secundę conclusionis, quibus probatur secundam intentionem formaliter definiri, atque pro ea definitionem supponere: ad primam, concessa maiori, negatur minor, ad cuius probationem respondetur, quod & si termini in definitione positi, puta

C prędicari de pluribus, sint intentionales, tamen verificantur de re primæ intentionis, non vt sic, sed prout secundæ intentioni subijcitur: vnde quod prędicatur non est Animal absolutè, sed Animal Genus. homo species, & sic de reliquis, & ita termini intentionales de re intentioni substrata verificantur.

Ad secundum similiter negatur minor, & ad illius corroborationem dicitur, non secundas intentiones simpli-

D citer, sed naturas his intentionibus subiectas logicam considerationem subire, eo quod definitiones de ipsis vt sic verificantur: & hic est sensus Auicennæ & Auerrois.

Ad tertium conceditur quod in definitione definiatur significatū formale ipsius; sed negatur deinde quod significatum formale quod definitur sit secunda intentio quoniam secundam alteram positionem, cum illud quod predicatur sit natura intentioni substrata, ideo ipsa natura vt intentioni substat formaliter definitur; & intentio

est ra-

est ratio secundum quam ipsa definitur.

Ad quartum negatur minor, quia vt dictum est, non secunda intentio refertur, & predicatur, sed est ratio secundũ quã natura substrata refertur, & prędicatur; Animal enim non prædicatur, nisi quia est genus, & homo non predicatur, nisi quia est species; & ita de reliquis intelligatur.

Ad quintum sunt qui negant, Genus & species sumpta pro prima intentione, nõ esse relatiua: & ad illius probationem distinguunt, quod species pro prima intentione bifariam sumitur, vno modo definitè siue determinatè, alio modo indefinitè & indeterminatè; primo modo non conuertuntur, sed bene secundo: vnde valet est Animal, ergo est quoddam Animal, seu quædam species Animalis; cũ genus non sit præter suas species, sicut Aristot. in lib. 7. metaphys. textu 43. scribit: vel vt alij soluunt, dicatur sic. Genus & species dupliciter sumuntur, vno modo secundum personalem suppositionem, quod priores dicunt definitè & determinatè, & ita non sunt relatiua; nam Animal & eius ratio est prius quam sit homo & illius ratio, quia Animal potest esse sine homine & non è conuerso; color sine albedine & non è conuerso: alio modo sumuntur secundum suppositionem simplicẽ, pro natura in communi substrata intentioni generis & speciei; quod priores appellant naturam indefinitè, & indeterminatè sumptam; & iuxta hunc intellectum, Genus & species relatiuè se habent.

Ad sextum negatur consequentia: quia logicus non definit, neque considerat primas intentiones, prout primæ intentiones sunt: nam harum consideratio, & Definitio vt sic ad realem artificem spectat: sed considerat & diffinit eas prout secundis intentionibus substant, quod est considerare ipsas naturas, prout genera & species sunt: qui modus considerandi est logicus, & ad

A logicum adtinet. & ita in his dictis, tota disputatio finem sumat.

Disputatio tertia de Genere.

Num Generis Definitio à Porphyrio assignata sit quidditatiua, vel descriptina.

B

Dilucidatio I.

Proponitur disputatio, & septem fundamenta iaciuntur.

ARISTOTELES Peripateticę Achademiæ Dux, in libro 9. primæ philosophiæ textu 10. siue 11. scribit hæc verba, nõ oportet omnium

C definitionem quærere, sed etiam quod proportionale est, conspicere: atque iuxta Auerrois interpretationem est ac si dixisset; Definitiones in omnibus rebus non eodem modo sunt quęrendæ; sed iuxta vniuscuiusque naturam assignandę sunt: quod dicitur (inquit ibidem Auerroes) vt insinuaretur quod Definitiones rerum relatiuarum alio modo esse debent, quàm rerum non relatiuarum, At ipsemet

D Auerroes in paraphra. metaphys. tractatu 3. aliam rationem huius dicti assignat, inquiens quod Definitiones omnium rerum secundum vnum & eundem modum quęri non debent, quia non omnia habent genera & differentias; quædam enim per sua opposita definiuntur, quędam per suas passiones, non nulla item per actionem & passionem, & tandem per ea, quę ipsa insequuntur. modo ad rem nostram, cum hęc, quę in hoc opusculo à Porphyrio aguntur, sint secundæ intentiones entiaq; rationis ob id penès ipsorum

rum naturam definitiones sibi adaptabuntur: quapropter si ipsorum Definitio sit quidditatiua, aut descriptiua, intelligatur quod quidditas aut descriptio non eo modo quo enti reali, eis congruit, in eodem namque genere definitum, & quę in definitione assignantur reperiri debent. igitur quia ea quę in hoc opusculo pertractantur sũt intentionalia, non aliter quàm per terminos intentionales definiuntur. Primum quod Porphyrius in hoc suo libello definit, est genus, cuius quidem Definitio talis est, (Genus est quod prędicatur de pluribus specie differentibus in eo quod quid est.) circa quã assignatam definitionem quęritur an sit quidditatiua, vel descriptiua; eo modo scilicet intelligendo quidditatem & descriptionem, quo secundis intentionibus congruunt, atque conueniũt: ad cuius quęsiti intelligentiam quædam fundamenta sunt iacienda.

Sit primum fundamentum ex officina Aristotelis tum in libro primo topicorum cap. quarto, tùm in libro secundo posteriorum cap. decimo sumptum, quod Definitio est oratio indicans ac manifestans quod quid est esse rei per essentialia, id est declarans essentiam & naturam rei definite per sua principia essentialia: & dicitur oratio quia est quoddam complexum includens diuersa principia rei definitæ, genus videlicet & differentiam, quę sunt principia essentialia vniuscuiusque rei: & dicitur per essentialia ad distinctionem descriptionis, quæ per accidentia propria, & à posteriori naturam rei indicant, vnde loco differentiarum, quãdo sunt ignotæ quandoque sumuntur, sicut Aristoteles in lib. 3. & 6. topicorum scribit; ac propterea in lib. primo de anima inquit accidentia magnam partem conferre ad cognoscendum quod quid est. ex quibus patet quod vera & propria definitio, quę quidditatiua dicitur, ex duobus conficitur nempe ex proprio genere & ex propria differentia: quod si illorum alterum desit

A proprium genus scilicet, aut propria differentia eius rei quæ definitur, tunc non erit propria definitio; hinc Aristoteles in lib. 7. metaphys. textu 43. inquit, quod definitio continet primum, id est proximum dictum genus & differentias; definitiones namq; quæ per genera remota assignantur sunt diminutę, at completę dantur per genera propinqua, quia in his includuntur remota & non e contra in habentibus plura genera, vt colligitur ex paraphrasi metaphys. tractatu secundo.

B Sit secundum fundamentum. Definitio est duplex, vna quæ quidditatiua dicitur, altera quę descriptiua nuncupatur· quidditatiua est illa, quę ex proprio genere, & ex propria differentia conficitur, atque rei definitę naturam & essentiam declarat: exempli gratia, definiatur homo, & dicatur quod est Animal rationale; hęc definitio dicitur quidditatiua, quia assignatur per proprium ac proximum genus hominis, quod est Animal, & per propriam

C ipsius differentiam, quę est rationale, de qua quidem differentia Porphyrius in calce eiusdem capitis inquit, quod ad esse conducit, est pars rei & in quod quid erat esse, id est in definitione ponitur: sed definitio descriptiua est oratio indicans esse rei per accidentalia, siue per accidentia propria, vt si dicatur homo est Animal risibile: & dicitur per accidentia propria, vt communia accidentia excludantur, quæ defi-

D niti naturam neque etiam à posteriori indicare possunt: vnde quando Aristoteles in lib. primo de anima scribit accidentia conferre ad cognoscendum quod quid est, intelligitur de accidentibus proprijs, ita Themistius, Auerroes, & D. Thom. interpretantur.

Sit tertium notandum & habetur ex libro sexto topicorum cap. 1. quod ad veram & perfectam definitionem plures conditiones requiruntur, sed principaliores sunt tres, quarum prima est, quod definitio insit omni contento sub definito, nam si definiatur homo

quod

quod sit Animal rationale, tunc nullus est homo, qui non sit Animal rationale. Secunda quod soli definito, & non alij ab eo conueniat: cuius secundæ cōditionis ratio assignatur, ex eo quod Definitio ex proprio genere & ex propria differentia conficitur, quæ differentia soli definito & omni contento sub eo conuenit: tertia quod sufficienter explicet definiti naturam, ipsumq; ab omni alio differre faciat, quia & si genus pluribus speciebus sit commune, tamen ratione propriæ differentiæ facit ipsum definitum à quolibet alio differre; & propter hoc definitio dicitur terminus à similitudine terminorum, quibus possessiones à possessionibus separantur; etenim vt terminus nihil extra rem terminatam relinquit, ita definitio totum ipsum definitum suo complexu coercet & continet, vt ex Ammonij doctrina in calce commentariorum huius capitis explanauimus.

Sit quartum fundamentum; dictum est quod definitio descriptiua datur per accidentia propria, vt communia accidentia excludantur; quod si quis petat quam ob causam accidentia cōmunia, vt albedo, nigredo, sedere, currere & similia neque quidditatiuam neque descriptiuam definitionem ingrediantur? respondetur quid hæc ex sua natura sunt indeterminata, in differentia, ac diuersis generibus speciebusque communia, ideo rei naturam indicare nequeunt: sed accidentia propria eo quod aliquam speciem determinatè consequuntur, vt ea quæ ex principijs essentialibus illius speciei emanãt, vt risibilitas naturam hominis & non aliam consequitur, & hinnibilitas naturam Equi, hinc est quod ad rei naturam cognoscendam partem magnam conferunt; imo propriæ differentiæ per ea circumscribuntur vt in lib. 7. metaphys. dicitur: hinc logici communiter inferunt quod definitio constat ex genere & differentia, vel ex proprio ipsi differentiæ proportionali, attamen ve- A rum est quod plura accidentia cōmunia sumuntur quandoque loco vnius proprij secundum quod eorum vltimū restringit proprium, & tunc conuertitur cum descripto, exempli gratia, gressibile bipes, ambo sunt accidentia communia respectu hominis: & tamen hoc aggregatum gressibile bipes, est vnum conuertibile cum homine, eo quod vnum contrahit aliud, ideo vni proprio accidenti equipollet, ac propterea Arist. tùm in libro primo peryhermen. B cùm sexto topicorum definiens hominem per suum proprium, inquit quod est Animal gressibile bipes.

Sit quintum notandum genus tàm in quidditatiua, quàm in descriptiua definitione semper ponitur, quia vtraque ex genere conficitur, siue dicatur, quod homo sit Animal rationale, siue risibile, semper genus nempe Animal assignatur. verum est tamen quod genus alio modo ponitur in quidditatiua, & alio modo in descriptiua: in quid- C ditatiua ponitur tanquam principium essentiale speciei, species namque ex genere & differentia tanquam ex principijs essentialibùs constat; sed in descriptiua ponitur tanquam principium effectiuum proprij, eo quod Proprium emanat à genere tanquam à principio effectiuo ipsius, & quia effectus in plenam cognitionem suæ causę minimè ducit, hinc est quod Proprium rei naturam plenè atque exactè explicare nequit.

D Sit sextum fundamentum, Definitio adhuc est duplex, vna quæ dicitur Definitio quid nominis, & altera quæ definitio quid rei vocatur: definitio quid nominis est illa, quæ solam nominis significationem explanat, id est quid nomen significat, vt si dicatur quod triangulus est figura tres angulos habens, vel vacuum est spatium corpore non repletum, repleri tamen possibile. sed definitio quid rei est illa, quę naturam rei significatæ per illud nomen explicat: inter quas definitiones Aristoteles in lib. 2. poster. cap. 10. hoc discrimen assignat,

assignat, quod definitio quid nominis est vna per accidens nominis namque interpretatio per plura fieri potest, sed definitio quidditatiua est vna per se, nam genus & differentia explicant vnam per se naturam: ea quid nominis est cognitu facilis, sed illa quid rei est cognitu difficilis, præsertim quia rerũ differentias noscere haud facile est.

Sit septimum fundamentum, apud Aristotelem reperitur duplex definitio Vniuersalis, vna in libro septimo metaphysicæ text. 45. vbi inquit, Vniuersale est, quod aptum est vt pluribus insit, altera in libro primo peryhermenias cap. 5. vbi ait Vniuersale est illud, quod de pluribus prędicari aptum natum est: circa quas definitiones est animaduertendum, quod prior est per causam, posterior autem per effectum. causa enim cur aliquid possit verè de multis affirmari, ideo est, quia illud re ipsa est in multis, ex eo enim quod humana natura est in Socrate & Platone, ideo verè de ipsis homo affirmatur, ab eo enim quod res est, vel non est, oratio dicitur vera vel falsa, vt Aristoteles in prædicamentis docet. his ita explanatis, nunc Dialecticorum opiniones circa propositum quæsitum essent recensendę, sed breuitatis studio, ad sequentem dilucidationem differantur.

Dilucidatio 2.

Opinio Scoti asserentis asignatam Generis Definitionẽ esse quidditatiuam; & aliorum affirmantiũ eam esse descriptiuam, examinatur.

QVærebatur in superiori dilucidatione, an assignata generis Definitio sit quidditatiua, vel descriptiua; ad cuius quesiti intellectum quædam annotationes appositæ fuere, superest modò vt Dialecticorum varia placita referentur. Scotus eiusque asseclæ in quest. 15. vniuersalium, arbitratus est generis Definitionem à Porphyrio as-

A signatam esse quidditatiuã, quam positionem his rationibus corrobare nitit.

1 Illa definitio est verè quidditatiua in qua proximum genus ac propria differentia rei definitę assignantur; sed in definitione generis à Porphyrio posita, proximum ipsius genus, ac propria eiusdem differentia assignantur, ergo est definitio quidditatiua. maior habetur ex Aristotele asserente in lib. 6. topicorum, & in lib. 7. metaphys. definitionem quidditatiuam ex proximo ge-

B nere & ex propria differentia confici: minorem probat hoc modo, Genus in definitione positum est prædicari, nam Arist. in lib. 1. peryherm. definit vniuersale per prædicari; Differentia propria est de pluribus specie differentibus, quod non nisi generi conuenit: quod si quis negaret eas particulas esse differẽtias per se generis; probat Scotus hac ratione, predicari de pluribus specie & de pluribus numero diuidunt suum superius, nempè predicari de pluribus,

C ergo constituunt inferius ad quod superius per ea contrahitur, ergo cũ genus constituatur per has particulas, predicari de pluribus specie differentibus, sequitur quod ipsę sint differentiæ constituriuæ generis.

2 Confirmatur eadẽ positio à Discipulis his medijs. Omnis ratio quę cõuertitur cum suo definito, & in qua ponuntur ea quæ sunt eiusdẽ generis cũ ipso definito, est vera Definitio quidditatiua; sed assignata generis definitio

D conuertitur cũ ipso genere, & ea quæ in definitione ponuntur sunt eiusdem generis cũ ipso definito ergo generis assignata definitio est verè quidditatiua. maior habetur ex Arist. in lib. 6. topic. minor probatur, & primo quod definitio conuertatur cũ definito, genus etenim illud est, quod de pluribus specie differentibus prędicatur, & cõuertitur illud quod prædicatur de pluribus specie differẽtibus est genus: sed quod posita in definitione sint eiusdem naturę cum ipso genere definito, ex eo manifestatur, quòd genus hoc loco defini-

tum est de numero secundarum intẽtionum, & particulæ in definitione positę videlicet prædicari de pluribus specie differentibus in quid sunt de numero secundarum intentionum.

3 Præterea Porphyrius in capite de specie, mouens eam dubitationem, cur in definitione generis ponitur species, & in definitione speciei ponitur genus: respondet quia sunt relatiua, & statim subdit, vnde oportet in vtriusq; rationibus vtrisque vti, ex quibus sic arguitur, ratio quam significat nomẽ est definitio vt dicit Arist. in lib. 4 metaphys. sed generis definitio, appellatur à Porphyrio ratio, ergo est propria definitio: & hæ sunt huius positionis rationes potissimæ, quæ conficiuntur.

Ex altera parte Ammonius, nec nõ Boetius Solertissimi sanè Porphyrij interpretes, quos deinde sequũtur Magnus Albertus tract. 3. super Porphyrium cap. 3. Burleus in fine commentariorum huius capitis not. 1. Paulus Venetus in notandis super illam particulam (tripliciter igitur cum genus dicatur) Sotus in calce q. vnicę super hoc caput. Toletus q. 2. & 3. huius capitis & in q. 1. de vniuersalibus, & tandem omnes Iuniores asserunt hanc generis definitionem, non quidditatiuam sed descriptiuam esse: verum hi non ita inter se cõueniunt, quin in aliquo ab inuicem discrepent; quoniam & si conueniant hanc definitionem esse descriptiuam, in duobus deinde discrepant, quorum vnum est an ipsamet definitio possit esse quidditatiua; aliud; quid in hac definitione siue descriptione loco generis cõstituatur: de quibus duobus infra erit sermo: nunc autem quod hæc definitio sit descriptiua, his rationibus probatur.

1 Primo authoritate Porphyrij, qui ad calcem huius capitis inquit, nihil igitur superfluum neque minus continet generis dicta descriptio notionis.

2 Præterea, quidditatiua Definitio datur per proximum genus & per propriam differentiam, vt in secundo fun- A damento superioris lectionis explanatum est. sed (quidquid sit nunc de genere) verum est quod propria differentia generis constitutiua nunc non assignatur; ergo non est definitio quidditatiua: minor probatur; Porphyrius assignans in textu differentiam, qua Genus ab alijs vniuersalibus distinguitur, ponit prædicari de pluribus specie differentibus in quid, quod non nisi generi conuenit; sed prædicari de pluribus est passio ex natura generis siue Vni- B uersalis emanans, non aliter quàm ex hominis natura fluat risibilitas, igitur non est differentia generis constitutiua: ad cuius rei intelligentiam meminisse eorum oportet quæ in vltimo fundamento superioris dilucidationis dicta fuere, videlicet, quod Vniuersale habet duo, vnum quod sit aptum natũ esse in multis, aliud quod de illis prædicetur: esse in multis pręcedit naturaliter dici de multis, causa etenim cur aliquid possit de multis verè affirmari, C ideo est quia illud re ipsa est in multis; alioquin non verè de illis affirmaretur: deinde ex hoc quod Vniuersale est in multis profluit ex eo hęc passio, nempe de multis predicari. Igitur quia Author definit genus per prædicari quod est generis passio, sequitur quod generis definitio non sit quidditatiua, sed descriptiua; quæ sententia est omnium dialecticorum communior.

1 Sed dubitabit aliquis, quomodo predicari de pluribus sit propria passio D generis, eo quòd propria passio compe tit vni soli, sed prædicari de pluribus non conuenit soli generi, quia etiam species, & Differentia, & accidens commune predicantur de pluribus, ergo non est propria passio generis.

2 Præterea quæritur cur Porphyrius definiuit genus per suam passionem, magis quàm per aliud quod ipsi conueniat.

Ad primum respondetur quod propria passio generis, vel alterius Vniuersalis non est predicari de pluribus tantùm; sed totum hoc predicari de pluribus

ribus differentibus ſpecie, aut numero in quid vel in quale; nunc verò prędicari de pluribus ſpecie differentibus in quid, ſoli generi ineſt, ac per hoc ab alijs vniuerſalibus diſtinguitur.

Ad ſecũdum dicitur quod Porphyrius definit genus per illius paſſionem, quia nobis notior eſt; ex hoc namque quod cognoſcimus Animal predicari de homine & de Equo, intelligimus Animalis naturam ipſis ineſſe.

Circa hanc generis, ac reliquorum vniuerſalium definitionem, notandum eſt ex Burleo & Paulo Veneto, quod illa particula (de pluribus) duobus modis teneri poteſt, vno modo comparatiuè, alio modo poſitiuè; comparatiuè eſt ſignificata per illam particulã (pluribus) eſſe plura quàm ſint differentia ſpecie, & tunc eſt ſenſus, genus eſt illud quod prædicatur de pluribus quã differentia ſpecie, & hic ſenſus eſt falſus, quia homo eſt Aſinus nõ ſunt plura quàm differentia ſpecie, ſicut Sortes & Plato non ſunt plura quàm differentia numero: teneri poſitiuè eſt facere conſtructionem intranſitiuam, vt ſit ſenſus, Genus eſt quod predicatur de pluribus, id eſt de multis, quę cum ſint plura, non differũt ab inuicem niſi ſpecie, & hic eſt verus ſenſus huius definitionis & reliquarum in hoc libello à Porphyrio aſſignatarum: his poſitis, ſupereſt nunc, vt aduerſa Scoti, ac Diſcipulorum argumenta diluantur.

Ad primum negatur minor, ad cuius probationem (quidquid ſit nunc de genere de quo paulo inferius erit diſputatio) negatur quod illę particulę (predicari de pluribus ſpecie differentibus) ſint differentia generis conſtitutiua: & quando ſuddit, quod predicari de pluribus ſpecie vel numero differẽtibus, diuidit ſuum ſuperius, ſcilicet predicari de pluribus: reſpõdetur quod illi duo modi non diuidunt ipſum predicari tanquam Differentiæ eſſentiales ipſius, ſed tanquam propria, & eſt ac ſi dicatur, Animalium aliud eſt aptum natum ad nauigandum, aliud non: ita

A Vniuerſalium aliud eſt aptum natum prædicari de pluribus ſpecie, & aliud de pluribus numero differentibus.

Ad ſecundum negatur maior, quia ad quidditatiuam definitionem non ſufficit quod definitio conuertatur cũ definito, quia etiam deſcriptio cum deſcripto conuertitur: neque eſt ſatis quod ea quæ in definitione ponuntur ſint eiuſdem generis cum definito, quia etiam illa, quæ ponuntur in definitione accidentium, (quorum non eſt perB fecta definitio, vt in lib. 7. metaphyſ. Ariſtoteles docet) ſunt eiuſdem generis: ſed neceſſarium eſt vt aſſignetur per eſſentialia, id eſt per proximum genus & per propriam differentiam, quod Author non obſeruat: prædicari enim non tanquam differentia, ſed tan quam paſſio generis eſt.

Ad tertium dicitur quod Porphyrius vtitur vocabulo rationis, extenſo nomine rationis ad definitionem & deſcriptionem: imo multoties accipit C deſcribere pro definire, & è conuerſo, vnde in capite de differentia, inquit, (quam ſic definiunt) & in fine capitis, deſcribunt autem: frequentius tamen nomine deſcriptionis vtitur, ſicut in hoc libello, omnibus eſt in propatulo.

Diſputatio quarta D de Genere.

An Generis Definitio poſſit eſſe quidditatiua.

Dilucidatio I.

Aſſignata Generis definitio, quamuis ſit deſcriptiua, tamen ex parte ſuperioris generis poteſt eſſe quidditatiua, ſi eſſentialis differentia addi poſſet.

ETSI omnes ferè Dialectici, quibusdã paucis exceptis, in eam sententiam conuenerint, quod definitio generis à Porphyrio assignata sit descriptiua, eo quòd per propriam passionem, quæ est de pluribus prędicari assignatur; verumtamen dissident ad inuicem, vtrum generis definitio possit aliquo modo esse quidditatiua, nec vna eademque est eorum sententia.

Ammonius, necnon & Boetius solertissimi sanè Porphyrij interpretes, quos deinde magnus Albertus tract. 3. c. 3. sequitur; dum in capite de genere quęrunt, qua nam ratione Porphyrius genus descripserit, illud potissimũ de quo apud phylosophos habebatur sermo, non autem definierit; asserunt concorditer hanc generis definitionem esse descriptiuam, & nullo modo posse esse quidditatiuam, ad quod assertum corroborandum has rationes afferunt.

1 Omnis definitio quidditatiua ex proximo genere, & ex propria differentia cõficitur; sed genus in hoc loco descriptũ non habet supra se genus, quod sit suæ definitionis altera pars cõstitutiua, ergo genus nunquam potest quidditatiue definiri. maior habetur in lib. 7. metaphys. textu 43. minorẽ sic probant, genus in hoc loco definitum comprehẽdit decem genera suprema, quia hic definitur genus in communi; at si genus vt genus haberet genus, ergo decem genera generalissima haberent supra se genus; & hoc si definiatur habebit genus, vnde fiet processus in infinitum.

2 Confirmatur, Genus in hoc loco definitum, complectitur vtrumque genus nempe substantię & accidentis; sed substantiæ & accidenti nihil est cõmune vniuocum, ergo superius genus ipsis assignari nequaquam potest: minor habetur in lib. 10. metaphys. cap. 9. & ex Porphyrio capite de specie.

3 Præterea si genus habet supra se genus per quod definiatur, ergo sequitur quod genus sit species, quod est falsum; falsitas ex eo manifestatur quod genus & species sunt duo distincta prędicabilia: consequentia probatur, quia species est, quæ sub genere ponitur, ergo si genus habet supra se genus, erit species illius.

4 Præterea, si genus quidditatiuè definiretur, ergo sequitur quod idẽ sit definiẽs & definitum, notum & ignotũ: consequẽtia in hunc modũ deducitur, hic definitur omne genus, ergo definitur etiã hoc particulare genus, quod in hac definitione ponitur; ergo hoc particulare genus, quatenus cõtinetur sub definito, est definitum, & quatenus ponitur in definitione est definiens; & sic idem esset definiens & definitum, & ex consequenti notum & ignotum.

Ad oppositum sunt alij, qui arbitrãtur Genus posse quidditatiuè definiri. Sotus in calce q. vnicæ huius capitis; Toletus q. 2. & multi Iuniores; ad quã positionem intelligendam.

Sit primum notandum, quod qui negant Genus posse quidditatiue definiri, non ob aliam rationem id negant, nisi quia definitio quidditatiua ex genere & differentia conficitur sicut Aristot. in lib. 7. metaphys. text. 43. docet: modo genus quatenus genus caret superiori genere, alioqui omne genus etiam generalissimum haberet genus, quod est falsum, vt in capite de specie Porphyrius scribit, ex quo fit cõsequẽs quod genus ex hac parte definiri nequeat; & hoc est quod argumẽta prioris opinionis intendunt: At qui ex altera parte asserunt genus posse quidditatiuè definiri, non hoc absolutè affirmãt, ac si genus quidditatiuè esset definibile; quia genus quatenus genus nullam differentiam actu includit, vt in sequenti capite elucidabitur; sed intendunt ostendere defectum definitionis quidditatiuę non prouenire ex parte generis, ac si genus in hoc loco definitum superiori genere careat, quo definiatur, vt prior opinio existimat, quoniam superius genus ipsi generi definito assignari potest; sed

sed ex aliūde prouenit si generis quidditatiua definitio non assignetur, & fortasse ex parte differentię, quę cum propriam definitionem actu ingrediatur, in generis natura atque essentia haud actu includitur.

Sit secundum notandum: Genus duplicem considerationem sortitur, vnam quæ formalis dicitur, alteram quæ materialis nuncupatur, vnde genus duobus modis sumitur formaliter scilicet, & materialiter: si genus sumatur materialiter, siue pro re primę intentionis, vt puta pro Animali, colore, figura, substantia, quantitate, qualitate, vel pro quolibet cæterorum prædicamentorum, tum genus caret superiori genere, nam de supremis decē generibus manifestum est, quod carent superiori genere, supra substantiam non est substantia, nec supra quantitatem alia quantitas, & per consequens Decem suprema genera ex hac parte nequeūt quidditatiuè definiri. pari ratione si Animal sub consideratione qua genus est, definire velimus, nequaquam poterimus, quanquam descriptione vel aliqua alia declaratione illius naturam manifestare possimus, quod si Animal definiatur; tunc non vt genus, sed vt species corporis animati definitur, quoniam quatenus species, genus, & differentiam actu includit, ex quibus quidditatiua definitio assignatur: genus igitur quodcunque illud sit, siue supremum siue subalternum, nunquam quidditatiuè ex parte superioris generis definiri potest, quia sub ratione generis superiori genere caret. sed si formaliter sumatur, quia sic est res secundę intentionis, vt etiam nomen designat, nihil prohibet, aliquod superius genus vniuocum ipsi assignari posse: etenim cū sub formali cōsideratione definitur, nō nisi vt est quoddam ens rationis definitur, quapropter & aliud quoddā quod sit Ens rationis, vt puta Vniuersale, tanquā superius assignari potest quod & si materialia sub eo superiori posita non sint eiusdē ra-

A tionis, eo quod alia sunt substantia, & alia accidentia, tamen in accidentibus cōcretis, vt rectè Tolet. q. 2. scribit, Definitio & essentia attendenda est secūdum formam, quę vnius rationis esse potest. atq; certum est rationem Vniuersalis eandem esse respectu omnium de quibus dicitur, quanquam materiale sit substantia siue accidens. Concludatur igitur quod generis assignata definitio ex parte superioris generis potest esse quidditatiua, si essentialis dif- B ferentia eiusdem addi potuisset, quæ posterior sententia est probabilior quàm sit Prior.

Quod si quis petat, quæ esset hęc generis quidditatiua definitio? Respondent Sotus & Toletus quod esset hæc, videlicet, Genus est Vniuersale, quod est in pluribus specie differentibus per vniformem rationem ad eorum quidditatem. his itaque dilucidatis, superest vt prioris opinionis aduersantia argumenta diluantur.

C Ad primum negatur minor, ad cuius probationem respondetur quod genus quodcunque si materialiter sumatur non habet supra se aliud genus vt dictum; at formaliter sumptum potest habere supra se genus, nempe Vniuersale quod secundum nomen & secundum rationem est cōmune omni generi, quia omne genus est Vniuersale.

Ad secundū itidem negatur minor, ad cuius probationē dicitur quod Aristot. intelligit quod substantię & Acci- D dēti nihil est cōmune vniuocū quidditatiuè: tamē potest esse eis aliquod cōe vniuocū secundū formā & ratione vniuersalitatis: quidditatiuè enim. i. secundum propriā naturā vniuscuiusq; eorū, sumpta nihil vniuocū habent cōmune, & ita substantię & accidenti quatenus substantia & accidens nihil est cōmune vniuocū: sed quatenus sub ratione generis considerantur, atq; secundę intētionaliter sumuntur, sic habēt aliquod cōmune vniuocum, nempe Vniuersale, quod secundum idem nomen & secundum eandem rationē de illis dicitur.

Ad tertium conceditur consequentia, nempe quod genus sit species, & negatur falsitas, ad cuius probationem respondetur quod genus & species duobus modis considerantur, vno modo simpliciter, & ita genus non est species, quia intentio generis non est intentio speciei, sed sunt duæ intẽtiones ab inuicem distinctæ: alio modo considerantur quatenus subiectum supponit simpliciter, & prædicatum personaliter, & tunc est verum dicere quod genus est species, quia genus simpliciter sumptum est quædam species contenta sub vniuersali, vt in quadam disputatione super prohemium Porphyrij explanatũ est. hinc placet id quod quidam dicunt, videlicet, quod genus vt genus est species vniuersalis, & ipsũ Vniuersale commune generi, & reliquis, est species generis; quę mutua subiectio non in primis, sed in secundis intentionibus concedenda est. non in primis admittitur hęc mutua subiectio, quia si substantia quatenus genus est, haberet aliud genus primo intentionaliler, & sit illud v.g. Ens, tunc etiã & ens haberet aliud genus, & sic esset processus in infinitum propter eãdem rationem quę est esse genus: sed Genus secundo intẽtionaliter sumptum quatenus dicitur de pluribus, &c. fit species vniuersalis; & ipsum Vniuersale quatenus predicatur de genere & de specie & de reliquis in quid, fit genus generis, nec datur processus in infinitum, sed in illo mutuo fit status.

Ad quartum negatur consequentia scilicet quod idem esset definiens & definitum: ad illius probationem respondetur quod hic definitur omne genus formaliter sumptum, per suum superius genus quod est Vniuersale, vt dictum est: ex his igitur liquidò apparet quomodo generis assignati definitio, queat esse quidditatiua.

A

Disputatio quinta de Genere.

Quid loco Generis constituatur in definitione generis à Porphyrio assignata, Vniuersale, vel Prædicabile.

B

Dilucidatio I.

Non Prædicabile, sicut Paulus Venetus & Toletus existimant, sed Vniuersale loco generis in definitione constitui, vt Scotus affirmat, tanquam assertum probabilius pronunciatur.

C NIHIL enim aliud in definitione est, nisi quod primum dicitur genus, & Differentia; ita scribit Aristoteles in lib. 7. metaphysicę textu 43. & est ac si dicat quod ad veram & propriam definitionem conficiendam duo sunt necessaria scilicet primum, id est proximũ genus & propria, quæ est specifica differentia; & in hoc ipsa definitio à descriptione discrepat, quod ad huius descriptionis naturam conficiendam, & si aliquod genus
D requiratur, non tamen differentia necessaria est, sed Proprium est sufficiens ad rei descriptæ naturam aliquo modo explanandam. Igitur quia Porphyrius in hoc capite genus descripsit, illiusque descriptionem elucidauit, in qua quidem descriptione aliqua pars subintelligitur, quæ locum generis definientis obtinet, ideo non ab rè quis dubitabit, quid loco generis in ea descriptione ad mentem Porphyrij constituatur: Duo etenim sunt quæ in hac descriptione, vicem generis sibi vendicare

care videntur, nēpe Vniuersale & prędicabile, quorum vtrumque nos in illius textus explanatione insinuauimus vnde sensus erat, Genus est quod idest Vniuersale vel predicabile, quod de pluribus specie differentibus aptum natū est prędicari, quæritur ergo quid loco generis in hac descriptione constituatur, Vniuersale, aut Prædicabile: neque omnium dialecticorum est vna eademque sententia.

Ad cuius quæsiti intellectum in primis hoc vnum est sciendum, quod Prędicabile & Vniuersale proprie sumptū sunt idem secundum rem, quia est eadem natura communis, quæ vniuersalis & prædicabilis nuncupatur, ratione tamen differunt: nam dicitur Vniuersale inquantum aptum natum est esse in multis, predicabile vero prout aptū natum est predicari de multis; sed quia esse in multis præcedit naturaliter prędicari de multis; non enim aliquod predicatum potest vere enunciari de aliquo, nisi illi insit, quia ab eo quod res est, vel non est, oratio dicitur vera vel falsa, ideo ratio Vniuersalis præcedit rationem prædicabilis, quapropter ipsum Vniuersale se habet vt subiectū, Predicabile verò tāquam passio illius: his visis ad positiones elucidandas accedamus.

Paulus Venetus super eundem textum in notando tertio. Toletus in q. 3. huius capitis, & alij arbitrati sunt, ad mentem Porphyrij, quod loco generis constituatur predicabile, & sit sensus, Genus est quod, id est predicabile, quod de pluribus specie differentibus aptum natum est predicari: ad quam positionem corroborandam Toletus hac ratione vtitur.

1 Differentia in definitione ponitur ad excludendum ea, quæ sub eodē genere continentur, vnde dicitur à Porphyrio, Differentia est, quod est aptum natum separare ea, quæ sub eodem genere sunt; exempli gratia Rationale ponitur in definitione hominis non ad differentiam lapidis aut vlterius quod

A sit extra genus Animalis, sed vt ea Animalia separentur, quæ non sunt rationalia: sed Porphyrius excludit indiuiduum à ratione generis per illam differentiam prędicari de pluribus; ergo genus in ea descriptione nō est vniuersale, quia indiuiduum sub Vniuersali non cōtinetur, sed sub predicabili, quia est predicabile quamuis de vno, genus verò de pluribus; ergo predicabile loco generis in definitione constituitur.

B Ex altera parte Scotus in q. 15. Vniuersalium, in solutione quarti argumenti principalis, quem non nulli ex iunioribus sequuntur, insinuasse videtur, quod in generis definitione, siue descriptione, loco generis constituatur Vniuersale, & sit sēsus Genus est quod idest Vniuersale, quod de pluribus specie differentibus predicari aptum natum est: quam positionem quidam his medijs confirmare nituntur.

C 1 Aristoteles in lib. 1. peryhermenias cap. 5. Definit Vniuersale per suā passionem, id est per predicari, quando dicit Vniuersale est id, quod de pluribus predicari aptum natum est; ergo quia Porphyrius in hoc loco definit genus per eiusdem generis passionem, scilicet per predicari, ideo videtur quod loco generis constituatur Vniuersale, quod etiam ab Aristotele per predicari definitur.

D 2 Præterea in quacunque definitione, siue descriptione, illud constituendum est loco generis quod respectu definiti vel descripti habet se vt genus proximum; sed respectu generis descripti, Vniuersale & non prædicabile habet se vt genus proximum ergo vniuersale loco generis constituetur: maior ex lib. 6. topicorum, & ex lib. 7. metaphys. elicitur: minorem sic probant, si natura & essentia generis petatur, respondebitur proprius dicendo, esse illud quod est aptum natum esse in multis, quam predicari, quia primū competit sibi tanquam vniuersale, & præcedit naturaliter ipsum predicari.

Hoc quæsitum parui momenti est, nec multi refert quid in ea definitione loco generis constituatur Vniuersale aut predicabile: vtrunq; est probabile ac probabiliter defendi queit, namque cum ipsa definitio non sit quidditatiua sed descriptiua, quid in ea loco generis constituatur nihil ad rem: probabilius tamē videtur quam pluribus Vniuersale in hac cæterisque huius libelli descriptionibus loco generis constitui, eo quod hæc quinque Vniuersalia sub eo tanquam sub quodam communi genere continentur; tu verò eam quam volueris sententiam defende: modo ad rationes vtriusque opinionis respōdeatur, & primo ad rationem Toleti.

Respondetur cum distinctione videlicet quod predicabile bifariam sumitur, vno modo propriè & est illud quod de pluribus predicari aptum natum est; alio modo communiter & impropriè, & est illud quod de vno solo dicitur; nunc autem quando argumentum inquit quod Differentia ponitur in definitione ad excludendum ea, quæ sub eodem genere continentur; propositio intelligitur de his quę propriè sub eodem genere continentur, & naturam generis propriè participant, modo indiuiduum continetur impropriè sub genere prædicabilis, eo quod illius prædicatio cum sit de vno solo nempe de se ipso arti non deseruit.

Vel dicatur quod Differentia ponitur in definitione, vt innotescat absoluta distinctio eorum, quæ sub eodem genere sunt: modo Genus & indiuiduum non differunt absolutè per prædicari de pluribus & de vno, quia predicari de se ipso non est propria predicatio, quia à prima substantia nulla est predicatio, inquit Aristoteles in capite de substantia; sed absolutè differunt per predicari de pluribus secundum rem & secundum rationē: genus enim predicatur de pluribus secūdum rem, quia ea de quibus predicatur sunt plura secundum rem, sed indiuiduum intelligitur distinctum à se ipso secundū rationem tantum, quatenus intellectus concipit idem vna vice sub ratione subiecti, & altera predicati.

Ad authoritatem Porphyrij respondetur quod per id quod nobis est notius distinxit genus ab indiuiduo.

Ad argumenta alterius opinionis, negatur secunda pars consequentiæ, scilicet ergo Porphyrius loco generis constituit vniuersale: nam & si Aristoteles in lib. 1. peryhermenias definit Vniuersale per prædicari, potuit tamē Porphyrius sumere predicabile loco generis, ac precipuè quia per notiora genus describit.

Ad secundum priori loco negatur maior, eo quod Aristot. in lib. 7. metaphys. text. 43. nec minimum quidem verbum de descriptione facit, sed in definitione dicente quid est ostendit quod quando plura sunt genera, ac plures differentiæ, tunc proximo genere & ex propria differentia conficitur definitio: deinde ad minorem conceditur Vniuersale esse genus magis proximū quàm sit predicabile respectu generis, quia esse de pluribus predicabile presupponit esse Vniuersale quod est in pluribus, attamen quia Porphyrius nō quidditatiuè, sed descriptiuè definit genus, ideo satis fuit, aliquid loco generis constituisse, quod generis naturam aliquo modo explanaret. & sufficiant hęc quę dicta sunt.

Disputatio sexta de Genere.

An Genus prædicetur de suis differentijs prædicatione per se.

Dilucidatio I.

Proponitur Disputatio, Rationes ad partem affirmatiuā adducuntur: & non nulla notanda apponuntur.

DIS-

DISPVTATIO quę nūc elucidāda proponitur haud cognitu facilis est: pluribus in locis nempe in lib. 6. topicorum in explanatione loci 38. & in lib. 3. metaphys. textu 10. ab Aristotele pertractatur, vnde illius interpretes ansam sumpsere eam explanandi; cuius quidem elucidatio & si muneris metaphysici sit, tamen vt hi qui logico negocio studēt, modos prędicandi plenè capiāt, ideo eam in hoc loco examinare decreuimus: igitur proponitur questio, cuius titulus est an genus predicetur de suis differentiis predicatione per se: & ad partem affirmatiuam his rationibus arguitur.

1 Genus, Species, & Differentia sūt vnum & idem realiter, ergo quidquid prędicatur de vno per se, prędicatur etiam de reliquo per se: sed genus predicatur de specie per se, quemadmodum ex definitione generis omnibus innotescit; ergo predicatur etiam de Differentia per se: Antecedens ex eo probatur, quia homo est idem secundum rem, quod Animal rationale.

2 Quod est Animal per suā formā est per se Animal: sed rationale est Animal per suam formā, ergo Rationale est per se Animal, & ita genus predicatur per se de rationali: maior propositio elicitur ex lib. 5. met. cap. de per se, vbi Aristot. ponit primum modum per se esse quando aliquid est tale per suā formam: minor à sufficienti diuisione probatur, si rationale est Animal, aut est Animal per materiam, aut per formam, non per materiam, ergo per formam, vt puta per animam sensitiuam, ad quam sequitur esse Animal.

3 Genus prædicatur de differentia, nam hæc propositio est vera Rationale est Animal, igitur aut genus prędicatur de differentia per se, aut per accidens, sed non per accidens ergo per se; maior ex hoc patet quod inter per se & per accidens non datur medium sicut neque inter ens per se & per accidens datur medium: minor probatur, in omni prædicatione per accidēs aut predicatur accidens de subiecto. v.g. homo est musicus, aut subiectum de accidente, musicum est homo, aut accidens de accidente vt musicum est album, vt in libro quinto metaphysicę textu 13. & in libro primo posteriorum cap. decimo octauo dicitur: sed nullum horum ad rem propositam attinet, & ratio est, quia hæ predicationes per accidens non predicantur nisi de his, quę sunt vnum, vel vnum per accidens constituunt, sed rationale & Animal constituunt vnum per se, scilicet speciem, ergo genus non per accidens, sed per se de Differentia prædicatur.

4 Si genus prædicatur de differentia per accidens, ergo sequitur quod genus prædicatur per accidens de illa specie, in qua differentia includitur, sed consequens est falsum ergo & antecedens; falsitas est nota, quia genus prædicatur de specie per se: consequentia probatur, quando aliquid prædicatur de aliquo per accidens, cuicunque adiungitur illud adhuc de eo per accidens predicabitur: v. g. Animal per accidens predicatur de musico, ideo semper per accidens predicabitur de musico, cuicunque musicum adiungatur: ergo cuicunque adiungatur differentia, &c.

5 Rationale per se est homo, homo per se est Animal, ergo Rationale per se est Animal: argumentū tenet per illā regulā ante predicamentalem, quando alterum de altero predicatur: veritas minoris ex hoc patet, quia prædicatū est de ratione subiecti: at quod maior sit per se, sic probatur: hæc est per se, homo est rationalis, ergo hæc est per se rationale est homo: consequentia probatur, quia sicut propositio necessaria conuertitur in propositionem necessariam, precipuè in terminis conuertibilibus, ita propositio per se conuertitur in propositionem per se.

Ad solutionem propositæ questionis, sit primum notandum ex Aristot. in libro

in lib. primo poster. cap. 4. & in lib. 5. metaphys. capite de per se, quod quatuor sunt modi dicendi per se: primus qui omnium est perfectissimus, est quã do prædicatum est de intrinseca ratione subiecti, vt si dicatur homo est Animal, homo est rationalis, homo est Animal rationale, nam hæc predicata sunt de intrinseca ratione subiecti, & hoc modo genera & differentiæ prędicantur per se de suis speciebus, & species de suis indiuiduis. Secundus modus est eorum quæ ita sunt in subiectis, vt subiecta sint de illorum definitione; quod est dicere secundus modus dicendi per se est quando subiectum est de definitione predicati, & ita passiones in secundo modo predicãtur, quia subiectum ingreditur suæ passionis definitionem, vt si risibilitas definiatur, dicetur quod est hominis aptitudo ad ridendum, & quod simitas est proprietas nasi. Tertius modus est potius per se existendi, quàm predicandi; vnde per se tertij modi tantum sonat, quantum solitarie, vt tantum valeat, quantum res quæ suapte natura per se existit, id est non in alio, quapropter ly per se cõ comitantiam subiecti excludit, sicut sortes & quęcunque substantia dicitur ens per se, accidens autem ens in alio. Quartus modus est propositio in qua effectus predicatur de sua propria causa vt iugulatus interiit, iugulatio enim est per se causa mortis: duo priores sũt modi predicandi, scilicet quibus prædicata in propositione dicuntur de subiectis, tertius est modus existẽdi, quartus verò modum causalitatis designat.

Sit secundum notandum, aliud est aliquid esse alterius accidens, & aliud est ipsum predicari per accidens: nam ad hoc quod vnum sit alterius accidẽs, satis est quod ei inhereat, ita vt sine eo esse nequeat, & illius nõ sit aliqua pars sicut in ante predicamentis capite secundo Aristoteles docet: ex quo fit, vt illud quod alicui inest vt accidens sit ab eo realiter distinctum: at predicari per accidens est quando vnum non in-

A cluditur in formali conceptu obiectiuo alterius; sed quãdo contingit quod vnum sit de ratione formali alterius, tunc constituitur predicatio per se, vt in lib. 1. poster. textu 9. dicitur; quapropter si contingit duo nomina significare vnam & eandem rem sub distinctis conceptibus quorum vnus in alio formaliter non includitur, tunc illa duo nomina predicantur ad inuicem tantùm per accidens; exempli gratia idem punctus est principium vnius lineæ &
B finis alterius, verumtamen quia ratio finis non includitur in ratione principij, ideo hæc propositio est per accidẽs principium est finis: similiter quamuis albedo sit illa res quæ est similitudo, tamen hæc propositio albedo est similitudo est vera per accidens eo quod conceptus albedinis distinguitur formaliter à conceptu similitudinis: sed hæc propositio homo est Animal, est verà per se, quia & si conceptus hominis & Animalis sint distincti, tamen cõ-
C ceptus Animalis in conceptu hominis formaliter includitur.

Sit tertium notandum illi cõceptus distinguũtur formaliter, quorum vnus in formali siue in quidditatiuo conceptu alterius non includitur; vel vt alij exponunt quorum vnus non est de essentia & quidditatiua definitione alterius: & quia Genus non est de formali conceptu differentiæ, neque differentia de formali conceptu generis; etenim formale significatum generis est
D perfectio materialis, & formale significatum differentiæ est perfectio formalis, hinc contingit quod genus & differentia sunt distincti conceptus formaliter. Genus enim vt S. Thomas in tractatu de ente scribit, significat naturam vniuersaliter, confusè, indistinctè, & per modum cuiusdam determinabilis ac perfectibilis, quod est proprium materiæ, differentia vero eam designat distinctè & per modum cuiusdam determinantis & perficientis quod est proprium formæ: hinc Phylosophus in libro 8. metaphys. text. 9. scribit quod ge-

nus

nus sumitur à materia & differentia à forma, quod dictum ita est intelligendum vt Alexander in lib. 2. questionũ naturalium, q. vltima explanat, & Auerroes in lib. 1. metaphys. comment. 17. & in lib. 12. comm. 14. interpretatur, scilicet, non quod genus sit propriè materia, & Differentia sit propriè forma, sed quia genus comparatur ad differẽtiam vt potentia ad actum, & vt materia ad formam; vnde Porphyrius in capite de differentia dicit quod genus est proportionale materiæ, & Differentia formę; igitur quia conceptus confusus & indeterminatus distinguitur formaliter à conceptu distincto & determinato; hinc fit quod conceptus generis est alius formaliter à conceptu differentiæ.

Sit quartum notandum, Genus & Differentia duobus modis sumuntur: primo modo sumitur Genus vel pro toto aggregato ex forma generali & forma specifica, sub ratione tamen formæ generalis, exempli gratia Animal sumitur pro aggregato ex forma Animalis & forma rationali; vel sumitur pro forma generali tantùm. Similiter differentia aut sumitur pro aggregato ex forma generali & specifica, vt rationale pro aggregato ex forma Animalis, & forma rationalis, aut sumitur pro forma speciali, quæ à forma generis est diuersa: hanc distinctionem habet Ioannes Gandauensis in lib. 3. metaphys. in quest. 12. quam sumpsisse fatetur ex magistro Ruperto Anglico.

Sit quintum notandum, Genus est duplex, vnum quod Genus generalissimum dicitur, quod cum sit genus nũquam potest esse species: aliud subalternum, quod est simul genus & species, ad aliud tamen, & ad aliud sumptum, hoc est respectu diuersorum, vt in sequenti capite explanabitur: similiter Differentię sunt duplices, aliæ sũt generis constitutiuæ vt Animatum & sensitiuum; etenim vt Porphyrius in cap. 3. scribit, Animatum & sẽsitiuum sunt constitutiuæ naturæ Animalis, eo

A quod Animal est substantia animata sensitiua: quę quidem differentiæ constituunt genus, non quatenus genus, alioquin omne genus haberet differentias constitutiuas, quod est falsum, sed quatenus species: aliæ sunt differentiæ generis diuisiuæ, exempli gratia Corpus diuiditur per animatum & inanimatum; Corpus animatum per sensitiuum & insensitiuum; Animal per rationale & irrationale.

Sit sextum notandum quando quæ-
B ritur an genus predicetur per se de suis differentijs, quęsitum non intelligitur de differentijs constitutiuis; quia hę differentię non constituunt genus quatenus genus vt dictum est: sed de differentijs diuisiuis ipsius generis intelligitur: his fundamentis positis, Cõclusiones dilucidandæ ad proximam sequentem dilucidationem differãtur.

Dilucidatio 2.

C

Conclusiones elucidantur, & obiectiones quædam diluuntur.

SErmo in proxima præcedenti dilucidatione fuit, an Genus prędicetur predicatione per se de Differentiis sui ipsius diuisiuis, atque argumẽta ad partem affirmatiuam, & quędam notatu digna ibidem apposita fuere: nunc superest vt conclusiones elucidentur, &
D ea quæ in principio questionis proponuntur argumenta, diluantur. Igitur sit prima conclusio, si Differentia sumitur quatenus habet simplicem suppositionem, idest vt designat illum gradũ formalem tantùm, quo vna species ab alia specie essentialiter distinguitur, tunc Genus non prædicatur per se de Differentia, vnde hæc predicatio non est per se Rationale est Animal: hec conclusio est contra Themistium in lib. 1. poster. cap. 12. & Iandunum in libro 3. metaphys. in quest. 12. oppositum sentientes.

1 Probatur conclusio, primo authoritate Aristotelis in lib. 3. metaph. text. 10. circa finem vbi ait impossibile est vt genus entium sit vnum vel ens; cuius quidem dicti rationem reddens subdit, quia omne genus habet differentias de quibus non prædicatur: impossibile enim est, aut species generis de proprijs differentiis prędicari, aut genus absque suis speciebus scilicet de eisdem differentiis dici, ens vero de omnibus prędicatur.

Contra hanc authoritatem instat Iandunus dicens quod Phylosophus in hoc lib. 3. metaphys. non determinatiuo sed disputatiuo modo procedit, quod confirmat authoritate Auerrois dicentis in commento primo eiusdem libri, quod Aristoteles in hoc tractatu intendit inducere sermones disputatiuos, qui affirmant & destruunt; ergo hęc authoritas Phylosophi necessario non concludit.

Ad hanc instantiam respōdetur negando quod Aristoteles in toto tertio libro incedat modo disputatiuo, in multis namque determinatiuè cōcludit: vnde ad authoritatem Auerrois dicitur quod & si Aristoteles in pluribus disputet, tamen respectu aliquarū conclusionum determinat, & propositiones simpliciter veras assumit, quēadmodum est hęc, genus & species nō prædicantur prædicatione per se de suis differentiis.

2 Secundo confirmatur eadem cōclusio per Aristotelem in lib. 6. topicorum in explanatione loci 38. vbi habet hęc verba: Nam non de Differentia, sed de quibus Differentia, Genus videtur prędicari, vt Animal de homine & boue, & de alijs gressibilibus animalibus, non autem de ea differentia, quæ de specie dicitur.

Contra arguit Iandunus: in libris topicorum Aristoteles ex probabilibus procedit, quę alteram partem non necessario inferunt: ergo hæc authoritas non concludit.

Ad hanc obiectionem respondetur

A non esse necessarium omne medium ad aliquam veritatem probandam adductum, simpliciter concludere, satis namque est eam aliquo modo confirmare: & quia Aristoteles vbique locorum eandem conclusionem habet nēpe genus de suis differentijs non prædicari, ideo apparet quod hęc sit illius intentio.

3 Rursus confirmatur conclusio per Auicennam in lib. 2. suæ metaphysicæ cap. 6. vbi inquit quod genus non est

B in differentia, sicut pars essentiæ eius, id est sicut pars sui formalis significati: sed solum sicut ens extra quidditatem & essentiam, id est, est extra formale significatum eius: sicut subiectum est extra formale significatum suę passionis.

4 Præterea ad eandem conclusionē confirmandam arguitur duabus rationibus, quibus Aristot. in lib. 6. topicorum in explanatione loci 38. vtitur; quarum prima est: si genus. v. g. Animal, de vna quaque differētiarum prę-

C dicabitur, ergo multa animalia de specie prędicabuntur, quod est falsum: consequentiam sic probat, quia Differentiæ de specie prædicantur: falsitas ex eo fit manifesta, quia vna species. v. g. homo, non nisi sub vno generico Animali continetur.

Hęc ratio quadam explanatione indiget, quomodo scilicet sit intelligenda illa consequentia, ergo multa Animalia de specie prædicabuntur. Iauellus in libro tertio metaphys. q. 2. Zima-

D ra in annotationibus super q. tertij libri Ianduni. Petrus Fonseca in lib. 3. metaphys. in commento super textum decimum, hoc modo eam exponunt; ergo vnum Animal puta homo esset multa animalia: quod sic probant, Animal quod in conceptu differentiæ rationalis includitur, aut est idem quod includitur in conceptu speciei, aut nō est idem, si idem, ergo quando dicitur homo est Animal rationale, tunc fiet nugatio, quod sic manifestatur, si idem Animal quod prędicatur vt genus de homine includitur definitiuè in rationali,

nali, idem bis inutiliter repetitur: si nõ est idem, ergo homo est Animal illud quod de specie predicatur, & est illud etiam quod in rationali includitur, sed hoc non est idem cum primo, ergo idẽ homo erit multa animalia, quod est absurdum.

Alij verò arbitrantur consequutionẽ ab Aristotele factam, nõ ita deduci debuisse. s. ergo species puta homo erit multa Animalia; sed aiũt quod ly multa designet idẽ in hominis definitione repetitum; quod est nugatio: nã si Rationale est Animal quod est genus hominis eo quod genus predicatur per se de rationali, igitur quando dicitur homo est Animal rationale, sensus erit, homo est Animal, Animal quod est mera nugatio: & vtraque expositio aptè textui conuenit.

Contra hanc rationem arguit Iādunus in calce illius q. 12. dicens quod si ratio facta ab Arist. in lib. 6. topic. valet: ergo sequitur quod Animatũ nõ prædicetur per se de homine, quod est falsũ; falsitas est manifesta quia homo est substantia animata: consequentia probatur, Animatum predicatur per se de homine, & de Animali, ergo homo erit multa animata, vnum. s. animatum, & Animal aliud animatum.

Ad hoc respondetur, quod in hac propositione, homo est Animal, non predicatur Animatũ de homine predicatione formali. i. vt alia forma à natura animalis distincta, nam conceptus animati in conceptu Animalis quidditatiuè includitur, vnde non sequitur quod homo sit multa animata: sed si genus predicaretur per se de differẽtia, tenet illa consequentia Aristotelis, ergo homo est multa Animalia, quia homo secũdum aliam formam esset Animal, inquantum Animal genus prædicatur de ipso, & etiam secundum aliã esset Animal, inquantum scilicet rationale prædicatur per se de eodem homine; de quo rationali, secundum positionem, genus, id est ipsum Animal quidditatiuè predicatur.

A 5 Secũda ratio, qua Aristoteles eodem loco vtitur, est hæc; si genus prædicatur per se de Differentia, ergo sequitur quod omnes illæ Differentię, de quibus ipsũ genus predicatur, sint vel species, vel indiuidua: sed consequens est falsum, ergo & antecedens: consequentiam probat cum subdit, si quidem sunt Animalia, nam vnumquodque animalium aut species, aut indiuiduum est: falsitas ex eo patet quòd nunc sumitur Differentia secundũ simB plicem suppositionem, & quatenus designat aliam formam à genere, à specie, & ab indiuiduo distinctam.

Circa hanc rationem animaduertendum est, quod cum Aristoteles deducit eam consequentiam, ergo omnes Differentiæ erunt vel species vel indiuidua: hæc propositio verificatur ex natura generis, cuius est de speciebus & de indiuiduis earum per se predicari, sicut ex definitione illius apparet: vnde in lib. 4. topic. in explanatione loci C 18. dicitur, omne quod participat genus, vel species vel indiuiduum est: sed quando consequentiã probat suddens, si quidem sũt Animalia; est ac si dicat, si ergo Differentiæ sunt Animalia quia genus nempe Animal prædicatur per se de illis, ergo erunt species vel indiuidua, eo quod vnumquodque animalium aliquod horum est: & tunc Differentiæ à speciebus & indiuiduis non distinguerentur.

6 Præterea ad eandem conclusioD nem arguitur, si genus predicatur per se de suis differentijs diuisiuis, vel prædicatur de illis in primo, vel in secũdo, vel in tertio, vel in quarto modo perseitatis, sed in nullo horum modorum Genus prædicatur de Differentiis, ergo de illis non predicatur per se: maior ex diuisione sumpta ex primo lib. posterior. & in primo notando superioris dilucidationis posita, patet: minor quo ad singulas partes manifestatur: Genus non prædicatur de differentijs in quarto modo, quia hic modus est quando effectus prædicat causalitatem,

litatem, & differentia nullam causalitatem generis explicat: non in tertio quia hic modus est potius per se existendi quàm prædicandi: non in secundo quia Differentia non ponitur in definitione generis, alioquin in quocunque reperiretur genus, reperiretur etiã differentia, quod est falsum, non enim in quocunque est Animal in eo est rationale: non in primo, quia Genus non est de intrinseca ratione differentiæ, ergo genus nullo modo predicatur per se de Differentijs. hæc ratio sumitur ex D. Thoma in lib. 3. metaphys. super textum decimum; & ea vtitur Caiet. super tractatum de ente.

7 Præterea, si genus prędicatur per se de Differentijs in primo modo dicendi per se, (si namque predicari debeat, in hoc tantùm predicari debet) tunc maximum absurdum ex inde oritur, videlicet quod Differentiæ diuisiuæ alicuius generis conueniant in vno conceptu vniuocò, in conceptu nempe generis; sed hoc est falsum, ergo, &c. absurdum primo probatur, Animal quia predicatur in primo modo dicendi per se de homine & de Equo, ideo homo & Equus conueniunt in vno conceptu vniuoco, scilicet in genere, quod de vtroque essentialiter prædicatur: pari ratione si genus prædicatur de Differentijs in primo modo dicendi per se, ergo illę differentię puta rationale & irrationale conueniunt in vno conceptu vniuoco, scilicet in ipso genere, quod de illis quidditatiuè prędicabitur. falsitas sic manifestatur, Ea quę seipsis sunt primo diuersa in nullo vniuoco conueniunt, alioquin non essent se ipsis primo diuersa: sed Differentiæ diuisiuæ generis sunt seipsis primo diuersæ, sicut in lib. 10. metaphys. text. 12. scribitur, & infra in cap. 3. explanabitur, igitur in nullo vniuoco conueniũt.

8 Præterea, Differentię diuisiuæ generis habent conceptum simpliciter simplicem, ergo genus, cuius ipsæ sunt diuisiuæ non prędicatur de illis per se: antecedens probatur ex eo quod Dif-

A ferentiæ quibus res essentialiter differunt, non tendunt in infinitum, quia in essentialiter ordinatis non fit processus in infinitum. vt in lib. 2. metaphys. dicitur, sed ad aliqua seipsis primo diuersa deueniendum est; sed Differentię diuisiuæ generis sunt quibus res essentialiter differunt: Consequentia probatur, si genus predicaretur per se de illis, tunc includeretur quidditatiuè in ipsarum natura, & ita conceptus earum non esset simpliciter simplex, B conficeretur enim ex genere & ex alia Differentia.

Hanc conclusionem habent S. Thomas in tractatu de ente cap. 3. & in libro 3. metaphys. super text. 10. Scotus in lib. 3. metaphys. in q. vnica, & super Porphyrium in q. 20. Antonius Andreas in lib. 3. metaphys. q. 2. Paulus Sócinas in lib. 4 q. 20. Iauellus in lib. 3. q. 2. Marcus Antonius Zimara in annotationibus quæstionum Ianduni, Magister Emilius in lib. 2. quæstionum logi-
C calium in q. 9. Iandunus verò in lib. 3. in q. 12. oppositum sentit, cuius potiora fundamenta sunt primum & secundum argumenta & tertium in initio quæstionis apposita, quorum solutiones in subsequenti lectione apponẽtur.

Sit secunda conclusio. si Differentia sumatur pro aggregato ex genere & specie; vel quatenus ipsa supponit pro specie, tunc genus predicatur per se de differentia. probatur primo authoritate Aristotelis in lib. 3. metaph.
D text. 10. dicentis, impossibile verò est, aut species generis de proprijs differentijs prædicari, aut genus absq; suis speciebus; quapropter dicendo quod genus absque speciebus non prædicatur de differentijs, insinuat quod quatenus differentię sunt in suis speciebus, suntque idem realiter cum ipsis, tunc genus predicatur per se de illis, quia predicatur per se etiam de speciebus quarum est genus: nam Differentia extra speciem èst pars formalis, & genus materialis, quarum vna de altera non predicatur: in hac conclusione, nul-

ne, nulla reperitur Peripateticorum dissensio.

Sit tertia conclusio. Ista predicatio, Rationale est Animal, est vera idemptice; probatur, Rationale idem significat quod habés rationalitatem, quod non est nisi Animal, ergo verum est dicere idemptice Rationale est Animal: quamuis primo & formaliter rationale significet rationalitatem; & secundariò habens illam. nunc superesset argumenta in initio questionis apposita soluere; sed quia illorum solutiones sunt maxima consideratione dignę, & sermo in hac dilucidatione habitus satis prolixus fuit, ideo ad sequentem eas differre decreui.

Dilucidatio 3.

Afferuntur solutiones ad argumenta in initio quæstionis apposita.

QVemadmodũ homo pedibus vinculo astrictis, vlterius progredi nequit, ita & intellectus dubitatione affectus ligatur & impeditur ita vt vlterius suum iter prosequi non possit: eundem namque effectum ostendit in animo dubitatio mentis, quem in corpore vinculum quo pedes astringuntur, explanat, vtroque enim modo qui ligantur vlterius ire non possunt; sententia hæc est Aristotelis, atque similitudo in lib. 3. metaphys. cap. 1. vbi inquit, quatenus enim qui dubitat, catenus ei simile quid accidit, atque ijs qui ligati sunt, neutro enim modo fieri potest, vt vltra procedatur; hinc Auerroes in lib. 2. cœli in comm. 106. scribit, dubitatio est quasi ligamentum, & responsio quasi dissolutio: vsque modo argumenta ad vtranque partem affirmatiuam videlicet, & negatiuam proposita fuere, ad partem affirmatiuam ea sunt, quæ in initio questionis legũtur, & quibus probatur genus predicari predicatione per se de suis differentijs; ad partem negatiuam, quando positis cõclusionibus explanatum est genus de differentijs non predicari. hæc itaque argumenta pro vtraque parte, apposita, quasi quædam vincula extiterunt, quibus mens & intellectus ligabantur, ita vt ipsam veritatem percipere vix potuerint: at quoniam mens Aristotelis & ferè omnium peripateticorum est, genus de suis differentijs non predicari; quod assertum tanquam verissimũ ab omnibus (quibusdam paucis exceptis) recipitur, ob id, vt noster intellectus à vinculis absolutus, veritaté capiat, ea argumenta dissoluentur quę ipsum in altera parte, quasi dubitantẽ detinebant: Certa enim cognitio quę sequitur, solutio est eorum, quæ ante dubitabantur, inquit Aristoteles.

Ad primum, negatur maior, ad cuius probationem respondetur quod Genus, & species, & Differentia duobus modis considerantur, vno modo formaliter, & sic non sunt idem sed distinguuntur: alio modo idemptice & ita sunt idem; nunc verò formaliter sumuntur.

Ad secundum quod est fundamentum, cui Iandunus ad suam positionẽ fulciẽdam, innititur distinctio est apud Thomistas, ac precipuè apud Iauellum in lib. 5. metaphys. in q. 2. quod per se est duplex, vnum entitatiuum, quost ab alijs per se metaphysicum dicitur eo quod metaphysicus quidditates obseruat: & est quando aliqua res de se, & ex sua natura est talis, quemadmodum sol per se est lucidus, luna verò nõ per se, sed per alterum est lucida: aliud per se est predicatiuum, quod alij vocant per se logicum, eo quod logicus predicationes obseruat: & est quando prædicatum est de ratione subiecti, vt in primo modo perseitatis, vel subiectum de ratione predicati, vt in secundo modo: ad propositum dicitur quod multa sunt per se talia entitatiue, quæ non sunt per se talia predicatiue; non enim omnis predicatio quæ sumitur à forma est per se predicatiuè vt Iandunus credit;

credit; ita Animal per suam formam est per se animal entitatiuè; quia non per aliud, sed per se ipsum est tale, sed non est per se tale prædicatiuè: ad authoritatem Aristotelis in libro quinto metaphys. respondetur, quod quando dicit primum modũ per se esse quando aliquid est tale per suam formam, intelligit eo loco per formam ipsum quod quid est, vel definitionem; vnde inquit, vno quidem enim modo, secundum se quod quid erat esse vnicuique, vt Calias & quod quid erat esse Caliam, idest Calias & diffinitio Caliæ sunt idem per se.

Ad argumentum igitur respondetur, ad maiorem, quod est Animal per suam formam est per se animal, quod ly per se potest intelligi vel entitatiuè vel prædicatiuè: & ad minorem in qua dicitur Rationale est per se Animal, respondetur quod est vera entitatiuè, eo quod rationale non per aliud, sed per seipsum est Animal.

Ad tertium negatur minor, ad cuius probationem respondetur, quod prædicari per accidens duobus modis sumitur, vno modo pro eo quod verè accidentaliter prædicatur de aliquo, quæ prædicatio fit illis tribus modis in argumento positis, qui modi prædicandi per accidens sumuntur ex libro quinto metaphys. & explanantur ab Aristotele in lib. 1. poster. cap. 18.

Alio modo aliquid dicitur prædicari per accidens, pro omni eo quod extra quidditatem, & non est per se fluẽs à quidditate, in quo sensu plerumque Aristoteles dicit inferiora accidere suis superioribus: tunc ad argumentum negatur minor scilicet quod genus non prędicatur de Differentia per accidens: ad cuius probationem respondetur quod genus predicatur per accidens de differentia, non in primo modo continente illos tres modos, quoniam illę prædicationes per accidens non prędicantur nisi de his quæ sunt vnum per accidens, & vnum per accidens constituunt; sed prędicatur

A per accidens secundo modo, quatenus conceptus generis est extra cõceptum formalem, & extra quidditatem differentiæ.

Ex hac solutione manifestatur quod præter illos modos prædicandi per accidens assignatos ab Aristotele in lib. 5. metanhys. capite de per se, & in libr. 1. post. cap. 18. reperiuntur alij modi prędicandi per accidens, sumpti non ex diuersis rebus significatis, vt sunt homo & musicum, vel musicum & album, & similia, sed ex eo quod vnus

B conceptus alteri accidit, quamuis vterque eorum eandem naturam significet; sicut sunt genus & differentia, nam si genus & differentia exempli gratia Animal & rationale eandem rem significent puta hominem, sintque vnamet res, vnde hęc prædicatio Rationale est Animal, est vera idempticè, tamen quia conceptus formalis generis est extra conceptum formalem differentię, ideo dicitur quod vnus alteri

C accidit, & ita genus de differentia prædicatur per accidens, in quo sensu hęc est per accidens Rationale est animal.

Contra hanc solutionem arguitur sic, in omni prædicatione per accidens, prædicatum ita accidit subiecto, vt non repugnet ipsi subiecto esse sine illo prędicato: sed rationale non potest esse sine Animali, ergo hęc prędicatio rationale est Animal, non est per accidens: minor de se est manifesta; maior ex definitione accidẽtis clarescit, quia

D accidens est quod adest & abest præter subiecti corruptionem.

Ad hanc obiectionem est multiplex solutio: prima est, quod maior propositio, & illius probatio est vera de omni illo prędicato, quod verè accidentaliter prædicatur de subiecto, in quocumque illorum trium modorum prædicetur: nunc autem genus non prædicatur de Differentia per accidens in aliquo illorum trium modorum, sed quatenus contingit vnum conceptum alteri conceptui accidere, vt dictum est.

Secundo

Secundo respondetur, quod eo modo prædicatum accidit subiecto, quo propositio est per accidens, vnde distinguitur quod propositio duobus modis potest esse per accidens, vno modo ex parte rei significatæ, quod est dicere quando res predicati accidit rei subiecti, exempli gratia si dicatur homo est albus, nam res quæ est albedo, accidit rei quæ est homo, & tunc non repugnat quod subiectum sit sine prædicato: alio modo ex parte significationis tantum potest esse propositio per accidens, siue quod idem est, ex conceptibus formalibus, quod est, quando conceptus prædicati non includitur formaliter in conceptu subiecti, & tunc est verum quod res subiecti non potest esse sine re prędicati, exempli gratia rationale sine Animali; tamen conceptus subiecti potest esse sine conceptu prædicati, & hoc modo conceptus generis est sine conceptu differentiæ, & è contra, conceptus differentię est sine conceptu generis, eo quòd vnus non includitur formaliter in conceptu alterius, vt dictum est.

Ad quartum negatur consequentia, ad cuius probationem, respondetur ad maiorem, quod illud quod prędicatur per accidens, aliquo illorum trium modorum assignatorum in solutione tertij argumenti, semper de eo per accidens prędicatur, cuicunque illud adiungatur; sed quod prædicatur per accidens secundo modo, id est quatenus vnum alteri accidit, & non est de formali conceptu ipsius, tunc nō oportet. ita Zimara huic argumento respondet.

Secundo respondet Paulus Soncinas, negando maiorem, dicens quod esset vera si genus ideo prædicaretur de specie, quia prædicatur de differentia, ita quod hęc esset præcisa ratio, qua genus predicaretur de specie, quod non est verum; non enim differentia est ratio qua genus prędicetur de specie, quoniam omni differentia circumscripta, ad huc genus de specie prędicatur.

A Tertio respondet Scotus in libro 3. metaphys. in q. vnica, quod maior est vera, quando aliquid predicatur de aliquo per accidens, ex quo & illo, in quo includitur illud formaliter non fit vnum per se, sed vnum per accidens: modo ex specie & differentia fit vnum per se, ideo non sequitur quod genus prędicetur de specie per accidens.

Ad quintum sunt duo modi respondendi, primus est Thomistarū, ac præcipuè Iauelli dicentis quod qua ratione

B Rationale per se est homo, eadem ratione Rationale per se est Animal, nam prima est vera entitatiue, & non predicatiuè, idest non in primo modo dicendi per se, ita & secunda est vera entitatiuè & non prædicatiuè.

Vel dicatur quod propositio per se non conuertitur in propositionem per se, nisi in terminis conuertibilibus tantùm: & quia genus & differentia non sunt conuertibilia, ideo hęc non est per se Animal est rationale, imo nec ne-

C cessaria, stat enim Animal esse, & rationale non esse: similiter hæc non est per se, rationale est Animal, quia nec prędicatum est de ratione subiecti, nec subiectum de ratione prędicati.

Secundus modus dicendi est quorundam Scotistarum, ac specialiter Antonij Andreæ in libro tertio metaphysicæ quæstione secunda ad primum negantis similitudinem inter conuersionem propositionis necessarię in necessariam, & conuersionem proposi-

D tionis per se, in propositionem per se: cuius negationis ratio est, quia ad propositionem necessariam sufficit necessaria connexio terminorum, dato quod vnum extremum non sit de ratione alterius; sed ad propositionem per se in primo modo requiritur non solùm necessaria connexio terminorum, sed etiam quod prędicatum sit de ratione subiecti, & per se in secundo modo requiritur non solùm vt subiectum sit de ratione prædicati, sed etiam vt prædicatum insit subiecto, de quo recta prædicatio-

ne prædicatur ad propositum quamuis hæc propositio, homo est rationalis, cõuertatur in hanc rationale est homo; hæc tamen secunda non est in primo modo, quia conceptus hominis non est de conceptu rationalis: sustineantur hæ solutiones, donec alibi dilucidabitur quomodo propositio per se, conuertatur in propositionem per se: & de primo capite huius libelli, quæ dicta sunt, sint satis.

De Specie. Capitulum secundo.

Dilucidatio I.

Text. Species autem dicitur quidem, & de vniuscuiusq; forma, secundum quam dictũ est, Prima quidem species digna est imperio.

CVM institutum sermonẽ de natura generis, Porphyrius huius libelli Author expleuerit; in hoc secundo capite tractatum de natura speciei aggreditur: quod caput in tres partes principales partiri benè inspiciẽti haud dubium erit; in quarum prima multiplicem speciei acceptionem, atq; eiusdem definitiones nonnullas assignat, in secunda seriem & arborem prędicabilium ordinat; in tertia tandem, quid indiuiduum sit, quod omnium prędicatorum est subiectum, dilucidat.

At difficultas nec quidem modici ponderis iurè suboriri videtur, scilicet cur Porphyrius in tractatu de his quinque prædicabilibus, eundem ordinem nequaquam seruauit, quem in Prohemio constituit? nam ibi differentiam speciei anteposuit, inquiẽs, cum sit necessarium nosse quid Genus, quid Differẽtia, quid species; in tractatu autem speciem differentiæ præponit: quod &

A si genus reliquis prædicabilibus præposuit, eo quod cætera contineat, nec ab illis contineatur, pari quadam ratione, differentiam speciei anteponere debuisset, vt potè quæ speciei quędam perfectio & forma sit, ipsam ad vltimũ actum deducens, & à cæteris speciebus hanc vel illam distinguens; quam ob causam huiusmodi tractatum non recto ordine processisse, quispiam fortè dixerit.

B Huius difficultatis multæ solutiones ab expositoribus afferuntur: Ammonius, Boetius & magnus Albertus aiunt, id factum fuisse, eo quod Genus & species sunt relatiua; & quia vnum relatiuorum absque sui correlatiui notitia intelligi nequit, ob id generis tractatu expleto, statim speciei tractationem aggreditur; non enim naturæ, sed doctrinæ ordinem, ne diu auditoris animus suspensus teneretur, qui in tractatu de genere, speciei verba audierat, Author seruat.

C Aliam solutionem habet Auicẽnas, cui Sotus & Toletus subscribere non dedignantur; inquit enim quod Genus est magis intrinsecum & propinquum speciei, quam Differentię: nam totũ & pars habent maiorem immediationem & propinquitatem ad inuicem, quã illa, quorum neutrum est aliquid alterius; sed manifestũ est, quod genus est pars speciei, cum se habeat ad ipsam tanquam materia ad suum compositum, & non est pars differentię, sicut
D nec materia est pars formę; ergo post tractatum generis, iurè exorditur speciei tractationem, cui genus tanquam materia, & vt immediatius & propinquius se habet.

Verùm hæc secunda solutio non nihil difficultatis habet, cum per eandẽ rationem dici posset, quod sicut genus est pars speciei, ita & differẽtia, nec fortè minus immediatè, ac propinqui se habet ad speciem, eo quod ipsã actuet, & esse specificum conferat, quã genus; igitur omni modo de differentia prius, quam de specie agere debebat, vt ple-

nam notitiam de partibus essentialibus traderet, priusquam de composito, asserente Arist. lib. 7. metaphys. quod partes sunt priores toto.

Confirmatur, forma ordine naturę est prius in materia, quàm ex his compositum efficiatur, ergo eodem ordine differentia est prius in genere, quam ex his species constituatur, igitur cum ratio Auicénę de ordine naturali procedat, vt eam inspicienti fiet manifestum, ita pari ratione, post genus, de differentia prius quàm de specie agere debuisset.

Dicatur igitur principalẽ rationem huius ordinis eam esse, quæ supra dicta est, videlicet quia genus & species sunt relatiua: tum vlterius quia in vtraque definitione generis mentionem fecit de specie: quapropter doctrinę complementum exigebat, quod completo sermone de genere, statim de specie tractaretur: nec desunt qui dicant, quod & si Differentia quo ad esse antecedat speciem, tamen quo ad modum prędicandi postponitur ei; nam species in quid & Differentia in quale prædicatur, & quia quale præsupponit quid, ideo species ipsi differentiæ prępónitur: nec tandem spernenda videtur ea solutio, quam inter cæteras habet Paulus, videlicet quod Porphyrius ratione ordinationis, prius tractat de specie, quam de Differentia; quoniam eius intentio est determinare de genere & de specie, non tantùm definitiuè, sed etiam quatenus in recta linea prædicamentali ordinantur, tanquam superius & inferius, Differentia vero à latere ponitur, ideo post tractatum generis, tractationem speciei exorsus est; & hæc quo ad dubij solutionem.

Ad textum igitur deuenientes, dicimus cum Porphyrio hoc modo, Species autem dicitur quidem, & de vniuscuiusque forma, secundum quam dictum est, Prima quidem species, digna est imperio; Circa quam clausulam, in primis notant Ammonius & Boetius, quod sicut Author plures generis

A significationes assignauit, sic & speciei plura significata ponit, ac duas eiusdem significationes insinuat: quę & si longè plures habeantur, quàm in præsentiarum assignentur, cum Grammaticus asserat dari primitiuam & deriuatiuã speciem: Rethor atque Poeta, illum aspectum, quo homo vel tristis vel letus in facie ostenditur, speciem appellant: apud naturalem phylosophum forma substantialis dicitur species, sicut in libro secundo physicorum textu

B legitur: & similitudo, qua res sensibilis sensu apprehenditur, vnde in libro secundo de anima dicitur quod sensus est susceptiuus specierum sine materia; atque species intelligibilis, de qua in libro tertio de anima dicitur, quod non lapis sed species lapidis est in anima: & tandem forma exemplaris, quæ apud Platonem Idea nuncupabatur, quandoque species dicitur: has nihilominus & alias speciei acceptiones Porphyrius omisit, tùm primò

C inquit Boetius ne lectoris animũ prolixitate sermonis confunderet; tum secundo ait Ammonius quia satis est eas explicare significationes, quę ad disserendi vtilitatem attinere videntur: tum tertio scribit Albertus, cui recentiores consentiunt, quia satis est, eam tantum significationem apponere, quæ ob quãdam similitudinem, ad declarandam speciei logicæ naturam sufficiens videbatur: igitur assignando primam speciei significationem inquit, quod spe-

D cies primo modo sumitur pro forma vniuscuiusque rei, id est pro pulchritudine, & speciositate, siue pro dispositione corporis, quæ est quędam proportio, & commensuratio membrorum, à qua vnaquęque res pulchra & speciosa nuncupatur, iuxta quam significationem dici consueuit, quod prima, siue præstantissima species, vel vt Boetius legit, Priami quidem species digna est imperio: & est ac si diceret, quod Priamus ob illius speciositatem, & pulchritudinem, dignus erat, vt cæteris imperaret.

Circa quā speciei significationē, hoc in primis est animaduertēdū, quod species bifariā sumitur, vno modo vt est nomen primæ intētionis, siue vt significat primā intentionem .i. ipsas res vt in se sunt: alio modo vt est nomen secundæ intētionis, siue vt significat secundā intentione .i. ipsam rem, qua ratione prædicatur, vel subijcitur: in prima significatione species sumitur pro prima intentione, cū significet qualitatē, a qua subiectū quale denominatur, vt à speciositate speciosum, & à pulchritudine pulchrum: qua prima speciei acceptione vsus est Virgilius cū dixit formosū Pastor Choridon ardebat Alexim: & rursus in secundo Aeneidorum, non tulit hanc speciem furiata mēte Chorebus.

Præterea circa eādem significationē notat Boetius, quod Author cautissimè apposuit illā particulā (vniuscuiusque) ex eo quod in aliquo duplex, species reperitur, vna accidentalis quæ ex varijs accidentibus, ac dispositionibus materialibus indiuiduorum consurgit, qualis est lineamentorū proportio; alia substantialis, vt puta humanitas: prima est particularis & incōmunicabilis, secunda cōmunis & vniuersalis: sed ad insinuandum, quod de prima & non de secunda nunc erat sermo, ob id apposuit ly vniuscuiusque.

Vlterius sub silentio prætereundum non puto, cum sit scitu dignum, quā ob causam, speciositas dicatur imperio digna: ad quod respondetur ex Aristot. in 1. lib. Rethoric. quod corporis lineamēta, animi virtutū signa sunt: & in lib. 2. de Anima, text. inquit, molles quidem carne, mēte aptos esse: igitur ab elegantia corporis, tanquā ab euidenti signo, animi dispositio ad virtutem & felicitatem cognoscitur: vnde Arist. in 1. lib. ethic. illum hominem appellat infelicem, qui specie turpissimus est: igitur quia Priamus, & pulchritudine & forma præstantissimus erat, ob id imperio dignus censebatur, cum etiam animi virtute, sicut & corporis pulchritudine cæteros antecelleret: neque aliud di-

A mittatur, quod quidam textus legunt prima species, Argiropolus & Sotus legunt prestantissima: quare si legatur prima, exponatur sic, prima id est prestantissima species: Arabes & omnes ferè latini habent Priami species: Ammonius legit primum, quasi dicat, primum quod inter cætera formositati conueniat, & imperij dominium obtinere: & de hoc præsenti textu, hæc dicta sufficiant.

B

Dilucidatio 2.

Tex. Dicitur autem species, & ea quæ est sub assignato genere; secundum quam solemus dicere, hominem quidem speciem Animalis, cum sit genus Animal: album autem coloris speciem: triangulum verò figuræ speciem.

C

SPeciei nomen duo importare, primam videlicet, & secundam intentionē, eorum qui phylosophantur ambigit nemo: vsque modo quatenus speciei nomen primam intentionem significat, satis superque dictum est: sed prout secundam intentionem denotat nūc Author explanat: & quoniam huiuscemodi speciei significatio, logicæ considerationis est; ob id sub ratione subijcibilis eam exponit dicens, species est

D quæ sub assignato genere ponitur: quā significationem tribus exemplis elucidat, inquiens, quod iuxta hanc significationem consueuit dici, hominem esse speciem animalis, album coloris, & triangulum figurę: vnde figura, color, & Animal, genera sunt, nam sub Animali homo, sub colore album, sub figura triangulus continetur.

Circa quam speciei definitionem, illud est notatu dignum, quod Porphyrius non ab re sed consulto illam particulam (sub assignato) apposuit.

Verùm est tamen, quod non eodem modo, ab interpretibus explanatur: Magnus Albertus, quem Paulus & Caiet. sequuntur, in hunc sensum eam exponit; dicés, quod cum species actu & intellectu in sua natura generis essentiā includat, ob id sub diuersis generibus indifferenter & confuse collocari nequit; sed vnaquæq; species sub illo solo determinato genere ponitur, cuius naturam participat: ideo ne quis arbitraretur quālibet speciē sub quolibet genere indifferenter collocari posse, propterea apposuit ly sub assignato genere, cuius naturam actu includit, vt puta homo sub Animali, & non sub colore: albedo sub colore, & non sub Animali: triangulus sub figura, & nō sub corpore animato, & sic de singulis: imo subiungit Paulus, quod quemadmodum indiuiduum requirit determinatam speciē, dantem sibi nomen & definitionem, nō autem vagam per indifferentiā ad hoc & ad illud suppositum; ita species requirit determinatū genus indicās illius quidditatē, non autem vagum per indifferentiam, & inclinationem ad hāc, & ad illam speciē: & propter hoc Ens nequit esse Genus, quia indifferens est ex se ad omnes species, & non magis ad vnam, quā ad aliam determinatur.

Alij vt Gratia Deus, & Toletus, quibus nōnulli iuniores subscribūt, exponūt ly sub assignato. i. sub definito genere in tertia significatione: & hoc quia cū Porphyrius dixerit, genus tripliciter dici, & non de qualibet significatione, sed de tertia apud phylosophos esse sermonē; ideo vt ostenderet quod species non sub qualibet generis acceptione, sed sub tertia tantū, quæ est logicæ cōsiderationis, ponitur, apposuit Author illā particulā (sub assignato. i. sub definito superius: monētur autē ad hanc expositionē, eo quod Porphyrius, vbicūq; vtitur hac voce (assignato vel assignare) intelligit idē quod definito vel definire; vnde in c. de genere ait, quod etiā describētes assignauērunt. i. descriptione definierūt; & infra dicet, quod si etiā genus assignātes, speciei meminimus. i. definientes vel describentes genus: & in eodē capite subinfert, assignant ergo & sic speciem: i. definiunt, atque eodem verbo multoties in hoc tractatu vtitur.

Vtraq; interpretatio bona, imo optima est; sed me nescire fateor, cur quidā iuniores in lib. 2. suarū quæst. logicaliū, q. 11. primū modū dicendi, veluti à Porphyrij intentione, & à veritate alienum (vt inquiunt,) mordacius abijcerint: nā & si pluribus in locis Author vtatur eo verbo assignare, pro definire, vt ipsi interpretantur; verūtamen cur ly assignato significare nequaquā possit etiā determinato, non video; cū illud verbum apud gramaticos quā plures significationes habeat, quę Porphyrij locis aptè cōmodari possent: sed quod primus interpretādi modus a veritate alienus nō sit, manifestare haud difficile erit: sub silentio nunc pertranseo, quod non solum Albert. Paulus, & Caiet. sed etiam bonus Iauellus & Sotus illum modum dicendi non aufugiunt; tamen dicam obiectionem eorū nullā esse; cū dicunt.

Species definitur nunc à Porphyrio in sua vniuersalitate, ergo quatenus stat sub genere simpliciter, nō ergo quatenus sub determinato genere ponitur: ergo ly sub assignato, non importat sub determinato, alioquin species in sua vniuersalitate nō definiretur: etenim sicut determinata species est sub determinato genere, ita species vniuersaliter sumpta, est sub genere in vniuersali, & absque vlla determinatione sumpto.

Sed pace horū iuniorū duo dixero, videlicet obiectionē hanc, nullam esse; neq; ipsos prefatorū interpretum mētē attigisse: nā qui per ly (sub assignato genere) exponunt sub determinato & certo genere, nō intelligunt Porphyr. nūc definiuisse determinatū genus, aut determinatā speciē, vt ipsi obijciūt, sed in vniuersali ea explanasse: verū cū vnaquęque species includat actu & intellectu in sui natura illius generis essentiam, cuius est particeps, ob id intelligūt, quod species, quęque illa sit, quę sub genere,

ponitur, non sub quocunq; genere per indifferentiam ponitur, sed sub illo, cuius naturam participat: quamobrem vt illud perciperetur, Author apposuit illam particulam sub assignato genere; & exemplificando subintulit, vt homo sub Animali, cum sit genus Animal, & album sub colore: at quod huiusmodi allata expositio, nequaquam neget speciem in sua vniuersalitate definiri, vnicuique eam benè inspicienti patebit: illud tamen quod solus Caietanus addit scilicet, quod si ly sub assignato exponatur prędefinito generi in tertia significatione, & si huic textui non obstet, sequenti tamē vbi hoc repetit, cōsonum non est; mihi non probatur, cū vtramuis harum expositionum, & intētioni Authoris, & literę aptè conuenire, iam dixerim.

A At contra speciei allatam definitionem, in qua dicitur, species est, quæ ponitur sub assignato genere, oritur dubitatio, eo quod non solum species, sed etiam indiuiduum speciei sub eodem genere ponitur: quare sicut verum est dicere, homo est Animal, ita verum est dicere Sortes est Animal; ac maximè cum Porphyrius in hoc eodem capite asserat illam regulam, de quibus species predicatur, de his necessario & speciei genus prædicabitur, & generis genus vsque ad generalissimum: quia propter si verum est dicere, Socratem hominem, & hominem Animal, verū erit etiam dicere & Socratem Animal: quæ regula haud veritati consona esset, nisi indiuiduum specificum sub genere poneretur.

B Quod si quis cum magno Alberto, tract. 4. de specie, cap. 1. respondeat, aliquid sub specie poni, posse bifariā contingere, vno modo immediatè, & altero modo mediatè: primo modo sola species sub genere ponitur, at secundo modo etiam indiuiduum, nam Sortes est sub Animali, quatenus est homo, qui sub Animali continetur.

C Contra hanc solutionem extat argumentum de indiuiduo generico, puta hoc Animal, quod immediatè poni sub genere videtur, & hoc modo formetur ratio.

D Sicut se habet indiuiduum speciei ad speciem, ita se habet indiuiduū generis ad genus: sed indiuiduum speciei ponitur immediatè sub specie, ergo & indiuiduum generis ponitur immediatè sub genere; quare sicut verum est dicere hic homo est homo, ita verum est dicere hoc Animal est Animal, quod est indiuiduum generis poni immediatè sub genere.

Magnus Albertus, cui Caiet. subscribit, vt cautius quam possibile fuerit, loquatur, distinguit ly sub triplicem ordinem speciei ad genus denotare posse: primus dicitur ordo positionis: secundus ordo participationis: tertius ordo totalis principiationis: Ordo positionis est, quo species tanquā quid naturaliter inferius sub genere ponitur, & propter hoc, genus de ea in quid predicatur: Ordo participationis est, quo species & substantiam generis, & illius potestatem participat: Ordo totalis principiationis est, quo Genus in esse saltem confuso totam speciei naturam continet. Etenim genus dicit totum esse speciei confuse tamen & indeterminatè, & determinabile per differentiam, quam potestate continet, modo species hoc triplici ordine sub genere ponitur: indiuiduum autem quodcunque sit, siue specificum, siue genericum nullo horum ordinum sub genere ponitur, sed per differentiam materialem tantùm, eo quod cum sit in materia, & in accidentibus, per has materiales differentias ipsum genus contrahit, atque sub ipso continetur.

Paulus Venetus in capit. de specie clarioribus verbis distinguit, quod aliquid esse sub genere, duobus modis intelligi potest, vno modo secundum formam, alio modo secundum materiam: illud est sub genere secundum formā, in quod genus per differentiam formalem descendit, & hoc modo tantū species sub genere ponitur, eo quod genus

nus per oppositas differentias in suas species distinguitur: illud est sub genere secundum materiam, quod contrahit illius naturam per differentiã materialem, & hoc modo indiuiduum sub genere continetur: Item in cap de genere, super illa verba, quibus Porphyrius ostendit genus distingui ab aliis vniuersalibus, eo quod genus prædicatur de pluribus differentibus specie in quid: aliam respõsionem insinuat, quã deinde quidam iuniores sibi acceperunt, videlicet, indiuiduum genericum poni sub genere, dupliciter consideratur; vno modo vt ponatur sub genere quatenus genus est, & hoc est falsum, quoniam sub genere quatenus genus est, sola species collocatur: alio modo vt ponatur sub genere, quatenus species subalterna est, & hoc modo hoc Animal sub Animali ponitur: nã Animal non quatenus genus, sed quatenus species prædicatur de hoc, & de illo animali: Quę solutio optima esset, nisi quis obijceret de indiuiduo generico generis generalissimi, de quo dicitur hæc substantia est substantia: quapropter in priori solutione standum videtur.

Præterea notant communiter expositores, magnam conuenientiam esse inter primam & secundam significationem speciei: nam sicut pulchritudo est, à qua vnaquęque res, pulchra & speciosa denominatur, ita species logica; est logici generis pulchritudo: genus etenim ex sui natura quoddam imperfectum, informe, & potentiale est; sed cum per differentiam ad speciem contrahitur, tunc quoddam perfectum ac pulchrum esse recipit; & propter hoc Porphyrius illam primam speciei significationem posuit, secundũ quam species dicitur de vniuscuiusq; forma.

Tandem circa illud exemplum, in quo Author ponit figuram esse trianguli genus; extant nonnulli apud Ammonium, dubitantes an figura sit trianguli, & quadranguli genus: & propterea duobus argumentis, contra exemplum

A à Porphyrio in litera positum, sic arguunt.

1 Genus nunquam prædicatur secundum prius & posterius de illis speciebus, quarũ est genus; sed figura prædicatur de triangulo, & de quadrangulo secundum prius & posterius, ergo figura non est illorum genus: maior clara est, sed minor probatur, nam triãgulus ex tribus, & quadrangulus ex quatuor lineis conficitur; sed tria sunt priora quatuor, &c.

B 2 Secundo ad idem sic: sublato triãgulo, impossibile est quadratum remanere, & non è contra, ergo triangulus ordine naturę est prius quadrato: antecedens sic manifestatur: omne quadratum in duo triangula rectorum angulorum diuiditur: nam si in quadrato ex A.B.C.D. confecto, media linea ab A. ad C. ducatur, tunc quadratũ in duos triangulos rectorum angulorum secatur; vnum ex A.B.C. alterũ ex A.D.C. cõstat: quo fit, vt quadrato sublato triãgulus non deleatur: at si triangulus

C auferatur, fieri nequit vt quadratum remaneat; quare triangulus ordine naturæ, est prior quadrato.



D Ammonius in hoc loco, Porphyrij exemplum defendendo, inquit quod si trianguli essent quadratorum elementa, ita vt quadrata non nisi ex triangulis componerentur, sicut Plato in Timeo dicere videbatur, qui omnes figuras rectarum linearum, in triangula, veluti in simplicissima elementa resoluit, verum esset, quod dicitur: sed quoniã vt Euclides in sexto, & in quadragesimo pręcepto, absque triangulo, ex rectis lineis effici posse quadratum docet: ob id falsum est, quod triangulo

sublato, quadratum fieri nequeat: videatur de his Ammonius: dubium nūc apposuisse sat est.

Dilucidatio 3.

Tex. Quod si etiam genus assignantes, speciei meminimus dicentes, quod de pluribus & differẽtibus specie, in eo quod quid est prędicatur: & speciem dicimus id, quod sub assignato genere est.

SEntentia est non solum Peripateticorum Principis Aristotelis in li. *1.* poster. c. *3.* sed & eorum omnium, qui in scientijs versati sunt, Demōstrationem ad definitionem circularē in qualibet arte protinus abijciendā esse: nec ab rè, imò potissimū de causa id fatentur: etenim tā Demonstratio, quā Definitio assignatur, vt aliquid per eas, (si tamen non eodem modo) innotescat: nā per demonstrationem cōcludi propriā passionem de suo subiecto per illud quod notius est, docet Aristot. in lib. 1. post. capit. 2. & per Definitionem illud quod prius ignotum existebat, innotèscere, in lib. *6.* topic. Aristot. scribit: at cum vel per demonstrationem, vel per Definitionem circularem aliquid assignatur, illud primum inter cætera absurda exoritur, quod idē respectu eiusdem sit notius ignotiusque: verum vt hæc quæ dicta sunt, faciliori clarioriq; intelligentia percipiantur, exemplis ab Ammonio hoc in loco positis explanētur: nam Demōstratio circularis est, cum vnum per aliud, & hoc per illud idem demonstratur, & concluditur: exempli gratia si quispiam demonstret Animā intellectiuam, propter hoc esse immortalem, & æternā, quia semetipsā mouet; & iterū cōcludatur eādē Animā semetipsam mouere, quia immortalis, atque æterna est: aut mulierem peperisse ex eo quod lac habet, & rursus concludatur eandem mulierem lac habere, propter hoc, quia peperit: ita Definitio circularis est, cum per idipsum quod semel Definitum est, aliud desinitur, quod in prioris definitione positū fuerat, exempli gratia, definiatur pater, & dicatur pater est qui habet filiū, & rursus definiatur filius, atque dicatur filius est qui habet patrem: hunc etenim modum definiendi, omnes, qui verè phylosophantur in omni arte euitare conātur, eo quod omnis definitio debet explanare rēm, quam definitione concludit, eamque apertiorem reddere, quam suo nomine monstrabat; quapropter ex notioribus fieri definitionē oportet, quā sit res illa, quæ definitur, sicut Boetius super hunc textū scribit; quod in circulari definitione contingere nequaquā posse, nemo dubitat: quā ob rē ad propositū Porphyr. hanc veterū phylosophorū doctrinam haud ignorās, primo seipsū in hoc textu redarguit, quod circulari definitione vsus fuerit, vt inde optimā solutionē in mediū afferat; inquit igitur, quod si etiā genus assignantes, speciei meminimus, quasi dicat; vitio nobis adscribendū fortasse cuipiā videbitur, eo quod in præcedenti capite genus assignātes, hoc est definientes, speciei meminimus, cū diximus, genus est cui supponitur species nūc verò ipsā speciē definiēdo dicimus Species est, quæ sub assignato genere ponitur; ergo cum in definitione generis, posuerimus speciem tāquam illius definitionis partē, & rursus ipsum definitum genus, in definitione speciei nūc assignemus, fit meridiana luce clarius, quod cōtra communem phylosophorum sentētiam, circulari definitione in omni arte euitanda, vsi fuimus.

Text. Nosse oportet, quod quoniam & genus alicuius est genus, & species alicuius est species, vtrunq; vtriusq; iccirco necesse est, in vtrorumq; rationibus, vtrisq; vti.

Obie-

OBiectioni iam motæ, optimam solutionem Porphyrius in medium affert:atque cuiusdam diuisionis membrum vnum in litera ponens, alterum implicitè insinuat:distinctio igitur talis est,quod sicut entium, quædã sunt absoluta, vt illa quorum esse & cognosci ab alio nequaquã dependet, & alia respectiua quorũ esse & cognosci, ab esse & à cognosci alterius quodãmodo dependet:ita Definitionũ aliæ sunt absolutæ,& aliæ respectiuæ ;'in rebus quidé absolutis, vti circulari definitione incõueniens maximũ est, sed in respectiuis ea vti,necessarium est, eo quod vnum relatiuorum absque sui correlatiui notitia cognosci nequeat: modo autẽ cũ genus sit speciei genus, & species sit generis species,& per consequens ad inuicem referantur,ob id in vtriusq; rationibus vtrisque vti necessarium fuit; & hoc modo Porphyrius dubium soluit: sed quoniam hęc omnia quę dicta sunt difficultatem non modicam ferunt, quæ vt dilucidetur, longiori sermone eget, ideo de huius textus explanatione hæc sufficiant.

Disputatio prima de Specie.

An genus & species sint relatiua & si vnum relatiuorum per suũ correlatiuum definiatur.

Dilucidatio I.

DICTVM est in superiori lectione ab omni arte alienũ esse, vel circulari definitione,'aut demonstratione vti, præterquã 'in rebus respectiuis,quarum esse, ab esse & cognosci alterius dependet: & quoniam genus & species sunt relatiua, ideo Porphyrius in vtriusque rationibus vtrisque vsus

A est: sed vt hęc quę dicta sunt clariora appareãt, necessarium duxi duo in hoc loco examinare; quorum primum est, an genus & species sint relatiua;secundum an vnum relatiuorum in alterius definitione ponatur:& quantum ad primum arguitur quod genus & species non sint relatiua.

1 Relatiua sunt simul natura, sicut Aristot. in capite de ad aliquid docet, sed genus & species non sunt simul natura,ergo genus & species non sunt relatiua:minor probatur, Illa sunt simul
B natura, quæ cõuertuntur secundũ eius quod est esse consequentiæ;neq; vnum est alterius causa vt sit,sicut scribit Aristot.in post prædicamentis, c. simul,ex quibus verbis notum fit,quod duæ cõditiones requiruntur ad hoc quod aliqua sint simul natura, prima est quod mutuò conuertantur in consequentia, secunda quod vnũ non sit alterius causa:,sed hæ cõditiones inter genus & speciẽ non reperiuntur,ergo genus & spe-
C cies non sunt simul natura: minor quo ad ambas partes probatur; & primo q mutuo nõ conuertantur in cõsequen. est Authoritas Arist.in eod.cap. simul, vbi ait, genera verò speciebus semper priora sunt,neq; .n.conuertuntur secũdũ eius quod est esse consequentiã; vt cũ quidem aquatile sit Animal est, cũ verò sit Animal, non necesse est, vt aquatile sit; ex qua patet quod à specie ad genus est bona cõsequẽtia, sed à genere ad speciẽ cõsequẽtia nõ tenet:quo
D verò ad alteram partem, genus est principium suarum specierum, sicut Porphyrius in superiori cap.dicit, ergo est illius causa, nam principium & causa idẽ sũt,vt in lib. 5. met.c. 1.scribitur.

2 Confirmatur, Relatiua in genere relationis reponuntur, sed genus & species in nullo genere reponuntur, ergo non sunt relatiua: maior nulla probatione indiget;minor probatur,quæ circuũt omne genus, in nullo genere sũt, sicut Arist.in lib.4.topic. dicit, sed genus & species circuunt omne genus, ergo in nullo genere sunt,ergo neq; in

genere

genere relationis: ergo non sunt relatiua; minor probatur quia in omni predicamento sunt genera & species.

3 Secunda dubitatio est, an sit verū quod vnum Relatiuorum per suū correlatiuum definiatur: Porphyrius inquit hoc necessarium esse, vt in litera videtur: Contra hoc dictum sic arguitur, aut vnum correlatiuorum est altero notius, aut non; si sic, ergo idem erit notius & ignotius respectu eiusdem, quoniam mutua est eorum definitio; si non, ergo talis definitio non facit innotescere definitum; omnis namque definitio ex notioribus procedit.

4 Preterea omnis definitio indicat essentiam definiti, quemadmodū Arist. in lib. 6. topicorum, & in 7. metaphys. scribit, sed nullum relatiuum indicat essentiam sui correlatiui, ergo vnum non est de alterius definitione: minor probatur, Relatiui esse est ad aliud se habere, vt in cap. illo dicitur, sed ad aliud diuersitatem sonat, ergo non indicat: Confirmatur per illud quod Arist. in lib. 2. phys. & in quinto metaphys. scribit, scilicet, quod quælibet pars definitionis est forma sui definiti, sed nullum relatiuū est forma sui correlatiui; quare, &c.

5 Præterea, illa quæ ad inuicem opponuntur, non se mutuò definiunt; sed omnia relatiua sunt opposita, ergo non se mutuò definiūt: minor patet in post predicamentis in capit. de oppositis: quare, &c.

Pro solutione horum argumentorū, in quibus duo principalia pertractantur, primum an Genus & species sint relatiua, secundum an vnum relatiuorum in alterius definitione includatur.

Sit primum fundamentum ex vniuersali sententia omnium expositorū; quod Genus & species bifariam considerantur, vno modo formaliter, alio modo materialiter: vel sub alijs verbis pro his quæ significant, & pro his quæ denominant: vel sub alijs verbis, pro secundis intentionibus, & pro rebus subiectis ipsis intentionibus: si secundo

A modo considerentur, hoc est materialiter, sic genus & species non sunt relatiua, nam Animal & homo sunt substātia, color & albedo sunt accidētia: imo ratio Animalis est prior ratione hominis, quia potest esse Animal, homine non existente, & non è conuerso, ita etiam coloris ratio, est prior albedinis ratione: si vero considerentur formaliter, sic sunt relatiua; non enim dicitur genus nisi per comparationem ad speciem, & hoc modo sunt simul natura:

B ex qua distinctione habetur solutio ad primum argumentum: ad Authoritatem Aristotelis in cap. de simul, quando inquit genus est prius suis speciebus, loquitur de genere & de specie fundamentaliter consideratis: vel sub alijs verbis, dicatur, quod genus & species dupliciter considerantur, vno modo secundum formalem rationem, seu secundum simplicem suppositionem, ad hunc intellectum, genus vt genus, & species vt species, sic sunt relatiua, &

C simul natura, nec vnum est altero prius vel causa: alio modo secundum suppositionem personalem, quod est considerare illud quod est, aut denominatur genus, vel species, vt Animal & homo, sic non sunt relatiua, ex eo quod vnum eorum est altero prius.

Sit secundum fundamentum, cum dicitur genus & speciem non esse relatiua, eo quod in nullo determinato genere reperiuntur, igitur neque in genere relationis, quia omne genus circuūt:

D huius argumēti multiplex solutio est, nam quidam arbitrantur entia rationis, eo quod relationem vel generis, vel speciei, aut alium respectum rationis significant, ob id in predicamento relationis collocari; modo vero cum genus & species sint entia rationis, ac relatiua, sicut Porphyrius in litera asserit, ideo in prædicamento relationis reponuntur. Alij è contra asserunt in predicamento relationis, non esse nisi relationes reales, quę sunt illæ, quarum esse est ad aliud comparari, quod affirmari nequit de genere respectu speciei; eo

eo quod esse genus est non solum ad speciem comparari, verum etiam est aliquid illius, puta forma & predicatũ eius, sicut pars substantię; ac propterea sunt potius relatiua secundum dici, quam secundum esse, ideo in genere relationis non sunt: sunt quoque qui asserunt fingendum esse vndecimum prædicamentum, quod sit omnium entium rationis ordinatio, in quo genus & species collocentur: nec desunt vlterius qui dicant, genus & speciem non esse relatiua determinati generis, nec plurium, sed trascendentia, & propter hoc circuire omne genus dicuntur.

Burleus distinguẽdo, inquit, aliquid esse in predicamẽto, duobus modis intelligitur, vno modo denominatiue, & alio quidditatiue; penes primum, ait, quod genus & species in omni prædicamento reperiuntur, quia in quolibet reperiuntur genera & species, & ita sũt relatiua trascendentia, sed penes secũdum reducuntur ad genus relationis, eo quod ipsorum quidditas est esse ad aliud, ideo Porphyrius dixit necessarium esse in vtriusque rationibus vtrisque vti.

1 Sed contra hanc solutionem Paulus Venetus hoc modo arguit, si genus & species sunt denominatiuè in quolibet prædicamento, quia in quolibet inuenitur aliquid quod denominatur genus, & aliquid quod denominatur species, ergo omnia prędicamẽta erũt denominatiuè in prædicamento substantiæ: consequentiam sic probat in eodem genere est abstractum, in quo reperitur concretum, sed cõcreta prædicamentorum sunt denominatiuè in genere substantiæ, quia aliqua substantia est bipedalis, aliqua alba, aliqua pater, aliqua filius, igitur.

2 Pręterea si genus & species sunt quidditatiuè in predicamento relationis, ergo omne genus & omnis species sunt relatiua, quod est falsum; consequentia probatur generalissimum cuiuscunque prædicamenti, prædicatur vniuersaliter de omni eo, quod in ipso A quidditatiuè reperitur, v.g. homo quia est quidditatiuè in prędicamento substantiæ, ideo omnis homo est substantia, & linea quia est quideitatiuè in prædicamento quantitatis, ideo omnis linea est quantitas, & sic de alijs: falsitatem deinde probat, quoniam si omne genus & omnis species sunt ad inuicẽ relatiua, ergo Animal & color quę sunt genus, homo & albedo quę sunt species, erunt ad inuicem relatiua.

3 Pręterea alij sic arguunt, illa sũt B quidditatiuè in prædicamento relationis, quæ non habent aliud esse, nisi ad inuicem comparari, sed esse generis est non solùm ad speciẽ comparari, sed etiam est aliquid illius, puta forma & prædicatum, ergo non sunt quidditatiuè in prædicamento relationis.

Ad has rationes, qui Burlei positionem defendunt, hoc modo respondere nituntur: ad primum negant consequẽtiam, & ad illius probationem inquiũt quod illa propositio, (in eodem gene-C re sunt abstractum & concretum) semper est vera, dummodo concretum sui abstracti verè & propriè sumatur; nam humanitas & homo sunt in genere substantiæ, albedo & album in genere qualitatis, vnde Arist. in cap. de substãtia ait, album puram qualitatem significat, filiatio & filius sunt in prædicamento relationis, bipedalitas & bipedale in genere quantitatis; & quemadmodum humanitas, albedo, filiatio, bipedalitas sunt abstracta, ita homo, al-D bum, filius, & bipedale, sũt verè & propriè illorum concreta: sed quãdo Paulus inquit quod aliqua substantia est bipedalis, aliqua alba, aliqua filius, tũc respondent quod substantia, non est propriè concretum albedinis, vel bipedalitatis, aut filiationis, sed est res ab illis formis denominata, ex quo accidit, alia genera esse in genere substantiæ, ex eo quod res denominata in eo genere reperitur; Alij vero aiunt nullum inconueniens oriri, si dicatur reliqua prędicamenta reperiri denominatiuè in generę substantię, quatenus

vnumquodque ipsorum, substantiam quæ est omnium prædicatorum fundamentum & subiectum principale, suo modo denominat.

Ad secundum respondent negando consequentiam, ad cuius probationem inquiunt, quod omne genus & omnem speciem esse relatiua dupliciter intelligi potest, primo secũdum simplicem suppositionem ad hunc sensum genus & species sunt simpliciter relatiua & sic propositio est vera: secundo secundum suppositionem personalem indifferenter habitam, ad hunc sensum vt quodcunque genus ad quamcunq; speciem referatur; v. g. Animal quod est genus referatur ad albedinem quę est species, & è contra; ita color qui est genus referatur ad hominem qui est species & è conuerso; & hoc modo omne genus & omnis species non sunt relatiua, quia determinata species sub terminato genere constituitur, vt homo sub animali & non sub colore, albedo sub colore, & non sub animali, & ita de alijs intelligendum est.

Quod si dicatur, argumẽtum in suo robore adhuc persistere, quia verum est dicere, homo est in genere substantiæ, ergo omnis homo, ergo & hic homo est substãtia; linea est in prædicamento quantitatis, ergo omnis linea est quantitas, ergo hæc linea est quantitas: pari ratione debet verificari de omnibus relatiuis, ita vt omnia quę sunt quidditatiuè in genere relationis sint ad inuicem relatiua.

Respondent quod cum genus relationis inter alia genera, sit singulare genus, vnde esse ipsorum, quæ sub eo continentur, non est esse absolutum, vt est esse hominis, & lineæ & reliquorũ absolutorum, sed respectiuum, ideo ad hoc quod sint quidditatiuè in genere relationis satis est quod genus simpliciter consideratum referatur ad speciẽ simpliciter consideratam, & determinatum genus ad speciem determinatam, & hoc genus ad hanc speciem referatur, & è conuerso.

A Ad tertium quod est argumentum Soti in ante prędicamentis capite 4. ad calcem questionis 2. respondetur à nõnullis quod genus & species duobus modis considerantur, primo formaliter scilicet, vt sunt genus & species, & ita sunt semper relatiua ac simul natura, nec aliud esse habent, nisi ad inuicem comparari, quia genus est speciei genus, & species est generis species: secundo considerantur prout genus est pars definitionis speciei, definitio namq; ex

B proximo genere, & ex vltima differentia conficitur, vt ait Aristot. in libro 7. metaphys. text. 42. vel prout est quoddam totum speciei, significans & dicẽs confusè tamen & indeterminatè totũ esse ipsius speciei, & pen ès hanc considerationem dici potest, quod genus sit aliquid scilicet forma & prædicatum speciei.

Tandem ad solutionem principalis dubitationis, cuius solutio est, quod ponatur vndecimum prædicamẽtũ, quod

C sit omnium entium rationis ordinatio, cõueniunt multi etiam Thomistarum, vnde & Sotus preallegato loco idem sentit: imo & Scoti Asseclarum quidã, cum dicant, quod relatio cum sit communis relationi reali & rationis, nõ est genus generalissimum, quod inter decem genera collocatur, eo quod relatio æquiuocè dicitur de relatione realis & rationis, ideo si concedatur, aut

D dari vndecimum prędicamẽtum quod sit omnium entium rationis ordinatio, vel huiusmodi esse relatiua trãscendẽtia, quę omne genus circumeant, nullũ absurdum ex his positionibus oriri existimabitur: verùm hoc quæsitum in capite ad aliquid præstante Deo dilucidabimus, interim hę solutiones substineantur, & reliquæ dubitationes propositæ, ad sequentem dilucidationem differantur.

Dilucidatio 2.

Resoluitur secunda Dubitatio, vide-

an vnum relatiuorum per suum correlatiuum definiatur.

DVo dubia in superiori dilucidatione proposita fuere discutienda: primo iam elucidato, qualiter genus & species sint relatiua; superest modo vt reliquũ à nobis explanetur, quod erat an vnum relatiuorum per suum correlatiuum definiatur: Porphyrius etenim dixisse videtur, illud esse necessarium, vnde loquendo de genere & de specie sic dixit, nosse autem oportet quoniam & genus alicuius speciei est genus, & species alicuius generis est species: Iccirco necesse est in vtrorumque rationibus vtrisque vti: sed quia huiusmodi quæsitum in prędicamento relationis plenius elucidare intendimus, ideo in hoc loco sufficiat conclusionem vnam explanare contra Auicennam, quia in sua logica Porphyrio aduersatur, & argumentis duobus in principio præcedentis dilucidationis positis, in ipsum vehitur: qua propter pro initio veritatis suo loco deinceps dilucidandę ponatur hæc conclusio: Vnum correlatiuorum est de definitione alterius, ad hunc sensum tamen, non quod vnum relatiuorum sit pars essentię, vel tota essentia alterius, sed quia est ipsius terminus & complementum, sine quo alterum nec esse, nec intelligi vllo modo potest.

Sed priusquam ad conclusionis confirmationem accedamus, notandum ex magno Alberto, quod aliud est dicere vnum relatiuorum per alterum definitur; vel in ordine ad aliud definitur: primum non admittit, eo quod ly per, causalitatem quandã designat, quã neutrũ relatiuorũ formaliter sumptũ habet respectu alterius: sed ly ad, non causalitatẽ denotat, sed habitudinẽ & respectũ sonat ad aliud tanquam ad terminum: & hoc modo vnum relatiuorum in alterius definitione ponitur, ita vt vnum ad reliquum definiatur: quo posito probatur prędicta conclusio.

1 Primo Authoritate Aristotelis, in

A lib. 6. topic. in explicatione loci 26. vbi inquit, oportet autẽ non latere, quędã fortasse aliter definiri non posse, vt duplum sine dimidio, & quęcunque per se ad aliquid dicuntur: nam omnibus huiusmodi est idem esse ei, quod est ad aliquid quodammodo se habere: quare non est possibile sine alterum cognoscere, eo quod est necessariũ est alterius oratione coassumi & alterũ quare, &c.

2 Confirmatur per eundem Aristotelem, qui in capit. ad aliquid ait, quod

B si quis vnum correlatiuorum definitè scit, simul scit & alterum, ergo, &c.

3 Præterea ipsemet Phylosophus in lib. 2. metaph. text. 4. scribit, quod sicut res se habent ad esse, ita se habent vt cognoscantur; sed esse relatiuorum, est ad aliud quodam modo se habere, sicut in c. ad aliquid dicitur, nã quemadmodũ esse patrẽ, est habere habitudinẽ ad filiũ, ita esse filiũ est habere habitudinẽ ad patrẽ, igitur vnũ relatiuorũ absq; alterius cognitione cognosci, ne-

C quit, & per consequens nec definiri potest: quę regula non solũ in respectiuis definitionibus, verum etiam in eisdem descriptionibus seruanda est, quamuis quidam neotericorum, aduersam partẽ tueantur, his nunc determinatis, aduersantia argumenta soluantur.

Ad primum multiplex responsio reperitur: Paulus Venetus in cap. ad aliquid, cui Caietanus in hoc loco subscribit, distinguit, quod relatiua duobus modis considerantur, primo modo

D prout sunt simul natura, naturaliq; intelligentia, & sic non habent quod vnũ eorum per reliquũ cognoscatur: secundo modo prout eorũ vtrunq; habet habitudinem termini à quo & ad quem, & ita ipsorum quodlibet potest esse notius & ignotius: etenim pro vt habet rationem termini ad quem, sic est notius co, quod ad ipsum terminatur, & hoc modo definit, & illud quod terminatur est ignotum, & diffinitur: & sic vtrunque relatiuorum, quatenus terminus est altero notius, & quatenus terminatur, est altero ignotius.

Caietanus secundo, quem Sotus in cap. ad aliquid quest. prima ad octauum, sequitur, negat etiam quod in relatiuorum definitione idem sit notius & ignotius: quoniam vnum relatiuorum non ponitur in alterius definitione tanquam prius & notius, sed tanquã æque notum, & simul cognoscibile, cũ hæc sint relatiuorum natura, vt sint simul cognitione.

Scotus in prædicamentis in q. 28. ad primum inquit quod illa propositio, illud quod in alterius definitione ponitur debet esse prius & notius; vera est de definitione, quæ datur per essentialia, cuiusmodi est definitio substantiæ: vel ad minus de definitione rei absolutę, non respectiuæ: quoniam cum entia respectiua mutuò dependeant, ideo mutuo se definiunt, & si neutrum eorum sit altero prius & notius.

Dicatur tandem cum Aristotele in libro sexto topicorum in explanatione loci vigesimi quod non in omnibus definitionibus necessariũ est prius & notius assignare, sed satis est, quod ex simul connotis procedat; quoniam connotitia correlatiui, ad alterius cognitionem cooperatur: nec sit mirum inquit Caietanus, si singulare genus entium, quale est relatiuorum, singularem modum definitionis & notitiæ sibi vendicet: & hæc ad primum argumentum.

Ad secundum respondet Scotus, q̃ maior propositio est vera de definitione, quę datur sine additamento, cuiusmodi non est, alicuius accidentis definitio, & præcipuè relatiuorum, quę & subiectum & correlatiuum respiciunt: aut ad minorem dicatur cum Paulo, quod aliquid esse de alicuius essentia, dupliciter intelligi potest, aut tãquam pars essentialis illius, eo modo quo genus & differentia dicuntur esse de essẽtia speciei, & sic vnum relatiuorum de alterius essentia non est: vel tanquam id quod est de intrinseca ratione alicuius, eo modo quo dicitur punctus esse de essentia lineę, eo quia illius substan-

A tiam terminat, & hoc modo dicitur quod vnum relatiuorum est de essentia sui correlatiui, quia illius naturam terminat: non obstante quod ab illo sit aliud.

Ad confirmationem cum dicitur, quod quælibet pars definitionis, est forma sui definiti: respondetur satis esse quod sit aut forma perficiens, aut saltem naturam declarans, eo quod omne principium cognoscendi habet rationem actus & formæ, sicut in libro q. B metaphys. dicitur; & hoc modo punctus dicitur forma lineæ, & nasus simitatis, & relatiuum sui correlatiui quia sunt principium cognoscendi.

Ad tertium respondetur, quod illa maior fallit in relatiuè & priuatiuè oppositis, in quibus necessarium est, vnum per alterum definire, sicut Aristoteles in libro sexto topicorum in explicatione vigesimi loci docet: reliqua verò dubia, quæ contra eandem conclusionem fieri solent, in cap. ad aliquid po- C nentur: nunc autem ad huius textus dilucidationem hæc dicta sufficiant.

Dilucidatio 3.

Text. Asignant ergo & sic speciem: species est, quę sub genere ponitur: & de qua Genus in eo quod q̃d est prędicatur.

D NEmo illorum, qui veram phylosophiam profitentur, sit, qui dubitet, quin ex collatione opinionum ad inuicem, magis magisque ipsa veritas clara reddatur: qua propter vt huius literę certiorem veritatem reddamus; quid Porphyrij interpetres, circa illam sentiant, paucis verbis referemus, etenim multi multa dicunt: Auicennas in sua logica, Scotus in q. 21. Sotus, quibus nonnulli ex recentioribus quàm libenter subscribunt, arbitrantur hanc speciei assignationem, à priori nequaquã distingui, sed eandem esse, ita vt sit sen-

sus,

sus, species est quæ ponitur sub genere, quæ definitio respicit speciem, quatenus sub genere quoddam subijcibile est; & cum subinfertur, & de qua genus in eo quod quid est prædicatur: inquiũt hanc clausulam esse prioris definitionis expositionem, ad hunc sensum, species est quæ ponitur sub genere, hoc est, de qua genus in quid prędicatur. Veruntamen Ammonius, Boetius, Paulus, Caietanus, Toletus, & Burleus, & ferè omnes qui hisce nostris temporibus hanc literam interpretantur, asserunt hanc esse secundam in ordine speciei definitionem, à priori omnino distinctam: dicunt enim quod species nõ vno modo, sed duobus modis ad genus comparatur; primo modo veluti quoddam inferius sub suo superiori in recta linea prædicamentali positum, penès quam comparationem prior definitio assignatur, in qua dicitur, species est, quæ sub genere ponitur; & nunc à Porphyrio resumitur, vna duntaxat particula dimissa, scilicet ly assignato, & hoc breuitatis studio: secundo modo vt quoddam subijcibile suum quidditatiuum prędicatũ in propositione, & iuxta hanc comparationem, hæc secũda definitio assignatur, qua dicitur, & de qua genus in eo quod quid est, predicatur: sed quod duæ distinctę definitiones sint, nec difficile est, ex ipsius Porphyrij textu, & authoritate veritatem patefacere, dum infra altera speciei definitione assignata, ostendit eam soli speciei specialissimę conuenire: aliæ vero, inquit, sunt etiam non specialissimarũ: qua propter dicendo, alię vero sunt, in numero plurali, insinuasse videtur, non vnam, sed plures esse, ac distinctas speciei assignatas definitiones.

Nec Scoti obiectiones quidquam valent, videlicet liber prædicamentorum ordinatur immediatius ad librum peryhermenias, quam liber prædicabiliũ; sed in libro prędicamentorum non determinatur de incomplexis, quatenus vnum de altero enunciatur, quia tunc superfluum est determinare in libro

A peryhermenias de nomine & verbo, quæ sub illis rationibus incomplexa designant, ergo multo minus in hoc libro definitur species, quatenus de illa genus enunciatur: & hoc modo concludit quod Porphyrius vnam tantùm speciei definitionem assignat, quæ est illa prior videlicet, species est quę sub genere ponitur, hoc est, de qua genus in eo quod quid est predicatur: ac ob id subinfert, quod aliæ sunt potius quędam speciei notificationes, quam definitiones.

B Respondetur tamen quod Porphyrius in suo tractatu agit de quinq; vniuersalibus secundum naturam, qua eis inest de alio enunciari, alioquin nec generis, nec aliorum prędicabilium esset aliqua determinatio: sed de natura generis & omnium prędicabilium est, vt de alio enuncientur, vnde non est superfluum in libro peryhermenias agere de nomine & verbo de quibus ibi tractatur quatenus sunt partes propo-

C sitiones enunciatiuæ: quomodo vero predicari se habeat ad.s. Vniuersalia, iam dictum est.

Igitur ad literam accedentes, dicimus Porphyrium in hoc textu assignare secundam speciei definitionem: sed vti diximus, species dupliciter respicit genus, primo vt quoddam inferius in recta linea prędicamentali suum superius; ideo iuxta hanc considerationem datur prima speciei definitio, qua dicitur, species est, quæ sub genere ponitur,

D quam rursus sumit; & hęc comparatio vocatur ab Ammonio relatio ascẽsus, secundum quam inferiora respiciunt superiora: secundo modo vt quoddam subijcibile suum quidditatiuum prædicatum; & penès hãc comparationem subinfert secundam speciei definitionem, cum dicit, & de qua genus hoc est de qua specie genus in eo quod quid est, prędicatur: quæ comparatio nuncupatur ab Ammonio relatio descensus, secũdum quam superius respicit suum inferius: at quomodo verum sit, genus prędicari in quid de qualibet sua spe-

cie, dicatur quod si vera est generis definitio, qua dicebatur, genus esse, quod de pluribus & specie differentibus in quid prędicatur, ergo verum est, quod de qualibet sua specie in quid prædicatur: etenim benè sequitur Animal prædicatur de homine, & de Leone, & de Asino in quid, ergo & de homine in quid prædicatur: quod si obijciatur magis commune sub minus communi non contineri, sed species est magis communis, cum multo plures sint species, quam genera, sicut in hoc eodem capite Porphyrius testatur; ergo species sub genere non continetur. Respondetur quod & si species pro prima intentione sumpta sit quid magis commune, pro secunda vero est quid minus commune, & hoc modo sub genere ponitur. sequitur textus.

Tex. Amplius autem sic quoque species est, quæ de pluribus & differentibus numero, in eo quod quid est, prædicatur: sed hæc quidem assignatio speciei specialissimę est, & quæ solum species est, non autem & genus, aliæ verò erunt etiam non specialissimarum.

Tertiam speciei definitionem in præsenti textu Porphyrius affert, nec mirum si vnius eiusdemque rei tot definitiones assignentur; nam vt Caietanus inquit, species quoniam multipliciter consideratur, ob id multipliciter definitur: trifariam contingit speciem considerari posse; primo quatenus in recta linea prædicamẽtali generi subest, & sic dicitur species est; quæ sub genere ponitur: secundo quatenus eidem generi in propositione supponitur, & sic dicitur, & de qua genus in eo quod quid est, prædicatur, tertio quatenus est vnum de quinque prędicabilibus ab aliis distinctum, & penes hanc considerationem, assignatur hæc tertia speciei

A definitio: ad cuius definitionis pleniorem intelligentiam, hoc vnum in primis sciendum est; discrimen nonnullũ inter genus & speciem reperiri: Genus namque quatenus genus vnam tantum habitudinem possidet, ad inferiora videlicet de quibus in quid prædicatur, quemadmodum ex illius definitione liquet: at species quatenus species, duas habitudines patitur, quarum prima, species comparatur ad genus tanquam inferius ad suum superius vel in

B recta linea prędicamentali, aut in propositione, sicut iam dictum est, secunda vero indiuidua respicit, de quibus in quid prædicatur, & penès hanc secundam habitudinem nunc Porphyrius definit speciem hoc modo: Species est, quæ de pluribus & differentibus nume ro, in eo quod quid est prædicatur: homo enim cum sit species, prædicatur de Sorte & de Platone, & de alijs particularibus hominibus, qui solo numero differunt, atque de illis in quid prędi-

C catur, quoniam si quis petat quid Sortes vel Plato sit, conuenienter respondetur homo: huius definitionis particulę omnes sunt notatu dignę: & primo cum dicitur species est quę, &c. ly quæ insinuat quandam naturam pluribus ex se communicabilem: nam speciei quatenus species est, minimè repugnat pluribus communicari actu vel potentia, sicut Sanctus Thomas in libro quar

D to contra gentes cap. 35. dicit: & hoc ad differentiam naturę indiuiduę & singularis, quæ non species, sed suppositũ appellatur: pręterea cum subiungitur prędicatur; & si ly prędicatur actum designet, tamen in definitione solam aptitudinem importat, vt sit sensus, species est quæ predicatur, id est, quæ ex sui natura apta nata est de pluribus prædicari, stat enim quod sub aliqua natura specifica sit vnum solum indiuiduum, sicut de intelligentijs & de corporibus cęlestibus communiter fertur, & tamen species quatenus species, de pluribus prædicabilis est: vlterius ly de pluribus ponitur ad differentiam indi-

uidui,

diuidui, cuius est de vno solo prædicari: ly differentibus numero ad distinctioné generis, quod de pluribus & specie differentibus dicitur: ly in quid ad differentiam differentię, proprij, & accidentis, quæ predicantur in quale, vt suis locis manifestabitur.

At quoniã Porphyr. in hac definitione, mentioné fecit de differentibus numero, ideo discutiendũ est, quę sunt illa quæ numero differũt: ad quorũ intelligentiã hoc vnũ prius sciédũ est, magni interesse dicere differre numero, & dicere numeros differétes: etenim ea oĩa q̃ numerãtur, numero ab inuicem distinguuntur; at soli numeri appellantur numeri differétes: quorũ numerorũ distinctio interdum est generica vt par & impar, interdũ specifica vt dualitas & trinitas, interdum numerica vt duæ dualitates: igitur omnis species prædicatur de pluribus differentibus numero, sed non omnis dicitur de differentibus numeris: ad rem tamen nostrã sciendum ex Arist. in lib. 5. meta. quod sicut idé, ita & differens multis modis dicitur: ad propositũ, idem tribus modis capitur, idem genere, & sunt illa quæ sub eodé genere proximo continentur, vt homo & Leo sub Animali; secundo modo idẽ specie, quæ sub eadem specie continentur, vt Sortes & Plato sub homine: tertio modo idé numero, & est illud quod in semetipso est quid vnum indiuisum, & ab alijs diuisum vt Sortes: ita differens tribus modis dicitur, primo modo differens genere, vt illa quæ sub diuersis generibus continentur, quemadmodum homo & arbor, nam & si in genere remoto conueniant, eo quod vtrunque eorum est substantia, distinguũtur tamen genere proximo, nam homo sub Animali, & Arbor sub planta continetur: secundo modo differens specie, sicut illa quæ sub diuersis speciebus cótinentur, vt Plato sub homine, & hic Equus sub Equo: tertio modo differens numero, & sunt eum qui numerum constituunt, vt Sortes, Plato, & cæteri homines.

A Sed ad hoc quod aliqua dicãtur differre numero, duæ cõditiones requirũtur, sicut ex doctrina Porphyrij in calce huius capitis colligitur; quarum prima est, vt conueniant in conditionibus specificis, alioquin alia distinctio quàm numerica inter illa reperiretur: secũda quod distinguantur ab inuicem materialibus conditionibus & proprietatibus, quarum collectio eadé numero in alio esse nequit, diuisio namque materialis, diuisio numeralis nũcupatur: exẽ-
B pli gratia Sortes & Plato in his omnibus conueniunt, quę toti speciei humanæ cómunia sunt, ambo. n. sunt homo risibilis disciplinæ capax: distinguuntur deinde materialibus conditionibus, eò quia Plato habet has carnes, hęc ossa. hos neruos, quorum collectio eadem numero in Socrate esse nequit: quapropter differentia specifica & numerica in hoc discrepant, quod illa est formalis, nã homo & Equus per specificã formã distinguuntur, hęc autẽ materia-
C lis, nã formæ pluriũ hominũ numero distinguuntur, eo quod in distinctis materijs recipiuntur; & propter hoc dicitur, species est, quod de pluribus, & differétibus numero in eo quod quid est prædicatur. quod si quis petat vtrum prædicari in quid, eodem modo generi & speciei conueniat? dicatur quod nõ, eo quod genus prædicatur in quid, aut quia est pars quidditatiuę definitionis speciei, aut dicit totum esse ipsius confusè tamen: species verò predicatur in
D quid, quia dicit distinctè totam quidditatem indiuiduorum, de quibus prædicatur. his dictis, Author concludit in litera quoddam discrimen inter hanc vltimam speciei definitionem, & duas priores allatas, dicens quod hæc vltima competit tantùm speciei specialissimę, quæ solùm species est; & addit hæc verba vt ostendat specialissimam speciem ratione generica priuari, ad differentiã specierũ subalternarũ: alię verò scilicet speciei definitiones sunt etiam non specialissimarum, hoc est competunt etiam illis speciebus,

quæ ſubalterne dicuntur: hinc clareſcit illud quod ſupra diximus videlicet, Authorem dicendo, alię verò erunt, &c. in numero plurali, inſinuaſſe, præter hanc vltimam, plures ſpeciei definitiones attuliſſe: Circa quam vltimam ſpeciei definitionem, quam non ſolùm Porphyrius, ſed omnes illius expoſitores aſſerunt ſoli ſpeciei ſpecialiſſimæ conuenire, extant nonnulli neoteriorum, qui abſque temeritatis nota communi ſententiæ opponi cupientes, putant omni ſpeciei, etiam mediæ hanc definitionẽ conuenire: eo quod ſpecies media prędicatur de pluribus differentibus numero: ſed horum opinio infra examinabitur. nunc ſatis ſit.

Diſputatio ſecunda de Specie.

An omnis ſpecies ſpecialisſima prædicetur de pluribus numero differentibus; & ſi hæc definitio conueniat ſpeciei ſpecialisſimæ, quatenus ad genus comparatur; vel ad indiuidua refertur.

Dilucidatio I.

CVM dubitationis ſolutio ſit veritatis manifeſtatio, neque de ſingulis dubitare inutile ſit, ſicut Peripateticorũ Princeps Ariſt. tum in lib. 3. met. tum in cap. ad aliquid textatur. ideo vt nonnulla quæ in poſtrema ſpeciei definitione dicta ſunt, ex dubitationum ſolutione clariora reddantur: vtile cẽſui, circa eandem dubia aliqua in medium afferre: igitur prima dubitatio quę nobis obuiam venit hæc eſt: An vltima definitio ſpeciei, qua dicitur, ſpecies eſt quod de pluribus & differẽtibus numero in eo quod quid eſt prædicatur, competat ipſi, vel quatenus ad genus comparatur, vel quatenus ad indiuidua re-

A fertur: quod ſi dicatur primo modo, Contra ſpecies prout ad genus comparatur, neq; vniuerſale eſt, neq; prædicabile, ſed quoddam inferius ſubijcibile, vnde in duabus prioribus definitionibus dictum eſt, ſpecies eſt quę ponitur ſub aſſignato genere, & de qua genus in quid prædicatur: ſi ſecundo modo, ergo non conuenit ſpeciei quatenus ſpecies eſt, quia ſpecies quatenus ſpecies ad genus refertur cum ſint relatiua, ac propterea neceſſarium fuit in vtrorum-

B que rationibus vtriſque vti, ſicut Author dicebat.

Quod ſi quis occurrat dicens nullum inconueniens, accidere ſi ſpecies ad genus & ad indiuidua ſimul referat.

Contra, relatiuum ſemel tantum refertur, ſed ſpecies eſt generis ſpecies, atque ad ipſum refertur, ergo non ad indiuidua.

Et ſi rurſus occurratur, vnum relatiuorum poſſe ſimul duos terminos reſpicere; etenim filius ad patrem & ad

C matrem ſimul refertur.

Reſpondetur, tunc nullum abſurdũ oriri, quando vnum relatiuum ex eadẽ cauſa & via reſpicit duos terminos, modo filius propter vnam & eandem filiationem & generationem ad patrẽ & ad matrẽ refertur: ſpecies verò nõ vna, ſed diuerſis vijs genus & indiuidua reſpicit.

2 Secunda dubitatio principalis eſt hęc: multa in rerũ natura reperiuntur, quæ nullo modo ſunt ſpecies, exempli gratia Anima humana non eſt ſpecies,

D ſed ſpecies pars, & tamen prędicatur in quid de hac & de illa anima, quæ ſolo numero diſtinguuntur.

3 Præterea multę ſpecies ſunt, quæ neq; actu, neq; aptitudine, neq; ſimul neq; ſucceſſiue plura indiuidua ſub ſe habent, quales ſunt cæleſtes intelligentiæ & orbes, ergo non omni ſpeciei ſpecialiſſimę conuenit prędicari de pluribus differentibus numero.

4 Tandẽ omnis bona definitio alteri à definito cõpetere non debet: ſed definitio ſpeciei cõpetit alteri à definito, ergo non eſt bona: maior eſt Ariſtot. in lib.

libris topit. minor probatur nam genus puta Animal prędicatur de hoc & de illo Animali, quę numero differũt: imo valet argumentum, genus prædicatur de pluribus differentibus specie, ergo & numero, quia quæ differunt specie, differunt etiam numero, sicut Arist. in lib. 5. metaphys. c de vno textatur.

Hęc argumenta diluere, præter primum, haud multum difficile est: in primi namque solutione, nec antiquiores, nec recẽtiores expositores inter se cõcordes extant: tota enim dubitatio in hoc consistit, an species quatenus ad genus refertur sit Vniuersale, nec ne? quam dubitationem Auicennas in sua logica irresolutam dimisit: inter antiquos tamen Alpharabius, & Magnus Albert. in tract. 4. cap. 2. quos subinde Paulus, Caiet. & Sotu- sequuntur: asserunt speciem, quatenus ad genus refertur, nequaquam esse Vniuersale: quam positionem hac ratione fulcire conantur; species quatenus ad genus refertur est subiectũ, de quo genus in quid prędicatur; sed Vniuersale quatenus Vniuersale est prædicatum, cum vniuersale sit vnum in multis & de multis, ergo species quatenus ad genus refertur nõ est vniuersale: hinc Caietanus subinfert quod cum species quatenus indiuidua respicit habeat quod sit Vniuersale & Prędicabile, ideo huiusmodi definitio est quędam speciei descriptio, à quadã illius proprietate assignata, & quæ sequitur ad esse speciem; cum enim species vt sic, sit sub genere ita vt tota illius suppositio ex genere oriatur, necessario ex hoc emanat, quod species respiciat sub se aliqua, quorum suppositio aliunde oriatur, hoc autem est respicere indiuidua, vt prędicabile de illis in quid.

Duo ab his expositoribus asserũtur, primum quod species prout ad genus refertur non est vniuersale: alterũ quod esse Vniuersale ex quadam proprietate ei inest, quam ob rem Porphyrius definiens speciem in ordine ad genus, definit illam secundum suam naturã,

A at in ordine ad indiuidua, ex illius proprietate definit.

Sed contra primum dictum arguit Toletus q. vnica huius capitis, cuius positio semper placuit, & probat quod species in ordine ad genus sit Vniuersale: omne illud quod ad genus immediatè refertur, & de quo genus immediatè prædicatur, necessariò habet quod sit Vniuersale; sed species vt species immediatè refertur ad genus, & de ea genus immediatè prædicatur, ergo

B species vt species & in ordine ad genus est Vniuersale: minor habetur in litera Porphyrij: maior sic probatur, Genus vt genus non prædicatur immediatè de singularibus, ergo prædicatur immediatè de vniuersalibus sed immediatè prędicatur de specie, ergo species in ordine ad ipsum est Vniuersale: consequentiæ sunt notæ, antecedens probatur, si genus prædicatur immediatè de singularibus, ergo diuisio generis in ea, de quibus immediatè prędicatur,

C non erit per differentias formales, sed materiales, quia diuisio Vniuersalis in sua singularia est materialis, sicut de specie supra dictum est.

Præterea Aristotel. in libro 7. metaphys. cap. 13. definiẽs Vniuersale, inquit, Vniuersale est, quod aptum est vt pluribus insit, quæ definitio est per se, & essentialis, sed species vt species ex sua intrinseca ratione est apta nata esse in multis, alioquin non esset species, neque ab indiuiduo distingueretur, ergo

D species vt species, ex sua natura habet quod sit Vniuersale.

Igitur dicendum est, quod species siue in ordine ad genus, siue ad indiuidua habet quod sit vniuersale; sed distinguatur quod Vniuersale est duplex, vnum subijcibile, alterum prædicabile; modo species in ordine ad genus habet quod sit vniuersale subijcibile, alioquin genus non prędicaretur immediatè de ea: in ordine verò ad indiuidua habet quod sit Vniuersale prædicabile, & species specialissima, quia de illis immediatè prędicatur: & ita

decipiuntur asserentes speciem quatenus ad genus refertur non esse Vniuersale: Conceditur tamen quod de pluribus prædicari sit proprietas, speciei naturam consequens, vnde Aristot. in libro primo Peryhermenias: definiens vniuersale per illius proprietatem, dixit, Vniuersale est illud, quod de pluribus prædicari aptum est.

Ad rationem Alberti & aliorum, quando dicunt, Vniuersale quatenus vniuersale habet quod sit prędicatum & non subiectum: respondetur quod hęc propositio est vera de illo vniuersali quod vnam tantùm habitudinē habet: modo species habet duas habitudines, vnam in ordine ad genus, cuius est vniuersale subijcibile, alteram in ordine ad indiuidua, quorum est vniuersale prædicabile.

Ad secundam rationem respondetur quod & si species quatenus species sub ratione subijcibilis referatur ad genus: ad indiuidua tamen sub ratione prædicabilis refertur.

Ad secundam dubitationem principalem respondent Iauellus, Caiet. & Toletus, quod ad esse speciei duo sunt necessaria, vnum quod sit natura completa in recta linea. prędicamētali existens sub aliquo genere, alterum quod prædicetur in quid de pluribus: modo Anima caret priori cōditione, est enim pars speciei & non species: prędicatur tamen de pluribus Animabus solo numero differentibus ad modum speciei, impropria quadam prædicatione, non tamen prædicamentali, de qua Porphyrius intendit.

Ad tertiam principalem, sunt qui dicunt, quod cum specierum sint multo plures illæ, quæ plura indiuidua habēt, quam quę vnum solum, ob id Author eam speciem definiuit, quæ vt plurimū inuenitur. sed melius alij dicunt, quod ly prædicatur, in hac definitione, non actum, sed aptitudinem designat, quare & si multæ species non habeant actu nisi vnicum indiuiduum, aptitudine tamen de pluribus dicuntur.

A Ad cuius solutionis pleniorē ac clariorem intelligentiā, notandū quod de ratione speciei, quatenus species, est, quod de pluribus indiuiduis, actu vel aptitudine, siue potentia prædicetur: quod est dicere, nulla species reperitur, cui ex propria ratione repugnet de pluribus prędicari: quod si in vnico indiuiduo ipsā reperiri cōtingat, hoc nō ex sua propria ratione, sed aliunde est.

Sciendum vlterius, quod species sūt in duplici differētia, quædam materiales, quę ex materia & forma constituūtur, vt Sol, Luna, homo, Equus, &c. B quædam immateriales, vt intelligētię: modo omnis species siue materialis, siue immaterialis, ex sua natura est de pluribus prędicabilis, vel aptu, vel aptitudine.

Præterea distinguendū est, quod potentia, vel aptitudo est duplex, vna physica, quæ dicit aliquid positiuum in natura, & simul vel successiuè ad actū reduci potest: altera est logica, quæ est idē C quod non repugnantia, vel indifferentia alicuius naturę in esse cognito ad vnū, vel plura: modo si sit sermo de speciebus immaterialibus; dicitur q. ipsa natura specifica. v.g. natura huius substantię separatæ. s. Gabrielis, nō prohibetur esse in multis ex eo quod est natura in tali ordine rerū: at quod ipsa nō sit in multis, hoc euenit ex eo, quod illa natura immaterialis est per se existēs & propter hoc nō est apta recipi in aliquo, nec multiplicari ad diuisionē alicu D ius materię, in qua recipiatur, sicut S. Tho. p. p. q. 50. art 4. & in quæst. de spiritualibus creaturis, art. 8. ad 4. dicit de qua materia nos in lib. 2. sent. scripsimus Si verò de speciebus materialibus sit sermo, dicendū adhuc, quod species material es sunt duplices, etenim quędam sunt, quę in vnico indiuiduo actu saluantur, vt sol, luna, & orbes: solis namque vel lunæ naturæ ac speciei quatenus sunt tales naturæ, talem ordinem in Vniuerso habentes, non repugnat de pluribus prædicari; sed quod non dicantur actu de pluribus, con-

contingit ex hoc quod tota materia, que forma solis, vel lunæ actuabilis est, sub vna forma cōtinetur; quod si Deus aliam materiam solis crearet, preter eam, quam nunc forma solis existentis informat; tunc natura & species solis in multis esset, & de multis actu prædicaretur: aliæ vero sunt, quę actu de multis pręedicantur, vt homo, Equus, & huiusmodi: nam vt S. Thom. in tract. de ente & essentia c. 4. scribit; cum essentię rerum compositarum, ex eo quod recipiuntur in materia signata, diuidantur ad diuisionem materię, hinc euenit vt in eadem specie plurificentur; quapropter ipsi speciei conuenit vt possit esse in pluribus numero secundum materiam distinctis, ac per consequens de pluribus actu predicari; & sic soluitur tertia dubitatio.

Contra hoc vltimum dictum, videlicet, species materiales quædam habēt esse in pluribus sic arguitur, nullū ens completum habet esse in pluribus, sed species materialis est ens completum, quod ex eo manifestatur, quia ex genere & differentia constat, ergo non habet esse in pluribus.

Ad hoc respondetur, quod duplex est rei perfectio, vna formalis, secundū quam illius essentia constituitur: alia suppositalis, secundum quam species in vnoquoque suorum suppositorum existit: ens completum hęc secunda perfectione in pluribus esse nequit, sed ens completum primo modo potest esse in pluribus, quia illius essentia est multiplicabilis ad suppositorum multiplicationem, vt modo de quibusdam speciebus materialibus fit.

Ad quartam & vltimam dubitationem, Auicennas in sua logica cap. nono, cui Caiet. & Sotus subscribunt, respondet quod in hac speciei definitione, addenda est particula exclusiua tantūm, aut solūm; quæ cadat super verbū prædicatur; & sit sēsus, species est, quod prędicatur tantūm de pluribus & differentibus numero: quod generi non conuenit, cum de pluribus & differentibus specie prædicetur: quam solutionem habet etiam Scotus, super Vniuersalia in quest. 17. ad primum.

Ad obiectionem, qua dicitur, quod ad differre specie, sequitur differre numero: respondetur quod aliud est ad differre specie, sequi differre numero, & aliud ad prędicari de pluribus differentibus specie, sequi prędicari de pluribus differentibus numero: nam primum conceditur, ex eo, quod plures species quendam numerum constituūt; sed secundum non admittitur: quia genus quatenus genus prędicatur immediatè de pluribus differentibus specie: vt ex illius definitione constat: & hæc de præsenti lectione sufficiant.

Dilucidatio 4.

Tex. **Planū autem erit quod dicitur hoc modo: in vnoquoque prædicamento sunt quędam generalissima, & rursus alia specialissima: & inter generalissima & specialissima sunt alia, quæ genera & species dicuntur eadem. Est autem generalissimum quidem supra quod nullum aliud sit superueniens genus. Specialissimum autē est, post quod non est alia inferior species: inter Generalissimum autem & specialissimum, alia quę species & genera sunt æadem, ad aliud tamē, & ad aliud sumpta.**

HAec est secunda pars principalis huius capitis, in qua Author diffusè admodum, ordinem & arborem omniū prędicatorū disposuit: at quia in postrema speciei definitione assignata, de specie specialissima mentionem fecerat, ob id occasionē nactus, de genere-

generaliſſimo . de ſpecialiſſimo , & de medijs, quid ſint , ac qualiter in ordine ſuperioris & inferioris ſe habeant tractaturus eſt : & quemadmodum inter reliquos Porphyrij expoſitores Toletus adnotauit, hæc ſecunda pars adhuc in tres partes diuidi poteſt : in quarum prima, illa quæ in vnoquoque prædicamento conſtituuntur, explicat , eorundemque differentiam & ſimilitudinem aſſignat: in ſecunda ſingula eorum definit , ac quodam exemplo manifeſtat , oſtendens vlterius in quo eiuſdem exẽpli ſimilitudo & diſſimilitudo cõſiſtat : in tertia tandem illorum numerum, & modum ea conſtituendi , ordinemque inter ſe prædicandi, enarrat : verum vt præfata faciliori modo capiantur, ſingulæ partes ſigillatim dilucidandę ſunt .

Quantum ad primam partem , cum Porphyrius ait in textu , Planum autẽ erit, quod dicitur hoc modo, eſt ac ſi dicat , quoniam in poſtrema ſpeciei definitione, de ſpecie ſpecialiſſima mentionem fecimus , dicentes eam tantùm ſpeciei ſpecialiſſime conuenire, hinc vt quæ ad ipſius poſitionem ſequuntur facilius intelligantur, dicendum eſt, quod in vnoquoque prædicamento, quædam ſunt, quę generaliſſima vocantur; & rurſus alia, quæ ſpecialiſſima dicuntur : & inter hæc, ſicut inter extrema, non nulla reperiuntur media poſita , quę eadẽ genera & ſpecies ſimul nuncupantur . Sed hęc verba Porphyrij, difficultatem non modicam ferunt , quando dicit , quod in vnoquoque prædicamento sũt quędam , generaliſſima ; igitur cum vnumquodq; prędicamentum ſit ipsũ genus generaliſſimum , ſequitur quod ex pluribus generaliſſimis conficiatur: niſi eſſet vt Caietanus dicit, quod ly in vnoquoque collectiuè accipiẽdum eſt, ita vt ſit ſenſus, in omnibus prędicamentis, hoc eſt in ſingulis prędicamentis ſingula generaliſſima ſunt : at quid illorum vnumquodque ſit , exponens ait , Generaliſſimum eſt illud , ſupra quod non eſt aliud ſuperueniens genus: ſpecialiſſimum, poſt quod non eſt

A alia inferior ſpecies : ea verò quæ tanquam media inter hæc collocantur, eamet ſunt genera & ſpecies , ad aliud tamen, & ad aliud ſumpta, quod eſt dicere , ſecundum aliam & aliam conſiderationem accepta : etenim quatenus ad inferiora comparantur, dicuntur genera ; ſed quatenus ad ſuperiora referuntur , eorum ſpecies appellantur: ex quo textu Paulus hanc concluſionem infert, Nullum prędicamentum eſt infinitum; quam concluſionem ſic explaB nat; in quocunque datur primum , medium, & vltimum , illud non eſt infinitum , ſed in quolibet prædicamento datur primum , medium, & vltimum , ergo nullum prædicamentum eſt infinitum : maior manifeſta eſt ; minor ex textu liquet, eo quod in quolibet prędicamento ponitur generaliſſimum, ſupra quod non eſt aliud ſuperueniens genus , ergo datur primum . ponitur ſpecialiſſimum , poſt quod non eſt alia inferior ſpecies, ergo datur vltimum: meC dia ibi ponuntur, ſicut in litera dicitur, & ſic concluſio ſatis clara eſt .

Text. Fiat autem in vno quidem prædicamento manifeſtũ quod dicitur: ſubſtãtia eſt quidem & ipſa genus ; ſub hac autem eſt corpus : & ſub corpore animatũ corpus : ſub quo Animal: ſub Animali verò rationa- D le Animal: ſub quo homo : ſub homine vero Socrates & Plato, qui ſunt particulares homines. ſed horum ſubſtantia quidem generalisſimum eſt , & quod Genus ſolum : homo vero ſpecialisſimum, & quod ſolum ſpecies : Corpus autẽ ſpecies quidem eſt ſubſtantiæ, Genus verò animati corporis: ſed & animatum corpus ſpecies quidem eſt

cor-

corporis, Genus verò Animalis: rurſus Animal ſpecies quidem eſt corporis animati, Genus verò rationalis Animalis: ſed & rationale Animal, ſpecies quidem eſt Animalis, genus autem hominis: homo vero ſpecies quidem eſt rationalis animalis, non autem genus particularium hominum, ſed ſolum ſpecies: & omne quod ante indiuidua propinquè prędicatur ſpecies erit ſolum, non etiam genus: Quemadmodum igitur ſubſtantia cum ſuprema ſit, eo quod nihil ſupra eam ſit, genus eſt generaliſsimum: ſic & homo cum ſit ſpecies, poſt quam non eſt alia ſpecies, neque aliquid eorum, quæ poſſunt diuidi in ſpecies, ſed ſolum indiuidua, (indiuiduum enim eſt Socrates, & Plato, & hoc album) ſpecies erit ſolum, & vltima ſpecies, & (vt dictum eſt) ſpecialiſsima: quæ verò ſunt in medio, eorum quidem quæ ante ipſa ſunt, erunt ſpecies: eorum autem quę poſt ipſa ſunt, erunt genera.

IN hoc textu Author ponit exemplũ eorum, quæ dixit, ſcilicet generaliſſimorum, ſpecialiſſimorum & mediorum, coordinationem prędicamentalem, in vno prędicamento, nempe ſubſtantię, ad inſtar cuiuſdam naturalis arboris aſſignando: circa quod exemplũ, id animaduertendum occurrit, quod Auerroes exiſtimans ſubſtantiam ſecũdum rei veritatem, nequaquam eſſe genus generaliſſimum, eo quod intelli-

A gentias cęteraſque abſtractas ſubſtantias in prædicamento reponi haud credat: ob id aſſerit Porphyrium in hoc loco aſſignare ſubſtantiam, nō eo quod res ita ſe habeat, ſed tantùm per modum exempli: ac propterea corpus eſſe genus generaliſſimũ affirmat: ſed quoniam in lib. 2. cœli com. 49. corpus celeſte à prædicamento remouet, fit conſequens apud eundem, non corpus abſolutè, ſed corpus generabile eſſe genus generaliſſimũ: Sed à veritate mul-

B tũ aberrat Auerroes, quia ſicut Theologi aſſerunt, omnes intelligentię, præter primam, qui eſt Deus benedictus, in prędicamento continentur: Deus etenim, vt perpulchrè S. Thom. p.p. q. 3. art. 5 ſcribit, vllo pacto, neque ſimpliciter vt ſpecies, neque reductiuè vt punctum, in aliquo genere continetur, ſed ſupra omne genus eſt: quare prædicamentum ſubſtantię nunc à Porhyrio aſſignatum, non ſolum per modũ exempli aſſignatur, ſed etiam quia verè ge-

C neraliſſimum eſt; & quæ de ſubſtantiæ prædicamento dicũtur, etiam de quolibet alio vt puta de quãtitate, de qualitate, & de cęteris in ſuo ordine intelligendum eſt dici ac verificari: inter illa verumtamen in prędicamento ſubſtantiæ hanc coordinationem elucidat, tũ quia ſubſtantia, ſicut Ariſt. in lib. 9. metaphyſ. ſcribit, eſt aliorum prædicamentorum primum fundamentum; tum etiam, quia vt in lib. 7. metaphyſ. dicitur, ſubſtantia antecedit cætera prædi-

D camenta tempore, cognitione, & ratione: Verum vt faciliori intelligentia percipiantur ea, quę in ordine arboris a Porphyrio ſternuntur, ſciendũ, quod in recta linea ſex Vniuerſalia diſpoſita ſunt, nempe, ſubſtantia, corpus, Corpus animatum, Animal, Animal rationale, homo, ſub quo Socrates & Plato, tanquam hominis indiuidua collocantur: quod & ſi nomina compoſita, ſcilicet Corpus animatum, & Animal rationale, in exemplo ponantur, quæ definitionum formam, magis quam generum vel ſpecierum habent; & tamen nomi-

na ſimplicia apponi debuiſſent; dicendum nominum inopiam in cauſa extitiſſe, quod compoſita pro ſimplicibus aſſignarentur: etenim Corpus animatū eſt genus omnium viuentium, ſcilicet plantarum & Animalium, quapropter non nulli expoſitores ſubſtituerunt viuens, quod nominis abſoluti vicem gereret.

Præterea circa idem exemplū, aliud notandum eſt, quod Author ponit ly Animal rationale eſſe genus, eo quia cum vel ſtoicorum, vel Platonicorum ſectam fuerit ſequutus, arbitratus eſt corpora cœleſtia inter Animalia connumeranda eſſe, eo quod à ſeipſis moueantur, quod eſt Animalium propriū, ſicut in lib. 7. phyſ. Ariſt. ſcribit. Vlterius opinabatur intelligentias eſſe Animalia mente rationalia, corpore aerea, tempore æterna, animo paſſiua, quemadmodum ex Apuleio de Deo Socratis elicitur: ac ob id, ponit quod Animal rationale ſit genus, ad corpora cœleſtia, ad Angelos, hominesque: quęs deinde per differentias mortale & immortale ab inuicem diſtinguit, vt in ſequenti capite videbitur: ſed quia in rei veritate, nec Corpora cœleſtia animata ſunt, nec intelligentię ſunt ſubſtantiæ Corporeæ, imò nec propriè rationales dicuntur, hinc falſum eſt, Animal rationale eſſe genus: nam prę̨ter hominem; qui eſt ſpecialiſſima ſpecies, nulla alia ſubſtantia rationalis inuenitur.

His viſis ac notatis, hoc modo procedit Porphyrius ad explanandum ordinem eorum prædicatorū, quæ in recta linea arboris collocantur; dicens, cū in vnoquoque prędicamēto ſit Genus: v. g. in predicamento ſubſtantię ſit ipſa ſubſtantia: ſub ſubſtantia, Corpus: ſub Corpore corpus animatum: ſub Corpore animato Animal: ſub Animali Animal rationale: ſub Animali rationali homo: ſub homine particulares homines vt Sortes & Plato: dicimus quod ſubſtantia eſt genus generaliſſi-

A mum, & eſt tantum genus, eo quia ſub ipſa omnes ſubſtantiæ, ac illius ſpecies comprehenduntur: homo autem eſt ſpecies ſpecialiſſima, & tantùm ſpecies eſt: Corpus verò quod ſub ſubſtantia collocantur eſt ſimul Genus & ſpecies, ſed reſpectu alterius, & alterius conſiderationis: nam ſi ad ſubſtantiam ſupra poſitam referatur, tunc illius ſpecies eſt, & ſubſtantia genus, quod de Corpore in quid prędicatur, vnde verum eſt dicere, corpus eſt ſubſtantia: at ipſū


B met corpus reſpectu corporis animati ſub eo poſiti, eſt genus, atque de illo in quid predicatur, qua de re verum eſt dicere, corpus Animatum eſt Corpus: Animatum corpus in ordine ad Corpus eſt ſpecies, ſed in ordine ad Animal eſt genus: Animal per comparationem ad corpus animatum, ſub quo continetur, eſt ſpecies, & per comparationem ad Animal rationale eſt genus: Animal rationale, ad Animal relatum eſt ſpecies, at reſpectu hominis, quem

C ſub ſe continet, eſt Genus: homo vero ſub quo, non niſi particulares homines, vt Sortes & Plato ſunt conſtituti, eſt ſpecies tantùm, & ſpecies ſpecialiſſima: & hoc de omni eo aſſerendum eſt, quod proximè & immediatè ante indiuidua reperitur: & tandem concludendo quandam ſimilitudinem inter genus generaliſsimum, & ſpeciem ſpecialiſsimam, & diſtinctionem inter ſpecialiſſimam & ſubalternam, inquit, quod quemadmodum ſubſtantia; eo

D quia in eodem genere ſupra eam nihil aliud ſit, eſt genus generaliſſimum, ſic & homo cum ſit ſpecies quæ in aliam ſpeciem diuidi nequit, ſed tantùm indiuidua vt Sortes & Plato ſub ea ſunt, ſpecies ſpecialiſſima vocatur: quę autem in medio horum ſita ſunt, genera & ſpecies ſimul dicuntur: ſed ſpecies quatenus ad ſuperiora comparantur, quorum ſunt ſubiecta: genera verò quatenus ad inferiora referuntur: vt in textu patet.

Generum, ac ſpecierum, in Prædicamento ſubſtantię ordo, in ſequenti arbore Porphyriana, explanatur.

Generaliſsimum.



AD intelligentiam huius arboris, quæ communiter Porphyriana nuncupatur, animaduertendũ est, quod sicut in aliqua naturali arbore, tria reperiuntur, videlicet radices, truncus, & rami: ita per quandam similitudinem, tria in hac coordinatione inueniuntur, quorum aliqua vicem radicũ, alia trunci, alia ramorum vicem gerũt: etenim linea recta, in qua tria potissimum describuntur, generalissimum, media, & specialissimum, se habet ad instar trunchi in arbore directè protensi: Differentiæ quæ ad latera ponũtur, sunt sicut rami, qui lateraliter in arbore protenduntur: at genus generalissimum vicem radicum gerit; nec ab rè, quoniam sicut tota arboris virtus, imo tota ipsa arbor a radice egreditur; Sic totum esse essentiæ omnium inferiorũ in genere generalissimo continetur; licet esse existentiæ in indiuiduis primo reperiatur, dicente Aristotele in capit. de substantia, quod destructis primis impossibile est aliquid aliorum remanere: sed dubitaret aliquis quare in tali coordinatione vnum dumtaxat generalissimum genus, reponatur, plures verò specialissimæ species; quod & si gratia exempli vna tantum specialissima species sit posita in hoc loco, nihilo tamen in vnoquoque prædicamento innumeras species reperiri, luce clarius est: at quia Author infra docturus est qualiter in hac arbore fiat ascensus & descensus, fit enim ascensus à specialissimis ad generalissimum per collectionem multorum in vnum, & descensus à generalissimo ad specialissima per diuisionem vnius in multa, inde innotescet, quare sub vno generalissimo plura specialissima contineantur.

Pręterea sciendum est quod indiuidua, & si in hac coordinatione ad latera ponantur, tamen in recta linea censentur: sed quia reponi in hac linea trifariam contingit, primo modo formaliter, secundo materialiter, tertio reductiuè, ideo ne quis existimaret, indiui-

A dua reponi in recta linea positione formali, qua genera & species ibidem reponuntur, ad latera collocata sunt, vt ex inde insinuetur quod positione materiali ibi reponuntur, cum species ex diuisione materiæ in plura indiuidua plurificetur: Differentiæ vero non reponuntur in linea recta, nisi reductiuè & indirectè, quatenus assumuntur cum speciebus, quas constituunt, quemadmodum rationale cum homine.

B Sed duplici dubitatione dubitabit quis, prima quam ob causam differentiæ non reponantur in linea recta: secunda, quare positiuæ à sinistris & priuatiuæ à dextris collocentur.

Ad primam dicendum, quod differentiæ vt differentiæ duo habent, vnum est diuidere genus, aliud constituere speciem; nam si iuxta hoc secundum consideratur, sic simul cum specie, quã constituunt, assumuntur; & per consequens in recta linea ponuntur: at secundo modo scilicet quatenus sunt generis

C diuisiuę, nequeunt in linea recta reponi: cuius ratio est, quia illa quæ in aliquo prędicamento sunt sub eodem genere per se continentur; sed differentię per se non habent genus, eo quia genus in sua natura non includit differentias, sicut Aristot. in lib. 6. topicorum in explanatione loci 38. & in lib. 3. metaph. scribit, per quas diuiditur; nec differentiæ includunt essentialiter genus, vnũ enim est extra essentiam alterius: ac ob id cum non habeant supra se genus,

D collocantur ad latera, tanquam illius generis diuisiuę, & per quas genus in varias species descendit.

Ad secundum respondetur, differentias has vel illas, à dextris aut à sinistris collocari, nihil ad rẽ; nihilominus quæ à sinistris sunt, positiuæ designantur, atque per nomina positiua describuntur, & per consequens notiores nobis sunt: quę vero à dextris, minus notę, & ob vocum inopiam per nomina priuatiua designantur, vt per inde etiam nobis insinuetur, quod priuationem differentiarum sinistri lateris important: vtrum

hę pro-

hæ proprias species sub genere substantiæ constituant infra dicetur: hæc satis

Dilucidatio 5.

Tex. Quare hæc quidẽ duas habent habitudines, eam quæ est ad ea quæ antecedunt, secũdum quam species ipsorum esse dicuntur: & eam quę est ad posteriora secundum quam genera ipsorum esse dicũtur: Extrema verò vnam habent habitudinem, nam & generalissimũ ad ea quidem quæ posteriora sunt, habet habitudinem, cum sit genus omnium id quod est supremum; eam quæ ad superiora non habet, cum sit supremum & primum principium, & (vt diximus) supra quod non est aliud superueniens genus. specialissimum autem, vnam habet & ipsum habitudinem, hanc quidem quæ est ad superiora, quorum est species: eam vero quæ est ad posteriora, nõ diuersam habet habitudinem, sed eundem, & species indiuiduorum dicitur: sed species quidem dicitur indiuiduorum velut ea continens: species autem superiorum, velut quæ ab eis continetur.

ARistoteles Peripateticorum Princeps, ac omnium phylosophorum sapiẽtissimus, cum in libro quarto physicæ auscultationis, in tex. *128*. de tempore loqueretur, atque ostenderet omnia in tempore fieri, & corrumpi: non nullorum phylosophorum sententiam

A ibidem apponit, qui de tempore loquentes, sapientissimum ac prudentissimum, ipsum appellarunt; de quorum numero Thaletem fuisse, ambigit nemo: nec ab re sed maxima cum ratione tempus sapientissimum & prudentissimum appellatum est, non eo quod ipsũ in se ipso sit tale, sed quia in ipsius temporis curriculo, omnia sapienter ac prudenter compleri queant: etenim cum hic textus, quem prę manibus dilucidandum habemus, in quo quædã correlaria ab Authore inferuntur, superiori lectioni continuandus fuisset, huc

B detulimus, ne prolixior sermone, quã opus fuisset, aures vestrę fatigarentur: quapropter hodierna die illius dilucidationem & explanationem explebimus, nec non quædam scitu difficilia, (digna tamen) clara doctrina reserabimus: In superiori namque dilucidatione explicuimus, qualiter generalissimum, specialissimum, & media, quæ in recta linea collocantur, se habeant, dũ

C diximus substantiam, eo quod supra ipsam non sit aliud genus, esse generalissimum: hominem, cũ sit species postquam non est alia inferior species, speciem esse specialissimam ea verò quæ in horum medio sita sunt, genus & speciem ipsamet simul esse, ad aliud tamẽ, & ad aliud sumpta, quod erat dicere, secundum aliam, & aliam considerationem habita; quatenus namque ad superiora referebatur, ipsorum species dicebantur; vt prout ad inferiora com-

D parabantur, ipsorum genera nuncupabantur: quibus explanatis, continuando nunc dicenda dictis, dicimus quod Porphyrius in hoc text. infert duo correlaria, quorum primum est hoc, cuiuscunque prædicamenti, seu coordinationis prędicamentalis media, duas habitudines habent; eam qua ad superiora referuntur, quorum sunt species, & eam qua inferiora respiciunt, quorũ sunt genera: secundum correlarium, extrema vnam tantùm habitudinem habent: nam generalissimum inferiora tantùm respicit, eo quod illorum omnium

nium est genus, superiora autem non habet, quia est omnium supremū, imo eorum omnium, quę sub ipso continētur, principium specialissimum similiter vnam tantùm habitudinem habet, ad superiora videlicet, quorum est species.

Sed cum in postrema speciei specialissimæ assignata definitione dicatur, speciem esse, quod de pluribus numero differentibus prędicatur in quid, ob id iure dicet quis, non ne specialissimū etiam ad indiuidua refertur? ergo hoc extremum duas habitudines habebit, ad superiora quibus subijcitur, & ad inferiora de quibus predicatur: Respondet Porphyrius, quod habitudo qua specialissimum ad indiuidua comparatur, non est diuersa ab ea, qua ad superiora refertur, quoniam etiam respectu indiuiduorum semper species nuncupatur, & si quadam diuersa consideratione, nam per comparationem ad genus dicitur quoddam sub ipso contentum, at per comparationem ad indiuidua, continens appellatur.

Circa quam solutionem à Porphyrio traditam, dubium non quidem modicum oritur: quo nam modo, habitudo qua specialissimum ad superiora & ad inferiora refertur, non sit diuersa: quod si vna & eadem est, quæritur an sit vna secundum vocem tantùm, aut secūdum rem: si primo modo, hoc est, quod ipsa species secundum vtrunque respectum, vno simplicique nomine nominetur, ita vt sicut in ordine ad genus sub quo continetur, species dicitur, ita & vt subiecta indiuidua continet, species quoque appelletur; tunc pucrilis & nullius momenti hæc solutio apparet: si verò sit vna & eadem secundum rem, ergo eodem modo quo ad genus ipsa refertur, ad indiuidua etiam refe-retur; sed ad genus refertur vt vniuersale subijcibile, ergo hoc eodem modo ad indiuidua refertur, quod est falsum; quoniam respectu indiuiduorum est vniuersale prædicabile: quod si sit, alia & alia habitudo, igitur Porphyrius male dicit, dum asserit quod non est diuersa.

Quatuor modis dubitationem hanc explanari reperio: primus est quorumdam arbitrantium speciem specialissimam carere prorsus omni habitudine respectu indiuiduorum: & hoc quia credunt indiuidua non cadere directè sub specie, sed lateraliter in linea reperiri: Verùm hęc solutio est nulla, quia sicut in superiori lectione diximus, & si indiuidua in coordinatione arboris Porphyrianę à latere collocentur: tamen in recta linea sunt, eo quod species est de principali intellectu ipsorum: nullū namque indiuiduum reperitur, de cuius principali intellectu species non sit: verum est tamen quod positione materiali ibi reponuntur, ac propterea ad latera collocantur, vt insinuetur quod ibi non sunt positione formali sicut genera & species.

Secundus modus dicendi est aliorū asserentium, mentem Porphyrij esse, quod hęc habitudo sit vna secundum vocem tantùm, ita vt sicut specialissimum respectū generis dicitur species, sic per comparationem ad indiuidua, non alio nomine, quam species appellatur: ad quam positionem hac ratione mouentur, vt aliquod discrimen inter speciem specialissimam, & subalternā reperiatur: species namque subalterna, & si duas habitudines possideat, longè tamen varia dispositione, eo quia quandoq; dicitur genus tunc videlicet quādo inferiora respicit, quandoque species, cum ad superiora refertur: sed specialissima species tàm respectu superiorum, quam inferiorum, eodem nomine scilicet species appellatur, cum generis ratione careat, sed sicut iam dictum est, hæc solutio pucrilis apparet.

Tertius modus est quorundam, qui hanc propositionem alia via defendere nituntur, videlicet quod specialissimum, vnam tantùm habitudinem sibi vendicet, & hoc propter differentiam modi, quo subalternum & specialissimum de suis inferioribus prædicantur: nam

nam subalternum ex eo quod à superiori continetur, ideo species illius dicitur, quatenus autem de inferioribus prædicatur, illorum genus nuncupatur: sed specialissimum primam tantum habitudinem, qua species vocatur habet; secunda verò caret, quia illius inferiora, non specificè & formaliter, sed numero & materialiter tãtùm distinguũtur: & quia distinctio horum inferiorũ fit per accidentalia, ideo non fuit tanti momenti, vt ipsorum superius proximũ & immediatum, nomine generis nuncupari mereretur, quoniam quæ sub aliquo genere ponuntur immediatè, specificè & formaliter distinguuntur; & ideo specialissimum cum subalternis collatum, sicut vnum solum respectum habet, sic vnico nomine contentari debuit.

Quartus modus, qui verisimilior, & communior apparet, est Caietani, hoc pacto dictam Porphyrij propositionem exponentis: inquit enim quod ratio generis & speciei in subalternis non adeò coniungitur, vt vna ex altera oriatur, quin potius altera veluti extranea ab altera reperitur: subalterna etenim species, non eadem ratione, qua est genus, species vocatur, quia tunc generalissimum, cum sit genus, posset species nuncupari; nec etiam eadem ratione qua est species, dicitur genus, alioquin specialissimum, eo quia est species, posset vocari genus: sunt enim hę duæ habitudines inter se longè differentes, quamuis in vno & eodem subalterno reperiantur. Species autem specialissima, & si duas habitudines habeat etiam inter se diuersas, tamen ita se se compatiuntur, quod altera ab altera originem trahit, nec aliqua extraneitas inter eas inuenitur: ex hoc enim quod species est sub genere posita, necessariò hæ duę habitudines simul resultant, & ad genus, cuius est species, & ad indiuidua quibus præponitur: quia est impossibile saltem in esse obiectiuo apud nostram cognitionem, aliquid sub genere poni, & indiuiduis carere: igitur cum ex eadẽ relatione, qua species ad genus refertur, pullulet in specie, indiuiduorum continentia, & non quemadmodum in subalternis, in quibus, vt dictum est, nõ necessario, cum genera & species sint: ideo Porphyrius dixit, specialissimum vnam habitudinem habere, non vnam secundum rem, sed pro vt vnum distinguitur contra extraneum; quod est dicere non est ita diuersa, quod sit extranea à natura speciei, quatenus species est: & hęc sufficiant.

Dilucidatio 6.

Tex. **Determinant igitur generalissimum genus ita, quod cum genus sit, non est species, & rursus supra quod non est aliud superueniens genus.**

DIximus superius quod secũda pars principalis huius capitis, in tres partes diuidebatur, in quarum prima, illa quæ in vnoquoque prædicamento constituuntur, explicabat: in secunda, corũ singula definit: priori parte expleta, & his quæ in ea continentur, expositis; nunc accedit ad secundam partem, in qua quinque facit, primo quasdam definitiones tùm generalissimi, cum specialissimi ponit; secundo quali nomine media nominentur, & quam ob causã sic dicantur, describit; tertio per quamdam similitudinem, ipsam prædicamentalem coordinationem elucidat; quarto in quo eorundem dissimilitudo in eodem exẽplo consistat, ostendit; quinto vni dubitationi respondet: quantum ad primum cum Porphyrius sepe sæpius, de generalissimo & de specialissimo verba fecerit, nec plenam illorum naturæ notitiam tradiderit, nunc quid ipsorum vtrunque sit, definire intendit: & quantum ad genus generalissimum, duas ipsius definitiones assignat, quarũ prima est hæc, Genus generalissimum est il-

est illud, quod cum sit genus non est species: cuius definitionis ratio est hęc; in genere generalissimo duo considerantur, vnum quod est esse genus, alterum quod est esse generalissimum: primum nempe esse genus habet respectu specierum, quas sub se continet, & de quibus prædicatur, vnde dictum est genus esse illud, quod de pluribus & differētibus specie in quid prę dicatur: secundum scilicet esse generalissimū habet per negationem superioris generis: nam ad hoc quod aliquid sit species, necessarium est quod respiciat aliquod superius tanquam genus, respectu cuius species dicatur: vtrunque Author in hac definitione explicat, primum cū dicit, cum sit genus, secundum quando subinfert non potest esse species: secunda Definitio, & exactior, quam etiā supra insinuauit, est hęc, genus generalissimum est illud, supra quod non est aliud superueniens genus.

Circa quam assignatam definitionē, sciendum est, generalissimum, & in vniuersum omnia superlatiua, bifariā exponi posse: vno modo affirmatiuè, alio modo negatiue; affirmatiuè vt si dicatur Socrates est iustissimus omnium, id est iustior omnibus: negatiuè vt si dicatur Aristoteles est doctissimus omniū, id est nemo est Aristotele doctior: inter has duas acceptiones illud interest, quod superlatiuum affirmatiuè expositum, nullum par, nullumq; æquale habet, eo quod vni soli conueniat: sed negatiuè expositum paria habere potest, ac pluribus conuenire; & hoc secundo modo exponitur, substantia est genus generalissimum, id est substantia nihil est generalius in suo ordine, scilicet substantiæ, quamuis sint alia genera generalissima, nempe quantitas, qualitas, quę sunt æque generalia.

Vel sub alijs verbis sic dicatur, Generalissimum duobus modis dicitur, vno modo simpliciter, quod est esse omni alio, vel omnibus alijs generalius, & hoc modo substantia non est generalissimum, quoniam non est omni alio ge-

A neralius, alioquin quantitas, qualitas, & reliqua prędicamenta non essent generalissima, sed vnum tantùm esset omnium generalissimum: secundo modo potest intelligi in aliquo genere, quod est esse omni alio sui ordinis generalius; & sic vnumquodque prædicamentum est generalissimum, quia in ordine sui generis, nullum est eo generalius: quapropter Porphyrius hunc sensum intendens, in secunda generalissimi generis definitione dixit, Generalissimum

B est illud supra quod non est aliud superueniens genus, videlicet, quod in suo ordine sit eo supèrius & generalius sed sub ipso omnia sui generis cōprehenduntur, vt omnes substātię sub substantia, & omnes quantitates sub quantitate: & sic cætera intelligantur.

Tex. Specialissimā verò speciem sic, quę cum sit species nō est genus; & quam cum sit spe-

C cies, in species diuidere nō possumus: ad huc autem, & quæ de pluribus & differentibus numero, in eo quod quid est, prædicatur.

AD speciei specialissimæ naturam explanandam venit, tresque illius definitiones assignat, quarum prima est hæc; specialissimum est illud, quod cū sit species, non est genus; cuius defini-

D tionis ratio, ex his quę in definitione generalissimi posita sunt colligi potest: nam sicut generalissimum eo quod sit supremum, nihilque supra ipsum sit, sub quo contineatur, non potest esse species; sic specialissimum cum sit infimum in ordine specierum, & nullam speciem sub se habeat, non potest esse genus, cum genus sit illud cui supponitur species: Secūda definitio est hæc, species specialissima est, quę in alias species diuidi non potest: cuius definitionis ratio sic formatur, omne illud quod in species est diuisibile, descen-

dit in

dit in illas per differentias diuisiuas & constitutiuas: sed species specialissima non habet differentias diuisiuas suæ naturæ, ergo in alias species diuidi nō potest: maior propositio manifestatur in natura generis, quod per differentias diuisiuas descendit in suas species; minor probatur, diuisio alicuius in species fit per differentias formales, sed nulla species; quatenus species diuiditur per differentias formales; sed habet sub se immediatè indiuidua, in quæ per differentias materiales partitur, vt multoties dictum est, ergo specialissimum in alias species diuidi non potest: Tertia definitio est illamet, quę supra in tertio loco est assignata videlicet, species est quod predicatur de pluribus differentibus numero in eo quod quid est, quā definitionem ibidem dilucidauimus:& cum huiusmodi species, sola differentia materiali diuidatur, in illa quæ sub se continet indiuidua, ideo hæc solo numero differre dicuntur, quorum cum totam essentiam & naturam dicat, propterea de illis in quid prædicatur.

Tex. Ea vero quæ in medio sunt extremorum, subalterna vocant genera & species: & vnumquodque ipsorum speciē esse & genus ponunt; ad aliud tamen & ad aliud sumptum.

QVo nomine, qua ve ratione, ea quæ in medio extremorum sita sūt, nuncupentur, nunc assignat, dicēs quod illa quæ inter extrema nempe generalissimum & specialissimum collocantur, phylosophi consueuerunt appellare genera & species subalternas: Circa quod dictum, animaduertendum est, quod duabus de causis aliquid potest dici sub alternum, aut quia sub altero ponitur, & hac ratione non dicitur nūc subalternum, quoniam specialissimum esset subalternum, cum sub altero ponatur, quod est falsum: secundo modo

A dicitur subalternum, quasi subalternatim sub & supra positum, positione scilicet formali, & hæc de causa dicitur vel genus vel species subalterna; quod fit clarum ex his quæ à Porphyrio inferuntur, cum dicit quod vnumquodque ipsorum potest esse genus & species: at si quis obijciat, quomodo vnū & idem potest esse simul genus & species? Respondet Porphyrius soluendo cum dicit (ad aliud tamen est ad aliud sumptum) quod est dicere, & si vnum

B & idem respectu eiusdem, & eodē modo consideratum, non possit esse simul genus & species, tamen respectu diuersorum, & diuersæ considerationis potest esse simul genus & species: nam in ordine ad superiora, quibus subijciuntur, species vocantur; in ordine ad inferiora, de quibus prędicantur, genera dicuntur.

1 Sed contra prędicta oriuntur non nullę dubitationes, & primo probatur quod genus generalissimum possit esse

C species: etenim species est illa, quę habet suum esse determinatum per aliquam specificam differentiam, vt homo per rationale: sed generalissimum potest habere esse determinatum per aliquam specificam differentiam, ergo potest esse species: minor probatur, substantia quę est generalissimum genus, potest habere, imo de facto habet determinatum esse. v. g. per rationale ad hominem, quia homo est substantia rationalis.

D 2 Præterea secundo arguitur quod nulla species subalterna possit esse genus: nullum genus habet aliquam differentiam in actu, sed omnis species habet vnam differentiam in actu, ergo nulla species potest esse genus: maior & minor propositio probantur simul eadem Authoritate Porphyrij in cap. sequenti dicentis, differentia est qua species abundat (scilicet actu,) à genere, quod non habet nisi potestate.

3 Vlterius, arguitur quod species subalterna non prædicetur de pluribus differentibus numero, species subalterna,

na, quatenus ſubalterna, habet quod ſit genus: ſed genus non prædicatur de pluribus & differentibus numero, ergo ſpecies ſubalterna, quatenus ſubalterna non prædicatur de pluribus & differentibus numero.

Ad primum reſpondetur, quod genus generaliſſimum duobus modis cõſideratur, vno modo quãtum ad ſuum modum eſſendi, quo dicitur communiſſimum ſui ordinis, & hoc modo habere nequit eſſe determinatum per differentiam: alio modo quo ad ſuam eſſentiam, & ſic contrahi poteſt per differentiam ad aliquod eſſe determinatũ.

Ad ſecundum dicitur, quod genus ſubalternum ad duplices differentias comparari poteſt, primo ad eas, quibus diuiditur, & ſic nullam differẽtiam habet in actu: ſecundo ad differentias ſui ſuperioris, & ſic vnam earum habet in actu, quæ ſibi conuenit, non quatenus genus, ſed quatenus ſpecies: Animal enim quatenus eſt Genus hominis & Equi, abſtrahit à rationali & irrationali; ſed quatenus eſt ſpecies corporis viuentis habet actu ſenſitiuum, quod eſt illius differentia.

Ad tertium reſpondetur quod ſpecies ſubalterna duobus modis conſideratur, vno modo formaliter, & hoc modo nunquam poteſt eſſe genus: alio modo materialiter, id eſt pro illa re, quæ eſt ſpecies ſubalterna, & ſic poteſt eſſe genus.

Contra hanc ſolutionem ſic obijcitur, illud quod ponitur in alicuius definitione, conuenit illi formaliter, ſed poſſe eſſe genus ponitur in definitione ſpeciei ſubalternæ, ergo conuenit ei formaliter quatenus ſcilicet eſt ſpecies ſubalterna: maior habetur in 7. meta. vbi dicitur quod omnes partes definitionis ſunt formæ; minor eſt in litera in qua dicitur, ſpecies ſubalterna eſt, quę cum ſit ſpecies poteſt eſſe genus. Soluitur obiectio, quod illa quę in aliqua definitione ponuntur, ſunt in duplici differentia, alia namque rei naturam, & alia rei habitudinem indicant:

A igitur ſi natura rei in aliqua habitudine ſit, tunc definitionis partes hanc habitudinem explanantes, non debet ſimpliciter pronunciari, ſed cum explicatione huiuſmodi habitudinis: ad propoſitum natura ſpeciei ſubalternæ in duplici habitudine conſiſtit, ad ſuperiora & ad inferiora, quapropter ſpecies ſubalterna non debet appellari genus, niſi adiungatur reſpectu inferiorũ; quæ cõditio explicat qua ratione ſpecies ſubalterna dicatur genus: at eſſe

B ſpeciẽ de ſpecie ſubalterna poteſt ſimpliciter pronunciari, quoniam habitudo ad inferiora in nomine ſpeciei includitur: ſpecies enim quatenus ſpecies etiam inferiora reſpicit, vt ſupra dictum eſt; vnde illud additum, ſubalternum, non eſt cõditio rationem ſpeciei diminuens, ſed de qua ſpecie ſit ſermo declarans, cum etiam & ſpecialiſſimum reperiatur.

Præterea notandum, quod quemadmodum genus diuiditur in generaliſſi-

C mum & ſubalternũ; ita ſpecies in ſpecialiſſimam & ſubalternam partitur; alia tamen huius, quam illius diuiſionis ratio aſſignatur: omne namque genus in coordinatione prædicamentali coordinatur, igitur vel eſt primum principium omnium in ſuo ordine exiſtentium, & ſic eſt genus generaliſſimum, ſupra quod non eſt aliud ſuperueniens genus; vel alteri ſubordinatur & ab illo originatur, & ſic eſt genus ſubalternum, quod imperfectiori modo gene-

D ris naturam participat; eo quia in ſua generalitate, a qua genus dicitur, magis coarctatur; ac per conſequens diuiſio generis in generalisſimum & ſubalternum non erit vniuoci, ſed analogi in ſua analogata: at de ſpecie ſic dicitur, omnis ſpecies determinatur per aliquam differentiam, qua conſtituitur; nam Porphyrius inquit, differentia eſt qua ſpecies abundat à genere, & ſicut ſtatua ex ære & figura conficitur, ita ſpecies ex genere & differentia: igitur huiuſmodi ſpecies, vel per illam differentiam totaliter determinatur, ita vt

per

per alias differẽtias formales diuidi amplius nequeat; sic erit species specialissima: vel non totaliter determinatur, sed per oppositas differentias est adhuc diuisibilis, & sic est species subalterna: quę nõ quatenus species est diuisibilis, quia omnis species vt species ad vnam differentiam est determinata, sed quatenus potest esse genus, modo supra exposito: harum specierum, perfectior est specialissima quã subalterna; quia cum species dicatur ab eo quod est confusam naturã generis specificare, & determinare; hoc fit veriori modo in specialissima, quæ per differentiam est totaliter determinata, quàm in subalterna, quæ adhuc determinabilis est: ac per consequens concludatur, diuisionem speciei in specialissimã & subalternã, non esse vniuocam sed analogam, sicut & de genere supra dictum est: & hęc satis.

Dilucidatio 3.

Text. Ea enim quæ sunt ante specialissima, vsque ad generalissimum ascendentia, & genus dicuntur & species subalterna: vt Agamenon, Atrides, & Pelopides, & Tãtalides, & vltimum Iouis.

Exempla in demonstratiua doctrina, & si apponi nequaquam debeant: in rebus tamen, quæ nõ nisi per comparationẽ ad aliud intelliguntur, vsitari possunt, inquit Auerroes non solùm in libro 1. phys. com. 81. verumenimuerò & in lib. 3. de anima com. 14 igitur cũ omnia quæ in prædicamẽtali coordinatione à Porphyrio ponuntur: per comparationem ad aliud intelligantur; hinc factum est, vt quodam exemplo ad ea dilucidanda vtatur: sed cum in superioribus dilucidationibus sępe sępius de generibus ac speciebus subalternis mentionem fecerimus, eaque vti media inter duo extrema collocari dixerimus,

A quod & iterum dicturi sumus: non inutile erit, si priusquam ad huius textus explanationem veniamus, quot modis sumatur medium referemus: Paulus Venetus in hoc loco, Sotus ad tertium & Toletus ad septimũ asserunt triplex medium reperiri, quorum primum, mathematicum vocant, vel vt alij dicunt medium positiuè vel ordinis, & est illud quod ab extremis æqualiter distat: quo modo dici consueuit cẽntrum esse mediũ circuli, eo quia ab omnibus partibus circumferentiæ æqualiter distat:

B secundum est physicum, quod ab alijs medium participatiuè dicitur, & est illud quod ex extremis conficitur, vt medius color. v.g. rubedo dicitur medius inter albedinem & nigredinẽ, eo quod vtriusque naturam participat: tertium metaphoricum, seu medium secũdum rationem appellatur, quo pacto virtus in medio cõsistere dicitur: addatur quartum, quod medium prædicationis, siue vt alij dicunt, medium logicum nuncu-

C patur: & hoc modo ea quę inter generalissimum & specialissimum reponuntur, dicuntur medium scilicet prędicationis; eo quia ipsa de alijs, & alia de ipsis prædicantur, vt iam dictum est: his dictis & declaratis, nunc ad exemplum in litera positum explanãdum accedamus: ad cuius intelligentiam, mẽte recolere opus est, ea quę in superioribus Author dixit, scilicet, quod in coordinatione prędicamentali, quædam extant, quæ generalissimum tantùm sunt;

D quædam quæ specialissimum tantùm; quæ verò in medio horum sita sunt, modo genus, modo species sunt, ad aliud tamen, & ad aliud sumpta, id est iuxta diuersam considerationem habita: hanc igitur coordinationem prędicamentalem in recta linea dispositam, per quandam similitudinem ex familiis acceptam dilucidat: quæ similitudo in hoc consistit. nam quemadmodum in familijs, datur vnum primum, quod illius familię est principium tantùm: aliud extremum, quod est vltimum tãtùm: media verò, quæ extremorum de-

nominationem recipiũt; ita de his quæ in linea recta disponuntur, est intelligendum: exemplum sic explanetur; v.g. in Regno Græcorum, quinque familiæ extiterũt, quarum infima & nobis proxima fuit familia Agamenonis; hæc à familia Atridis, originem traxit, familia Atridis à familia Pelepodis principiũ habuit; hęc ab illa Tantalidis: hæc tandem à familia Iouis, quæ in ascendendo est vltima, & in descendendo prima; accipiantur igitur harum familiarum principes, qui sunt Agamenon, Atrides, Pelopides, Tantalides, ac Iupiter: quibus inuicem comparatis, dicatur quod extrema huius ordinis sunt Iupiter & Agamenon: sed Iupiter, quia omnium harum familiarũ fuit Princeps, ideo pater tantùm & non filius dicitur: Agamenon, quia est vltimus, & post quem nulla fuit illius familiæ successio, filius tantùm dicitur, & non pater: quilibet verò illorum, qui in medio sunt, dicitur pater & filius, sed respectu diuersorum; Pater respectu eorum qui successerunt; filius verò per comparationem ad eos, qui antecesserunt: ita in quolibet prædicaméto, datur vnum, quod est generalissimum tãtùm, aliud quod est specialissimũ tantùm; media autẽ sunt genera & species, sed diuerso respectu, quéadmodũ supra dictum est.

Circa quod exemplum notat Sotus, quod Iupiter non fuit primum principium generis Agamenonis: Iupiter enim fuit Saturni filius, Cæliique nepos, Ophyonisque pronepos: tamen in hoc loco describitur a Porphyrio illarum familiarum primum Principium, vel ob reuerentiam, cum apud Gentiles summus deorum Deus estimaretur: aut quia Saturnus a Regno fuit expulsus, ac propterea dimittitur.

Tex. Sed in familijs quidem plerunque ad vnum reducitur principium; v.g ad Iouem: in generibus verò & speciebus non sic se habet.

A Exemplis vtimur, non vt ita sint, sed vt addiscant qui audiũt, inquit phylosophus in lib. priorum: ita Porphyr. exemplo vsus est, non quod huic coordinationi omnino assimiletur, sed vt per ipsum discipuli ea percipere possint, quę in coordinatione prędicamentali reponũtur: nunc verò in qua re, inter ordinem familiæ & coordinationẽ, dissimilitudo consistat, ostendit: etenim cum dictum sit, quod ordo prædicatorum in linea recta dispositorum, ordini

B familiarum assimilatur: posset quis facilius credere, quod sicut multę familiæ ad vnum ipsarum primũ genus reducuntur, quod est omnium principiũ & origo; v.g. omnes illæ familię ad Iouem, qui earum omnium est genus, principium, & origo, reducũtur; ita omnia prædicamenta ad vnum genus logicum reducantur, quod omnium prædicamentorum sit primum & summũ: sed Porphyrius respondet similitudinẽ hanc non in omnibus æquè se habere:

C quoniam in generibus non datur vnum summum genus ad quod cætera prędicamenta reducantur, ita vt omnia prædicamenta eiusdem generis sint; quia sicut Aristoteles dicit, dantur decẽ prima genera, quasi decem prima rerum principia: similitudo tamen positi exẽpli in quolibet prædicamento diuisim consistit; quoniam in vnoquoque datur generalissimum, specialissimum, & media, quæ omnia vnius & eiusdem ordinis ad generalissimum reducuntur;

D quemadmodum etiam in familijs, ad vnum ipsarum primum generationis principium.

Tex. Neque enim est commune vnum genus omnium ens: nec omnia eiusdẽ generis sunt secundum vnum supremum genus, quemadmodum dicit Aristot. sed posita sunt (sicut in prędicamentis dictum est) prima decem genera, quasi prima de-

cem principia. Et si omnia quis entia vocet, æquiuocè (inquit) nuncupabit, sed non vniuocè. Si enim vnum esset cōmune omnium genus ens, vniuocè omnia entia dicerentur. cum vero decem sint prima, communio secundum nomen est solum, nō tamen secūdum rationem, quę secundum nomen est.

OBiectioni cuidam nunc respondet Porphyrius: dictum est non dari vnum supremum genus, ad quod omnia prædicamenta reducantur: at fortè quis obijciet, datur Ens, quod ad omnia prędicamenta, quoddam commune genus videtur: nam verum est dicere, substantia est ens, quantitas est ens, & sic de alijs; ergo omnia prædicamenta reducuntur ad Ens, tanquam ad vnum ipsorum commune genus: huic obiectioni Porphyrius respondet quod Ens non est ad omnia prędicamenta genus, eo modo, quo nunc de genere logico sermo fit: ratio est, quia genus vniuocè hoc est, secundum idem nomen & eamdem rationem prædicatur de illis, quorum est genus: sed Ens non dicitur vniuocè de omnibus prædicamentis, alioquin omnia essent eiusdem nominis & rationis; quod est falsum cum sint decem prima genera omnium generalissima, ergo ens non prędicatur de illis vniuoce, ac per consequens non erit illorum genus; quod si quis omnia prædicamenta vocet entia, æquiuocè id est solo nomine, entia nuncupabit.

Circa quem textum duo scitu digna occurrunt: quorum primum ex Caietano in hoc loco habetur: cum Porphyrius in textu dicit, Decem prædicamenta esse decem prima principia, nunc sermonem non fieri de quibuscunque principijs, sed de formalibus, quę totius notiones sunt: Principium namque, & si de materiali, formali, ef-

A ficienti, ac finali dicatur, sicut ex libro quinto metaphys. colligitur; de formali tamen nunc sermo habetur: Principium formale adhuc duplex est: vnum quod dicitur forma partis, de quo nunc non est intentio, aliud quod forma & notificatio totius vocatur, & hoc nunc intenditur: cum enim dicitur quod prima principia sunt decem, intelligitur quod omnia prædicata totum esse rei notificantia, ad hęc decem prædicamē-ta reducuntur, à quibus cætera oriun-

B tur, tanquam a primis elementis, potestate omnia continentibus.

Secundum, quod esset scitu dignum, est an Ens vniuocè, vel analogicè dicatur de decem prædicamentis: sed cum hoc quęsitum logicæ limitem transcendat, altiorisque negocij sit, scilicet metaphysici, ob id nunc dimittatur, alibi a nobis discutiendum: sintque hæc dicta pro præsenti dilucidatione satis.

C

Dilucidatio 8.

Text. Decem igitur generalissima, quidem sunt: specialissima verò in numero quidem quodam sunt, non tamen infinito. Indiuidua autem, quæ sūt per specialissima, infinita sunt, quapropter vsque ad specialissima à generalissimis descen-

D dentes, iubebat Plato quiescere: descendere autem per media diuidentes specificis differentijs, infinita verò (inquit) relinquēda sunt, neque enim eorum scientiam posse fieri.

QVemadmodum in hoc loco Boetius rectè scribit, specierum nosse naturam, ad ipsius generis sectionem non modicum attinet: & quoniam sciētia vlla à diuina, infinita esse potest, nullus enim creatus intellectus infinita cir

cundat, iccirco de multitudine generum, specierum, atque indiuiduorum, Porphyrius in præsentiarum rectissima ratione verba facturus est:& vt summatim hunc textum colligamus, dicemus ab Authore tria fieri: primo etenim numerum generalissimorum, specialissimorum, ac indiuiduorum assignat: secundo modum attendendi & descendendi per coordinationem prædicamentalem docet: tertio ordinem prędicandi eorum, quæ in recta linea constituuntur, explanat.

Quantum ad primum, fortè ambigeret aliquis, an eodem pari, æqualique numero, generalissima, specialissima, & indiuidua numerentur, vel alter eorum alterum excedat: huic dubitationi Porphyrius negatiua conclusione satisfacit, videlicet, prędictorum numerus nō est æqualis, quę quidem conclusio haud difficili modo reseratur: Generalissima enim genera, nec plura, nec pauciora sunt, quam decem; huius partis rationem probationemque Author dimittit, eo quod illius tempore prędicamentorum numerus apud phylosophos notissimus erat; quem nos dein de suo loco dilucidabimus: Species specialissimæ, multo plures sunt, quam genera, eo quod vni generi, plures species subiiciuntur: quod si quis peteret quot sint numero huiusmodi species specialissimæ, Respondet Author quod sunt in quodam numero, qui non est infinitus, sed à natura determinatus: & est ac si diceret, numerus specierum bifariam consideratur, vno modo secūdum se, siue secundum ordinem naturæ, alio modo secundum nostram cognitionem; primo modo numerus specierum determinatus est, ita vt nec actu, nec potentia sit infinitus, quia in earum determinato ac pręscripto numero, totius vniuersi ordo perfectio, ac pulchritudo consistit: sed secundo modo, incertus & indeterminatus dicitur, cū ipsarum numerus à nobis haud cognoscatur: sicut exempli gratia, Caietanus inquit, sit magnus militū exer-

A citus, à nemine numeratus: tunc huiusmodi exercitus, certum quidem, & determinatum militum numerum continet; verumtamen ipsum à longe alicui inspicienti, militum numerus incertus offertur; ita specierum numerus, vsque ad determinatam multitudinem, vltra quam plures in rerum natura reperiri haud possunt, præfigitur; nobis tamen, eandem multitudinem inspicientibus incerta atque indeterminata offertur: Indiuidua autem quæ

B speciei specialissimę subijciuntur sunt numero infinita: qua propter cum à generalissimus descenditur, vsque ad specialissima tanquam ad vltimum terminum descendere Plato iubebat: etenim cum genera per specificas differentias diuidimus, tunc illorum diuisio vsque ad specialissimum tanquam ad vltimatum terminum pertingere, ibique persistere debet: quoniam cum sub huiusmodi specie, non nisi indiuidua sint, quę sunt numero infinita,

C ideo relinquenda sunt, eo quod neque ars neque disciplina ipsorum fieri possit: ex his igitur liquidò apparet, generalissimorum, specialissimorum, ac indiuiduorum numerum minimè ęqualem esse; cum generalissima sint tantùm decem; specialissima in numero à natura determinato ac finito, indiuidua verò infinita.

Hæc verba Porphyrij duplici animaduersione digna sunt. primo quia verum non videtur, infinita esse alicu-

D ius speciei indiuidua: vt enim doctissimus Ammonius in hoc loco asserit, imo est phylosophicum placitum, & ab omnibus concessum, videlicet, illud esse infinitum, cui additio fieri minimè potest, & infinito infinitius admitti absurdissimum existimatur; igitur si sub vnaquaque specie indiuidua sunt infinita, clarissimè sequitur infinitius infinito dari, quod ab omnibus absurdissimum censetur: sequela sic manifestatur, cuiuscūq, nāq; speciei indiuidua erūt infinita, quia par omnibus ratio existit, quo cōcesso, tūc duarū,

vel

vel trium, vel plurium specierum indiuidua coassumantur, ergo cum vnaquæque illarum specierum seiunctim sumpta, contineat infinita indiuidua, clarissime sequetur infinitius infinito dari quia ex plurimis diuersarum specierum indiuiduis id quod aggregatum est, infinitius eo reddetur, quod vnius tantùm speciei continet indiuidua, licet ea ipsa adhuc infinita sint, quod totum falsissimum esse perbellè Ammonius deducit.

Ad hanc dubitationem sunt quidam, qui etiam ad mentem Porphyrij asserunt indiuidua alicuius speciei, secundum se non esse infinita, sed tantùm quo ad cognosci, non aliter quam species specialissimæ, quæ ab Authore assignantur in quodam numero incerto ac indeterminato respectu nostrę cognitionis, & si quo ad naturam ipsarum numerus cærtus ac determinatus sit: quam solutionem confirmant ex verbis quæ subinferuntur, videlicet indiuidua esse ab arte relinquenda, quia cum sint infinita eorum scientia fieri non potest; ergo dicuntur infinita, quia à nobis cognosci nequeunt. Verùm hæc solutio non solum Porphyrij intentionis aduersatur, sed etiam ipsam literam prorsus confundit: si enim tam respectu specialissimorum quàm indiuiduorum esset eadem Porphyrij intentio, id est quod vtraque respectu nostrę cognitionis tantùm essent infinita, tunc eodem modo de ipsis loquutus fuisset: tamen de speciebus inquit quod sunt in quodam numero non tamen infinito; ac de indiuiduis subiungit indiuidua autem quæ post specialissima sunt, infinita sunt: in quibus verbis clarè liquet quod de nostra cognitione non intendit: sed quando concludit indiuidua esse ab arte relinquenda quia eorum scientia fieri non potest; non habet hunc sensum, indiuidua quia à nobis cognosci nequeunt, ideo infinita sunt; sed potius è conuerso videlicet, indiuidua quia infinita sunt, ideo cognosci non valent, iuxta illud Aristot. in libro primo phys. textu trigesimo quinto infinitum secundum quod infinitum, est ignotum.

Dicendum igitur cum Aristotele in libro tertio de physico auditu in textibus *56.* & *57.* infinitum duobus modis considerari posse: vno modo actu, quo pacto si in hac die infiniti homines superessent, diceretur numerus hominum actu infinitus: alio modo in potentia, quod in numeris manifestatur, quorum augmentum numquam cessat, sed multis datis, plures adhuc, & plures dantur: quo nam modo, si mundus nunquam cępisset, foretque cum perpetua hominum generatione in æternum duraturus, vt antiqui phylosophi posuerunt, tunc infiniti homines darentur in potentia, eo quia his morientibus, numquam cessarent alij & alij nasci continuò & esse: ad rem nostram cum Porphyrius inquit indiuidua sub aliqua specie esse infinita, propositio est intelligenda de infinito in potentia: non enim tot homines præcesserunt, aut sunt, quin plures esse possint: fallit autem de infinito in actu, quod neque secundum magnitudinem, neque secundum multitudinem reperiri potest: species vero vtroque modo hoc est actu & potentia finitę sunt, cum semper eędem sint. Ad argumentum respondetur, quod supponit indiuidua numero reperiri actu infinita, sub vnaquaque specie, vel posse ad actum reduci, quod est falsum sicut in lib. *3.* phy. text. *57.* legitur.

Circa eundem textum sciatur vlterius, quod cum Porphyrius inquit, infinita esse ab arte relinquenda, quia eorum scientia fieri non potest: quod scientia non est nisi de rebus vniuersalibus sempiternis inuariabilibus & eodem modo semper se habentibus, quẽadmodum Aristoteles in libro primo posteriorum text. *7.* scribit hinc Plato ad scientiam saluandam posuit vniuersalia separata: indiuidua autem & singula-

gularia sunt corruptibilia & variabilia, atque vnius ratio in alio nequaquam reperitur, & propter hoc de ipsis nec demonstratio, nec scientia haberi potest; sed sensu & experientia à nobis cognoscuntur, dicente Phylosopho sensus est singularium, intellectus autem Vniuersalium.

Tex. **Descendentibus igitur ad specialissima, necesse est diuidētes per multitudinem ire: ascendentibus verò ad generalissima necesse est colligere multitudinem in vnum: collectiuū enim multorum in vnam naturam species est, & etiam magis id, quod Genus est: particularia vero & singularia è contrario semper in multitudinem diuidunt id, quod vnum est: participatione enim speciei plures homines, vnus homo: particularibus autem & singularibus vnus & communis plures: diuisiuum enim est semper quod singulare est: collectiuum autem & adunatiuum quod commune est.**

IVxta Toleti interpretationem Porphyrius nunc cuidam obiectioni respondet quę talis est, si Generalissima sunt decem tantùm, quam ob causam species, ac indiuidua tot sunt, vt generalissimorum numerū longè excedant? Respondet itaque pro tanto hoc accidere, quia Generalissima cum sint Vniuersalia, sunt omnium suorum inferiorum collectiua, vt è contra inferiora sunt suorum superiorum diuisiua, & multiplicatiua: sed si quis verba Porphyrij fuerit intimius contemplatus: non obiectionem soluere, sed modum ascendendi & descendendi per prædi-A camentalem coordinationem docere, perspiciet: etenim cum illorum numerum, quę in recta linea disponuntur, assignauerit, dixeritque eorum quædam esse generalissima, quędam specialissima, alia verò subalterna: supererat ostēdere, quo nam ordine fiat ascensus & descēsus in his quę in eadem linea reperiuntur; dicit igitur cum in recta linea tria constituantur, scilicet generalissima, media, & specialissima ideo in eorum ascensu & descensu talis ordo B seruādus est: cum à Generalissimis descendimus, atque vsque ad specialissima pertingimus, tunc necessarium est diuidentem per multitudinem ire, multiplicando species, generaque per differentias specificas contrahendo: v.g. substantia quę est genus generalissimū diuiditur per corporeum & incorporeum, quę differentiæ duo subalterna genera constituunt, nempè substantiam corpoream & incorpoream: Corpus vlterius diuiditur per animatum & ina-C nimatum, quæ differentię contrahunt ipsum ad duo alia subalterna genera, scilicet viuum & non viuum: Vlterius viuum diuiditur per sensitiuum & insensitiuum quæ differentiæ constituūt duo alia subalterna genera, Animal scilicet & Plantam: Animal verò per rationale & irrationale diuisum, his differentijs duas species constituit hominem videlicet & brutum: homo autem qui est species specialissima, non est vlterius diuisibilis per essentiales differé-D tias, alioquin sub specialissima specie, aliæ species reperirentur quod est falsum; benè tamen diuiditur per differentias materiales, quæ tantùm humanę speciei indiuidua, vt Sortem, Platonē, ceterosque particulares homines constituunt; & hic est sensus horum verborum, (descendentibus igitur ad specialissima necesse est diuidētes per multitudinem ire:) Sed quando a specialissimis ascendendo tendimus ad generalissima, tunc illam multitudinem in descensu diuisam, in vnum colligimus: exempli gratia, species colligit sub se

omnia quę sub ipsa continentur indiuidua, homo etenim cum sit species, omnes particulares homines complectitur: Genus deinde quod est superius, v.g. Animal, colligit in vnam communem naturam multas species, scilicet hominem, Equum, Leonem, cæteraque Animalia, & sic de singulis superioribus intelligatur, cum ascensus sit: rationem verò ob quā in ascensu fit multitudinis in vnum collectio subinfert, quando inquit, species etenim collectiuum est in vnum omnium eorum indiuiduorum, quæ ipsi subijciuntur; quod etiam generi competit, nam & ipsum est omnium specierum sub se contentarum collectiuum: imo Genus magis collectiuum est, quā sit species: particularia verò & singularia è contra se habent, semper enim in multitudinem diuidunt illud, quod est vnum genere vel specie: & quia dixerat quod species est multorum collectiuum in vnam naturam, ideo per quandam famosam propositionem confirmat hoc dictum, inquiens, participatione speciei plures homines sunt vnus homo, ergo plures hoc est, omnes homines ratione speciei in vnum colliguntur, quod intelligitur quo ad vnicam rationem & essentiam, quam habent communem, quatenus homines sunt: & eadem ratione plures species sunt vnum Animal: vnde concludit quod singulare est semper diuisiuum, Vniuersale verò semper collectiuum.

Circa quem textum, hoc notatu dignum nobis obuiam venit, quod cum Author fatetur singularia esse semper diuisiua: singulare apud phylosophos duobus modis capi consueuit, vno modo simpliciter, & sic est idem quod indiuiduum, vt Sortes, Plato, &c. alio modo, secundum quid, siue in respectu, seu in comparatione, quo pacto minus Vniuersalia ad magis Vniuersalia comparata consueuerunt singularia appellari, v.g. species respectu generis dicitur singulare: Igitur quando Author asserit singularia diuidere, & multitudinē constituere, intelligendum est hoc assertum de omnibus singularibus, tam simpliciter, quam in respectu sumptis: etenim quemadmodum indiuidua vt Sortes & Plato diuidunt speciem scilicet hominem; ita species, v.g. homo & Leo diuidunt genus, scilicet Animal: verum est quod non eodem modo fit diuisio generis in species, & speciei in indiuidua, prima namque est formalis, & per specificas differentias consumitur: secunda autem materialis, ac per materiales differentias perficitur: at quæ dubitationes circa eundem textū soluendæ, occurrunt, ad sequentem dilucidationem differantur.

Dilucidatio 9.

Dubitationes, & propositiones aliquæ circa proximum elucidatum textum exponuntur, & declarātur.

SApientes omnes in hoc conueniunt, ac hi pręcipuè qui Aristotelis doctrinam sectantur, quod principium plusquam dimidium totius sit, vt ipsemet phylosophus in libro primo Eticorum cap. 3 docet: hinc Flaccus cęcinit, dimidium facti, qui benè cæpit habet: ex quo colligitur quanti momenti, quantęue vtilitatis sit principia omniū tractatuum benè peragere: igitur cū illa, quæ à Porphyrio in hoc libello docentur, sint tanquam quædam principia nō solum ad ea quę in logica, verumenimverò, & ad hęc quę in phylosophia cōsiderantur, propterea rectè ea pertractare ad reliqua maximę vtilitatis erit: multa in pręcedenti textu dicta sunt, quę dubitationem ferunt, ob id sigillatim peracta dilucidatione egent: primò dictum est generalissima genera, nec plura esse, nec pauciora quam decem.

1 Contra probatur quod sint vnum solum; famosum namque principium apud Priscianum legitur, videlicet, illud quod per superabundantiam dicitur,

tur, vni soli conuenit, sed generalissimum per super abundantiam dicitur, ergo vni soli conuenit, ergo est vnum solum.

2 Præterea, si plura sunt generalissima, ergo quodlibet illorũ est primum principium, & per consequens nullum illorum est altero prius, quod est falsũ; prima consequentia habetur in textu Porphyrij, in quo omnia generalissima, prima principia nominat: secunda clarissimè liquet ex eo quod illorũ vnumquodq; est primum: falsitas manifestatur per Arist. in lib. *7*. metaphys. text. *4*. & lib. *9*. text. 1. asserentem, substantiam esse priorem accidente.

3 Generalissimũ idem est quod prædicamentũ, sed prędicamenta sunt tantùm duo, ergo generalissima sunt tantũ duo: maior habetur in litera: minor probatur Ens diuiditur prima diuisione in substantiam & accidens, sed prędicamentũ substantiæ est vnum tãtum, ergo & prædicamentum accidẽtis erit vnum tantũ: consequens probatur substantia & accidens opponuntur sicut modi ipsorum. s. esse & non esse in subiecto: sed non esse in subiecto dicitur vno solo modo, & conuenit substantiæ, ergo esse in subiecto dicitur vno solo modo, & conuenit accidenti.

4 Prẹterea dicebat Author in litera, quod numerus specierũ nõ est infinitus: Contra species rerum sunt sicut numeri, ex Arist. in lib. 8. met. tex. 10. sed multiplicatio numerorum tendit in infinitum, vt dicitur in lib. 3. phys. tex. *67*. ergo numerus specierum erit infinitus.

5 Item infinitum reperiri in his, quę non sunt essentialiter ordinata, nullum absurdum oboritur, sed species non sunt essentialiter ordinatę, quod ex hoc manifestatur, quia esse & operari vnius. ab esse & operari alterius non dependet, ergo sunt infinitæ.

6 Confirmatur, Differentiæ specierum sunt in numero infinitæ. ergo & species sunt numero infinitæ: cõsequentia sit nota ex eo quod Differẽtiæ sunt, quibus species constituuntur inesse, &

A ab inuicem distinguuntur, vt Porphyrius in capite de differentia docet: Antecedens est Aristot. in lib. *3* metaph. in textu *1*1. vbi probat, quod Differentiæ non sint principia, alioquin principia essent infinita, eo quod differentiæ sunt infinitæ: & textus ibi clarus est.

7 Præterea Porphyrius dicebat, quod terminus descensus in recta linea, est specialissimum, Contra terminus descensus in coordinatione prædicamentali debet esse extremum illius coor-
B dinationis, sed specialissimum non est illius coordinationis extremum, ergo specialissimum non est terminus descensus: maior est manifesta; minor sic probatur, sicut genus prædicatur per se de specie, ita species prędicatur per se de indiuiduo, & sicut species est posterior genere, ita indiuiduum est posterius specie, ergo indiuiduum erit alterum extremum in descendendo, & non specialissima species.

8 Præterea dicitur in litera, quod
C species est multorum collectiuum in vnam naturam magis autem id quod genus est: Contra hanc propositionem sic arguitur, illud est magis collectiuum, quod in se est magis vnum, & cuius naturæ vnitate retenta, minorem distinctionem, res illius naturę inter se compatiuntur; sed species est in se magis vnum, quam genus; atque res sub specie contentę, minorem distinctionem inter se habent, quam res contentæ sub genere, er-
D go species est magis collectiuum quam genus: minor probatur, species enim dicit naturam omnino indiuisibilem formaliter vnde & Athoma dicitur, Genus verò formaliter diuiditur.

9 Item illud est magis collectiuum, quod sub se plura complectitur, sed species complectitur plura sub se, quã genus, ergo species est magis collectiuum: minor probatur sub genere continentur species, quæ sunt numero finitæ, sed sub specie extant infinita indiuidua, sicut in litera dicitur, ergo, &c.

10 Prę-

10 Preterea dixit Porphyrius, quod plures homines participatione speciei sunt vnus homo: Contra hanc famosam propositionem hoc modo obijcitur; si plures homines sunt vnus homo, igitur per conuersionem simplicē, vnus homo est plures homines, & per consequens vnum est multa, quod est falsum, quia vnum & multa opponuntur, ex libro 10. metaphys.

11 Præterea Aristoteles in libro quarto de physico auditu, inquit, quāuis plures trianguli sint vna figura, tamen non sunt vnus triangulus: ita nunc arguitur, quamuis plures homines sint vnum Animal, non tamen sunt vnus homo.

12 Præterea Arist. in lib. 5. met. c. de vno, ait Vniuersaliter secundum quod aliqua habent indiuisionem in aliquo, sic sunt vnum in illo; sed plures homines habent indiuisionem in homine, ergo simpliciter sunt vnus homo: minor probatur ex eo quòd forma hominis vniuocè inest eis.

13 Præterea, si plures homines participatione speciei sunt vnus homo, ergo plurium hominum vna esset essentia, sed liquido apparet quod essentia Sortis distinguitur ab essentia Platonis, ergo non sunt vnus homo.

Ad soluendas has dubitationes, fundamenta aliqua iacere non necessariū est, eo quod harum authoritatum expositores nō multum sibi inuicem aduersantur: & quia tria priora argumenta, prædicamentorum numerum tangunt, tunc subtilius discutientur quando ad illius tractatus initium peruenerimus: ad rem verò præsentem, vt huius facilior intelligentia habeatur, sit satis illa & reliqua simpliciter soluere.

Ad primum Scotus in questione vndecima prædicamentorum, ad secundum principale respondet primò quod propositio Prisciani vera est in vno & eodem genere, & ita in vno genere est vnum generalissimum tantùm; sed non sequitur ergo simpliciter est tantùm vnum. secundo respondet quod

A superlatiuum duobus modis exponitur, vno modo positiuè per excessum omnium aliorum: alio modo priuatiuè per non excedi ab aliquo alio: primo modo nullum est generalissimum simpliciter, quod sit omnibus alijs absolutè generalius: sed tantùm in aliquo genere, id est generalius omnibus alijs in suo genere: at secundo modo quodlibet illorum est generalissimum, quia alterum nō est altero generalius: & tunc Prisciani propositio vera est,
B prout superlatiuum positiue exponitur; non autem priuatiuè, quia hoc modo multa possūt esse prima, ita vt nihil sit aliquo illorum prius in suo ordine.

Ad secundum negatur consequens: ad cuius probationem respondetur, quod substantia & accidēs duobus modis considerantur, vno modo respectu suarum coordinationum, & inferiorū; exempli gratia substantia respectu illorum, quæ sub ipsa continentur: & quantitas respectu illarum quātitatum, quæ
C sub ea sunt, & sic quodlibet generalissimum est primum principium respectu suorum inferiorum: secūdo modo quàtenus ad inuicem comparantur, & hoc modo substantia est prior accidente, quia est omnium accidentium fundamentum.

Ad tertium negatur minor; ad illius probationem negatur consequens: ad cuius confirmationē respōdetur, quod nō esse, vel esse in subiecto, duobus modis sumitur: & primò non esse in subie-
D cto sumitur purè negatiuè, & sic opponitur cōtradictoriè ad esse in subiecto, sed hoc modo sumptum, non est modus substantiæ: alio modo positiuè, vt sit idem quod esse non in subiecto, sic est modus substantiæ: sed hoc modo sumptum non opponitur ei, quod est esse in subiecto, sicut nec substantia opponitur accidenti, sed sunt modi disparati: quapropter necessarium non est, quod si esse non in subiecto dicitur vno modo, quod esse in subiecto non dicatur pluribus modis, cum non sint modi oppositi.

Ad

Ad quartum respondetur, quod illa propositio species rerum sunt sicut numeri, est vera quo ad aliquas conditiones tantum, & præcipuè quo ad additionem, & substractionem alicuius essentialis differentiæ: nam quemadmodum numeri variantur per additionẽ, vel substractionem vnitatum; ita specierum fit variatio per additionem vel substractionem alicuius essentialis differentiæ; & ad hunc sensum Aristoteles eam protulit. fallit autem quo ad protensionem in infinitum: quia species rerum, neque actu neque potentia sunt numero infinitæ: sic glosat illam propositionem. D. Thom. in lib. 1. contra gentiles cap. 54.

Ad quintum solutio haud facilis est, sicut quidam existimant. nam alij distinguunt, quod aliqua esse essentialiter ad inuicem ordinata, duobus modis intelligitur; vno modo, quo ad esse & operari simul, sicut aliquæ causę effectiuæ dicũtur essentialiter ordinate, quia omnes simul causant, ita vt inferior sine superiori causare nequeat; & hoc modo species non sunt essentialiter ordinatæ: nam specierum vna perempta, v.g. specie Asini, adhuc superesset Equus, cum propria operatione sibi competenti: secundo modo aliqua dicuntur inter se essentialiter ordinata, quia nequeunt esse eiusdem gradus, & perfectionis, & hoc modo species rerum dicuntur inter se essentialiter ordinatæ quia impossibile est reperire duas species, quę sint eiusdem gradus & perfectionis. & ideo ob hanc essentialem ordinationem, species in infinitum multiplicari nequeunt.

Verùm hęc solutio ad propositũ argumenti, nullius momenti est: quoniã hæc secunda essentialis ordinatio, non impedit, quin species multiplicari possint in infinitum, ratione, iã dicta, quia esse & operari vnius, ab esse & operari alterius non pendet: ideo sicut nunc sunt species inęqualis gradus & perfectionis, ita essent in numero infinito.

Alij respondent quod Porphyrius A in illo loco loquebatur de speciebus rerum, quę nunc actu reperiuntur, & has dixit esse in quodam numero non tamen infinito; sed an species possint multiplicari, vel in infinitum protendere, non erat ad rem Porphyrij.

Alij distinguunt, quod aliter loquẽdum est secundum veritatem, & aliter secundum phylosophos: nam secundũ quosdam phylosophos, quia prima causa agit de necessitate naturæ, & est finiti vigoris, vt Arist. & Auerroes in lib. 8. B phys. tex. comm. 78. voluisse videntur, ob id quia illius virtus ad aliquem effectum finitum determinatur, non potest producere perfectiones specificas infinitas: sed secundum veritatem, quia prima causa est infiniti vigoris & virtutis, ideo ad nullum præfissum numerum rerum determinatur, ita vt infinitum secundum multitudinem etiam specificam producere nequeat: sic Gregorius Ariminensis & nominales in primo sent. dist. vel 43. vel 44. & Paulus C Soncinas super librum 12. metaphys. quæst. 5. pluribus rationibus probare contendunt.

Alij vt S. Thom. p. p. q. 7. art. 3. & 4. & Durandus in primo sent. asserunt huiusmodi infinitum reperiri non posse, non quod id eueniat ex impotentia primæ causę, sed ob repugnantiam & contradictionem, quæ contingit posito infinito: & vt veriori sermone loquantur; D non asserunt Deum nõ posse facere infinitum, sed potius ipsum infinitum nõ posse effici vllo modo, ita vt impossibilitas infiniti intelligatur non prouenire ex parte Dei, sed ex parte ipsarum rerum.

Veruntamen quicquid de his opinionibus sit, quoniam hoc quęsitum, theologicum magis est, quam logicum; ideo ad solutionem argumenti, dicatur nunc, quod species rerum sunt finitæ: & quoniam sunt ordo & perfectio Vniuersi, quod est quoddam finitum; ob id in infinitum multiplicari nequeunt: ad illam authoritatem, in his quæ non sũt essentialiter ordinata, multiplicari in infi-

infinitum nullum absurdum oboritur: respondetur quod est vera, in his quę non sunt de perfectione & ordine vniuersi, quemadmodum sunt ipsarũ specierum indiuidua: quę multiplicatio non est tota simul, sed successiua, vt iã dictum est. modos species rerum & si nõ sunt inter se essentialiter ordinatæ, sunt tamen de ordine & perfectione totius Vniuersi.

Contra hanc solutionem forsitã aliquis sic instabit: species figurarum & numerorum sunt species: & in his datur processus in infinitũ: ergo species multiplicantur in infinitum.

Soluitur hoc argumẽtum ex doctrina D. Tho. vbi supra ad secundũ quod species figurarum habent infinitatem ex infinitate numeri. sunt enim species figurarum, vt Trilaterum, Quadrilaterum, & sic inde; vnde sicut multitudo infinita numerorum, non reducitur in actum vt sit tota simul, ita nec multitudo figurarum: Vel vt alij dicunt, species quæ habent esse reale, & sunt de perfectione Vniuersi, debent omnes actu existere: species autem numerorum, quę procedunt in infinitum, habẽt tantum esse intelligibile: neque sunt de perfectione Vniuersi, quam ob rem nullum oritur absurdum, si in ipsis sit processus in infinitum, ita vt nunquam ad actum reducantur, sicut Aristot. in libro tertio de physico auditu textu 68. liquidò scribit.

Ad sextum respondet Auerroes in lib. 3. metaphys. comm. 11. quod Aristoteles dixit Differentias esse infinitas secundum probabilitatem hominum, eo quod numerari à nobis non possunt. tamen non dubitatur eas apud naturam esse in numero finitas: ita & magnus Albertus eundem locum interpretatur.

Ad septimum respõdetur, quod specialissimum esse extremum, vel terminum descensus in coordinatione prędicamentali, duobus modis intelligi potest; vno modo quod sit terminus simpliciter eorum omnium, quæ in recta linea collocantur; & sic non specialissi-

A mum, sed indiuidua sunt vltimus terminus: nam etiam indiuidua ponuntur ibi per se, vt supra dictum est: alio modo quod sit extremum, & terminus eorum predicabilium, quæ de alijs per se prædicantur; & hoc modo intelligitur specialissimum esse terminum descensus, quia est vltimum inter prædicabilia, quę de alijs per se prædicantur: eo quod post specialissimum, non nisi indiuidua sunt, quæ de alijs non prędicantur.

B Ad octauum est solutio Caietani receptissima, quod esse magis collectiuũ dupliciter contingit, vno modo extensiuè, alio modo intensiuè; primo modo Genus est magis collectiuum, quia non solùm species, sed etiam suarum specierum omnia indiuidua complectitur, quare ad plura se extendit: sed secundo modo species est magis collectiuũ, quia contenta sub ipsa, maiori vnione vniuntur; eo quia indiuidua alicuius speciei, non nisi materialibus conditio-

C nibus ab inuicem distinguuntur: species verò sub vno genere cõtentæ, specificis differẽtijs ab inuicem separãtur.

Circa hanc eandem propositionem, non est sub silentio prętereundum, illud quod Paulus Venetus adnotauit, scilicet, quod cum sint quędã Vniuersalia, siue species, quæ non nisi vnicum indiuiduum actu habent, ac per consequens non multa, sed vnum tantũ sub se colligunt: tamen aptitudine de pluribus dicuntur, quia species ex sua na-

D tura non magis ad vnum, quam ad plura determinatur: hinc melius dicitur, vniuersale est collectiuum multorum, quam colligit multa, quia ly collectiuũ aptitudinem designat, quę vniuersaliũ naturam consequitur, & ly colligit actũ importat: pari ratione de singulari loquendo, dicitur, singulare est diuisiuũ, quod aptitudinem importat: & non diuidit, quod actum designat.

Ad nonum respondetur, quod duplex est continentiã, vna per se, alia per accidens: Genus plura continet per se, quia in plures species per oppositas diffe-

differẽtias necessario diuiditur; nam generis natura in vnica tantum specie saluari nequit, vt paulò inferius dicetur: at per accidens species plura continet: etenim cum speciei natura in vnico indiuiduo saluari valeat, contingit tamen per materialem diuisionem indiuidua sub vna specie multiplicari; modo de continentia per se, & non per accidens sermo est.

Ad decimum conceditur quod vnus homo est plures homines; & quod plures homines sunt, vnus homo: sed distinguendum est, quod ly vnus bifariã consideratur, numericè, & specificè, quapropter iuxta diuersum hunc vel illum sensum, propositiones verificãtur: nam vnus homo specie, est plures homines numero per materialem diuisionem: & plures homines numero sunt vnus homo specie: hinc omnes expositores nos monitos fecerunt, quod Porphyrius non protulit propositionem dicendo absolutè, plures homines sunt vnus homo, sed cum additione, scilicet participatione speciei; quæ conditio diminuit ly vnus, contrahens ly vnum, ad vnitatem specificam, & est ac si diceretur plures homines participatione speciei sunt vnus homo: vel plures homines sunt vnum in homine denominato species.

Ad vndecimum nonnulli distinguũt de duplici vnitate, continentiæ videlicet, & prædicationis: cum autem Aristoteles inquit quod plures trianguli sunt vna figura, & non vnus triangulus, loquitur de vnitate continentię ad hũc intellectum, quod plures trianguli sub eadem differentia figurę, quod est habere angulum, continentur; & non sub eadem differentia trianguli, loquendo de triangulis diuersarum rationũ, quales sunt Isocheles, gradatus, ysopleros, &c. igitur qui dantur plures species trianguli, hinc est, quod omnes sub vna figura, tanquam sub vno genere continentur, & non sub vno triangulo specifico, cum non sit vna species communis ad omnes triangulos: & propter hoc,

A non est verum dicere, quod plures triãguli sunt vnus triangulus: sed omnes homines sub communi homine continentur.

Ad duodecimum Scotus q. 22. Vniuersalium, respondet, quod consequens non valet, plures homines habent indiuisionem in homine, ergo sunt simpliciter vnus homo: eo quod in antecedente, ly in homine, stat vt determinabile, quod est dicere specificè, quia vt species, ad plura determinabilis est: in

B consequenti verò stat vt ad vnum singulare determinatum: vnde in huiusmodi rationibus committitur fallacia à secundum quid, ad simpliciter; quia ly participatione speciei, diminuit ly vnus homo.

Ad decimum tertium, Conceditur quod est vna & eadem essentia specifica: sed distinguitur indiuidualiter: & hoc modo præfatæ dubitationes, sint à nobis determinatæ.

C

Dilucidatio 10.

Tex. Assignato autem genere & specie, quid vtrunque eorum sit, & genere quidem vno existente, speciebus verò pluribus, (semper enim in plures species diuisio generis est,) genus quidem semper de specie

D prędicatur, & omnia superiora de inferioribus: species autem neque de proximo sibi genere, neque de superioribus: neque enim conuertitur.

Meminisse necessarium est, ea quę supra dicta sunt, videlicet in continuatione huius textus Porphyrius tria agere, ac tractare intendebat: numerum generalissimorum, specialissimorum, ac indiuiduorum assignare &

modum

modum ascendendi & descẽdendi per predicamẽtalem coordinationẽ docere: ordinem predicatorum illorũ, quæ in recta linea disponuntur, explanare: duobus primis iam expletis, ad tertium dilucidandum in presenti dilucidatione accedit: atque iuxta Caietani interpretationem, tria facit penès tres regulas, quas in huiusmodi ordinis explanatione assignat: ad quas tamẽ assignandas non nulla eorum quæ superius dixit, paucis verbis commemorat: inquit igitur, assignato genere & specie, quid eorum vtrunque sit; genere quidẽ vno existente, speciebus verò pluribus, eo quod sub vno genere plures species necessariò requirũtur: genus etenim cum per oppositas differentias diuidatur, in pauciores species duabus diuidi haud possibile est: hinc inquit Author, non nullę regulæ assignandæ sunt: quarum prima hæc est; Genus sẽper de speciebus predicatur, & generaliter omnia superiora de inferioribus dicuntur: Secunda hæc est; Inferiora nunquã de superioribus predicantur, ex quo fit consequens, quod species neq; de proximo sibi genere, neq; de superioribus dicitur: quæ duę regulę, ex iam assignatis definitionibus tùm generis, cùm speciei sequuntur: dictum namq; est, genus esse illud quod de pluribus & differentibus specie, in quid predicatur: & species esse illud, quod de pluribus & differentibus numero in quid dicitur: igitur quia Genus est superius respectu omnium suarum specierum; & species respectu omnium suorum indiuiduorum; sequitur quod Genus de suis speciebus, & species de suis indiuiduis predicantur, ac per consequens omnia superiora de inferioribus dicuntur.

Sed cõtra hanc primam regulam sic obijcitur: hæ sunt aliquæ predicationes Animal est homo: homo est Sortes: & tamen in his nõ maiora de minoribus, sed minora de maioribus, species de genere, & indiuiduũ de specie predicãtur.

Ad intelligẽdum, has & similes predicationes, notandum ex Zimara in

A theorematc 34. ex Caietano in hoc loco, & ex Soto in q. 5. super prologũ Porphyrij, quod predicatio est duplex: vna directa, quam Toletus in c. de genere q. vltima, predicationem ordinatã appellat, & Auerroes in libro septimo metaphys. com. quinquagesimo nono & 4. phys. com. 33. naturalem vocat: alia est indirecta, quam illimet inordinatã, siue innaturalem nuncupant: predicatio directa, siue naturalis est, quando in propositione subiicitur id, quod subijci

B debet, & predicatur illud, quod predicari debet: indirecta verò, siue innaturalis est modo opposito. s. quando in propositione id quod debet subijci, predicatur, & illud quod predicari debet, subijcitur.

Pro qua re sciendum est, quod in propositionibus subiectum habet modum materiæ, & prædicatum formę, etenim propositiones à prædicatis specificantur: & quia respectus inferiorum ad superiora, & subiectorum ad accidẽ-

C tia est respectus materię ad formam: nam superiora continent, & inferiora continentur, & respectus continentis ad contenta est respectus formæ ad materiam, sicut dicitur in lib. 4. phys. textu 49. & 4. cœli textu 34. & primo de gener. text. 50. & respectus subiecti ad accidentia, est respectus materiæ ad formam, vt ait Auerroes 4. metaphys. comment. secundo. Ideo quotiescunque superiora de inferioribus, aut accidentia propria vel communia de su-

D biectis predicantur, tunc illæ predicationes sunt directæ & naturales: & per oppositum quando inferiora de superioribus, vel subiecta de accidentibus dicuntur, tunc eæ predicationes sunt innaturales, indirectę & per accidens: ad rem verò nostram, cũ dicitur quod superiora predicantur semper de inferioribus: hæc regula debet intelligi de predicatione directa, quæ est propria predicatio: sed quando species de genere, vel indiuiduum de specie dicuntur, tunc fiunt predicationes indirectæ, innaturales, & secundum quid.

1 Contra hanc resolutionem sic instatur, demonstrato aliquo particulari homine, tunc manifestum est, quod ille homo est Animal; ergo verum est dicere hoc Animal est homo, in qua tamen propositiones, minus & inferius, de maiori, & superiori prædicatur.

2 Preterea hæ sunt prędicationes directæ, nasus est simus; numerus est par; in quibus tamen inferius de superiori prædicatur: nam & si prędicatum sit forma, tamen est inferius subiecto; ergo in prędicatione directa inferius de superiori prædicatur.

Ad primum conceditur, quod illa prædicatio sit directa, quoniam & si homo per comparationem ad Animal nō sit forma: tamen per comparationem ad hoc indiuiduum demonstratum, se habet tanquam illius forma.

1 Hinc ad huiusmodi prędicationes cognoscendas, quatuor Regulæ scitu dignæ, notandæ sunt: quarum prima sit hæc: propositiones subiectorum singularium, debet regulari esse directas vel indirectas ex parte suppositi, & non significati formalis nominis modificati signo singulari: ideo demonstrato aliquo homine, siue dicatur hoc animal, siue hæc substantia, propositio est directa, quia ly hoc contrahit ly Animal, vel substantiam ad suppositum demonstratum.

2 Secunda, propositionum eorumdem extremorum communium, si affirmatiua est directa, & negatiua est directa: & si indefinita est directa, vniuersalis exponibilis erit directa; quare hæ omnes sunt directę, homo est Animal, nullus homo est Animal, tantùm homo est Animal; sed cōuertentes earum indirectæ sunt.

3 Tertia si prædicatio sit directa, vbi vnum accidēs de alio prædicatur, tunc illius conuertens est pariter directa; v.g. si dicatur album est dulce, & conuertatur dulce est album.

4 Quarta, ad cognoscendum quando prædicatio est directa, satis erit cognoscere si res per prędicatum significata se habet tanquam forma substantialis vel accidentalis respectu subiecti de quo dicitur: dummodo non sit ipso subiecto inferior.

A

Ad secundum quid quid Caietanus dicat: negatur quod hæ prædicationes, nasus est simus, numerus est par, sint directæ, sicut paulo inferius dicetur.

Tex. Oportet enim aut æqua de æquis prædicari, vt hinnibile de Equo: aut maiora de mino-
B ribus, vt Animal de homine: minora verò de maioribus minimè: neque enim dices Animal esse hominem, quemadmodū dices hominem esse Animal.

IN assignatione primæ regulæ, in qua docuit, genus de specie, speciem de indiuiduo, ac superiora de inferioribus semper prædicari: secundam simul insi-
C nuauit, quando subintulit (species nunquam de genere sibi proximo prædicatur, neque de superioribus) ideo in hoc textu iuxta Caietani clarissimam expositionem, Author intendit ex quadam fundamentali propositione, hanc secundam regulam in speciali sic declarare: Omnis vera, recta, ac propria predicatio est, quando æquale de æquali, vel maius de minori dicitur, sed species nō est generi ęqualis neq; eo maius; quod etiam de indiuiduo, respectu speciei
D cui subest asseritur, ergo species de genere, & indiuiduum de specie, numquā prędicantur: maior ab omnibus est receptissima: minor probatur, species nō æquatur generi, quia æqualitas de qua nunc est sermo, inter illa reperitur, quę sunt ad inuicem cōuertibilia, sicut species & illius propria passio: v.g. sumantur homo & risibilitas: valet etenim argumentum homo est, ergo risibile est, & conuertitur, risibile est, ergo homo est: sed non valet si Animal est, ergo homo est: & ita fit consequens, quod cum species non æquetur generi, neque sit eo ma-

eo maius, quod de illo prædicari non
possit.

1 Contra hanc fundamentalẽ pro-
positionem sic arguitur:ista predicatio,
numerus est par, est prædicatio proprij
de sua specie, nam par extra numerum
non reperitur; & tamen non est predi-
catio equalis de equali, quoniam pre-
dicatum est suo subiecto inferius.

2 Præterea non videtur verum,quod
Animal predicetur de homine, tanquã
maius de suo minori: illud quod præ-
dicatur de aliquo,prædicatur de eo, se-
cundum esse,quod in ipso habet;sed ge
nus non habet idem esse in vna specie,
quod in alia habet, quia per oppositas
differentias ad illas contrahitur, ergo
non prædicatur sicut maius de minori,
sed sicut æquale de æquali.

Ad solutionem prioris dubitationis,
notandum quod predicatio æqualis de
æquali est predicatio proprij de sua spe
cie,cuius est proprium;v.g risibilitas de
homine,quæ dicuntur æqualia,vel pro-
pter continentiam, quia alterũ non ex-
cedit alterum, vel propter mutuã con-
uersionem in propositione predicatiua,
vt supra dictum est. Verum est tamen,
sicut Arist,in lib. 1.poster.tex.10.docet,
species rerum sunt in duplici differen-
tia,quædam, quæ simplicem proprieta-
tem habent, quemadmodum homo ri-
sibilitatem, Equus hinnibilitatem: &
aliquę oppositam,vt numerus par & im
par;linea rectum & curuum;nasus simú
& aquilinum: in his igitur speciebus
simplicem proprietatem habẽtibus, fit
predicatio æqualis de æquali, & dire-
cta, quando dicitur homo est risibilis,
Equus est hinnibilis:in illis autem quæ
oppositam proprietatem habent, tunc
fit predicatio per se, æqualis & dire-
cta,quando fit disiunctiuè;v.g dicendo,
numerus est par vel impar; nasus cur-
uus vel aquilinus;linea recta vel curua:
nam hoc modo dicitur predicatum
ęquari subiecto,& è conuerso, eo quod
numerus quo ad totum suum ambitũ,
est par vel impar, & omne quod est par
vel impar est numerus,& sic de alijs in-

A telligitur: hinc illæ predicationes, nu-
merus est par,nasus est curuus,linea est
recta,non sunt ęqualis de æquali, neq;
directæ, quoniam & si par respectu nu-
meri,respectu lineę rectum, & respectu
nasi aquilinum, se habeant tanquã for-
ma, tamen ipsum predicatum est suo
subiecto inferius, quapropter hæ sunt
veræ per accidens, numerus est par,na-
sus est curuus, eo quod hic aquilinus,
& ille impar esse potest: similiter hoc
idẽ est affirmandũ de illis propositioni-
B bus in quibus differẽtię diuisiuæ de suo
genere predicãtur; vt si dicatur Aĩal est
rationale, Aĩal est irrationale; Corpus
est animatũ, Corpus est inanimatũ: nã
in huiuscemodi predicationibus, pre-
dicatum est semper suo subiecto infe-
rius,quare indirectæ dicuntur: at si di-
catur Animal est rationale vel irratio-
nale, Corpus est animatum vel inani-
matum, tunc sunt predicationes dire-
ctæ:ex his dictis patet solutio ad primã
obiectionem: & ad secundam respõde-
C tur quod Genus predicatur de specie
sicut maius de minori, vt Porphyrius in
litera asserit: & ad argumentum respon
detur, Genus bifariam considerari pos-
se,primò secundum essentiam,& sic Ge
nus est totum in qualibet suarum spe-
cierum,secundò secundum potentiam,
& sic non contrahitur ad vnam solam
speciem,cum per oppositas differentias
possit ad plures contrahi.

D *Text.* De quibus autem spe-
cies prędicatur, de his necessa-
riò & speciei Genus prædicabi-
tur, & generis genus vsque ad
generalissimum: si enim verum
est dicere Socratem hominem,
hominem autem Animal, Ani-
mal autem substantiam: verum
est & Socratem Animal dicere,
atque substãtiam; semper enim
cum superiora de inferioribus
prædicentur, species quidem

de in-

de indiuiduis prędicabitur, genus autem & de specie, & de indiuiduo: Generalissimum verò de genere, vel generibus, si plura sint media, & subalterna, & de specie, & de indiuiduo. Dicitur enim generalissimum quidem, de omnibus sub se positis generibus, & speciebus, & indiuiduis: genus autem quod ante specialissimum est, de omnibus specialissimis & indiuiduis: solum autem species de omnibus indiuiduis: indiuiduũ autem de vno solo particulari.

Tertia regula hęc est, de quibus species predicatur, de his necessariò & speciei genus, subintelligatur proximum, & generis genus videlicet subalternum, vsque ad generalissimum scilicet inclusiuè predicatur: v.g. si verum sit dicere quod Sortes est homo, homo Animal, Animal corpus animatum, Corpus animatum corpus, & Corpus substantia: verum etiam erit dicere, quod Sortes est homo, & Animal, & corpus animatum, & corpus, & substantia: quapropter si species de indiuiduis predicatur, & Genus proximum de specie, & Genera subalterna de inferioribus, & tandem genus generalissimum de omnibus sub se contentis inferioribus predicabitur: quę regula ex doctrina Aristotelis in ante predicamentis confirmatur, cum dicit, quando alterum de altero predicatur vt de subiecto, quęcunque dicuntur de eo quod predicatur, omnia etiam de subiecto dicuntur; vt si homo de quodam homine predicatur, & Animal de homine, ergo & de quodam homine Animal predicabitur, quidam enim homo, & homo est, & Animal hanc eandem regulam docet phylosophus in lib. 4. topicorum in explanatione locorum 15.

A & 16. Tandem Porphyrius concludit quod indiuiduum sub specie specialissima immediatè contentum, de vno solo particulari predicatur.

Circa hanc tertiam regulam, sciendum quod quęlibet harum predicationum, in qua superius de suo inferiori predicatur, est directa, per se, & essentialis, distinguuntur tamen per magis & minus mediatum & immediatum, & per magis & minus Vniuersale: Verbi gratia hęc predicatio est immediata &
B vniuersalis, Sortes est homo: sed hęc est mediata, Sortes est Animal, tamen magis vniuersalis; eoatenus Sortes est Animal, quatenus est homo: & est predicatio magis Vniuersalis, eo quod Animal est homine Vniuersalius: & hoc modo alię predicationes intelligantur, ascendendo vsque ad Genus generalissimũ inclusiue: & hęc sint satis.

C
Disputatio tertia de Specie.

An genus in vnica specie saluari possit.

Dilucidatio I.

D
Argumenta ad partem affirmatiuam, cum tribus notandis proponuntur.

Scribitur ab Aristotele in lib. 3. metaphys. in textu primo: opere pretium esse, volentibus aliquid facultatis habere, benè dubitare: posterior namque facultas solutio eorum est, quæ ante dubitata fuere: igitur cum Porphyrius in superiori lectione insinuauerit, quod genere existente vno, necessarium est plures species sub eo esse: vtilitatẽ maximam fore duxi, quæsitum hoc dilucidare, an genus in vnica specie consistere

sistere queat: & arguitur quod non.

1 Aristoteles in lib. primo post. capite quinto habet hæc verba: & si triangulus non esset alius quàm Isocheles, atque de ipso demonstraretur habere tres æquales duobus rectis, tunc existimandum esset nos vniuersaliter demonstrasse; quæ demonstratio non esset Isochelis vt Isocheles est, sed vt triangulus: sed manifestum est quod triangulus est genus Isochelis, ergo ex hoc loco apparet, quod genus in vnica specie consistere possit.

2 Si nullum esset Animal præter hominem, liquidissimè patet, quod homo tunc prædicaretur de pluribus differentibus numero in quid, ergo homo esset species: sed species est illud quod immediatè ponitur sub genere, ergo talis species. s. homo haberet genus immediatū cōmune, & nullū apparet nisi Animal, igitur in hoc casu Animal esset genus, & vnicam tantùm speciem haberet.

3 Confirmatur, sicut se habet species ad indiuiduum, ita genus ad speciē per conuenientem similitudinem, sed species in vnico indiuiduo saluatur, sicut patet de Sole, de Luna, & de separatis intelligentijs, igitur & Genus in vnica specie consistit.

Ad hoc dicitur similitudinē inter genus & speciē non currere, eo quod de ratione generis & per oppositas differentias diuidi, quę duas species ad minus cōstituūt, at species per materiales differentias in sua indiuidua multiplicatur.

4 Contra hanc solutionē sic arguitur, æquè essentiale est cuiquam, quod in illius definitione æqualiter ponitur, sed prædicari de pluribus differentibus numero æqualiter ponitur in definitione speciei, sicut de differentibus specie in definitione generis, ergo, &c.

5 Genus & species sunt relatiua, teste Porphyrio in cap. de specie, ergo posita vnica specie ponitur genus: consequens probatur ex doctrina Aristotelis dicentis in predicamento ad aliquid, relatiua esse simul natura, quorum vno posito, ponitur & reliquum.

A 6 Quod nullam contradictionē implicat, possibile est esse; sed sub aliquo genere, vnicam tantùm speciem reperiri nullam contradictionem implicat, ergo possibile est esse.

Intellectus huius quæstionis est huiusmodi, an si vnica tantū esset actu species, tūc illud quod superius immediatum est, veram ac propriam generis rationem haberet, si potestate tamen de pluribus speciebus predicaretur; vel necessarium est quod plures species

B actu existant, ad hoc quod aliqua natura dicatur genus. v.g. dato quod non sit alia species Animalis quàm homo, tunc queritur an Animal, quod est ipsi homini immediatè superius, haberet veram ac propriam rationem generis, per comparationem ad ipsum hominem, de quo tantùm actualiter dicitur, concesso tamen quod de pluribus speciebus potestate prędicaretur: vel sub alijs verbis sic exponatur titulus: ponatur quod in Vniuerso non sint multa

C fundamenta. i. multę species fundamentales, vt homo, Leo, bos, Equus, & huiusmodi, quibus species quatenus est secunda intentio applicari possit, sed sit vnū tantum. s. homo, sub Animali positum: tunc quæritur an illud, quod est generis fundamentum, quatenus est secūda intentio. s. Animal possit dici genus, cum sub se non habeat nisi vnicam speciem; sicut diceretur genus, si plures sub se species contineret: sed priusquam ad phylosophorum placita descendamus,

D non nulla notanda apponenda sunt.

Sit primum notandum, Genus logicum, de quo nunc sit sermo, duobus modis considerari contingit; vno modo fundamentaliter, siue materialiter, vel vt alij inquiunt quo ad substratum & naturam, cui cōuenit esse genus; siue primo intentionaliter, seu quo ad esse esśetię quod in hac & in illa natura habet: alio modo formaliter, siue secundo intentionaliter; vel vt alij subiūgunt secundum potentiā suarum differentiarū ipsum diuidentiū, & ad esse specificū contrahentium: etenim genus, & si non

actu, potestate tamen oppositas differentias habet, quibus specificatur, sicut Porphyrius in sequenti capite docet.

Sit secundum notandum ex D.Thoma in tractatu de ente & essentia cap.3. imo ex Porphyrio in sequenti cap. & est sententia Aristotelis in lib.10.metaph. text. 24. & comentatoris in libro 2. de anima com. 8. quod genus & differentia respectu speciei quam constituunt, se habent proportionaliter ad formam & materiam, respectu compositi, quod in natura efficiunt: modo dicatur proportionaliter, quod quemadmodũ materia se habet ad formam & compositum, ita genus se habet ad differentiam & speciem: sed manifestum est ex Aristotele in libro 7.metaph, text. 8. quod materia ex sua natura est quoddam imperfectum: & cum per formam perficitur, non per vnam solam perficitur quo ad totam suam potentiam, sed per plures: ita genus cum sit quoddam imperfectum, atque per specificam differentiam perficiatur, non per vnam solam, sed per plures perficitur quo ad totam suam potentiam.

Sit tertium notãdum alio modo Genus ad species sub se positas; & alio modo species ad indiuidua sub se contenta contrahitur: etenim genus cum ad suas species contrahitur, & in ipsas diuiditur, tunc per diuisionem formalem, idest per formales differentias contrahentes formaliter illius naturam ad diuersas species diuiditur: & quoniam genus formaliter sumptum, non nisi per oppositas differentias diuiditur, quarũ vnaquæque apta nata est, propriã speciem constituere: hinc necessarium est, quodcunque genus plures species, duas ad minus sub se continere: sed species sola diuisione materiali diuiditur, per hoc quod ipsa natura specifica recipitur in materia diuisa per diuersas partes, in quas ipsamet secundum suum esse multiplicatur, vnde plura indiuidua solo numero differentia constituũtur: sed quoniam verborum prolixitas tediũ parit, ideo nunc breuitati studen- A tes, varia phylosophorum placita, rationes, nec non conclusionum dilucidationes, ad aliam lectionem differamus.

Dilucidatio 2.

Referuntur opiniones; Conclusiones elucidantur, & principalia argumenta soluuntur.

B A B omnibus Phylosophis, & præcipuè ab Aristotele in lib. 1.topic.c 9. diiudicatũ est: vanum atq; inutile esse, omnibus contradicere: quod præceptũ nunc ego sequens, in pertractando propositam quæstionem, videlicet, an generis natura in vnica tantùm specie cõsistere queat; non omnes opiniones, sed illas solùm referam, quæ ad rem nostram manifestandam aptę erunt. Igitur de proposita quęstione multiplicia sunt phylosophorum placita: Magnus Al- C bertus in sua logica, tractatu quarto capite 6. Boetius in libro de diuisionibus; D.Thomas in lib. 1.poster.lect. 12. Scotus q.18.vniuersalium, Paulus Venetus in notandis super capitula generis, & speciei, Gratiadeus in cap de genere, Dominicus Flandrensis in primo post.q.17.art.2. Sotus in cap de specie, q. vnica ad secundum, Toletus in eodem capite q.vnica ad tertium: tand m Magister Emilius Vallimbrosanus in libro secundo q. logicalium q 7. hi om- D nes vno eodemque ore fatentur genus ad hoc quod sit genus, ex necessitate requirere sub se plures species: sed hi Doctores non ita in hac positione conueniunt, quin etiam aliquo modo inter se dissentiant.

Magnus Albertus, D Tho. eorumq; asseclæ, asserunt, genus ad hoc quod sit formaliter genus requirere plures species re ipsa actu existentes, ita vt si sub Animali vnica tantùm species. v.g. homo esset, tunc natura generis formaliter accepti, seu quatenus est secunda intentio, consistere haud posset: & hic

est pri-

est primus modus dicendi.

Alij autem quos Scotus refert, arbitrantur quod Genus formaliter sumptum, ad hoc quod sit genus, nō requirat multas species actu existentes, aut potentia, sed aptitudine tantum: nā hi distinguunt potentiam ab aptitudine: quoniā aptitudo est inclinatio alicuius secundum se in aliquid, vel magis non repugnantia, potentia verò est ordo ad actum: separantur hæc duo ab inuicem ita vt vnum sine altero reperiatur: potentia etenim sine aptitudine esse potest, exempli gratia, possibile est graue esse sursum, tamen non est aptum natum ibi esse, quia graui, quatenus graue, repugnat esse sursum: similiter aptitudo sine potentia est; exempli gratia Cęcus est aptus natus ad videndum, quia secundum Aristotelē in post pręd. & in libro quinto metaphys. nihil dicitur priuatum, nisi quando est aptum natum habere habitum: & tamen non est possibile cæcum videre, quia à priuatione ad habitum non est possibilis naturalis regressus, vt in post prædicamentis dicitur: ad propositum verò omne Vniuersale est aptum natum de pluribus prædicari, & in pluribus esse, quia quantum ex sua forma est, ipsi nō repugnat de pluribus prædicari; quæ tamen aptitudo impediri potest, quando ipsa multa non sunt, de quibus Vniuersale prædicetur: & hic est secundus modus dicendi.

Scotus in eodē loco, quasi suæ ipsius propriæ sententię dubius, vtriusque partis argumenta soluit: pro sua tamē sententia, habet tertium modum dicendi, & arbitratur Genus non necessariò requirere plures species actu vel potentia in rerum natura existentes: sed solùm plures species secundum actuale esse conceptum in intellectu per speciē intelligibilem ab induiduis quandoque existentibus acceptam: & est ac si dicat, ad hoc quod genus sit formaliter genus nō est necessarium, quod plures fundamētales species, v. g. homo, Leo, Asinus, Equus, actu existant in rerum natura, in

A quibus speciei intentio fundetur; alioquin rosa nullum habens indiuiduum nunc temporis actu existens, neque tonitruum, neque ecclipsis, quę non existunt, nō essent species: sed sufficit quod talis natura possit actu concipi ab intellectu per illius speciem intelligibilem in intellectu productam à singularibus, quæ olim extiterūt: etenim nullo intellectu nunc cōsiderante, tamē species intelligibilis rosæ, quæ olim extitit, est in intellectu producta: & quoniā huiusmodi species intelligibiles secūdum actuale esse conceptū sēper multæ sunt; ideo

B hæ plures sub vno genere sic habitę sufficiūt ad hoc quod aliqua natura sit formaliter Genus: sed quia in conclusionū dilucidatione veritas manifestatur, ideo ad illas elucidandas veniamus.

Sit igitur prima conclusio, Genus fundamentaliter sumptum, secundum suam essentiam in vnica specie consistere potest; hęc conclusio omnibus Phylosophis receptissima est, nec vnū quidē

C oppositam sententiam defendētem reperio; probatur tamen hac ratione.

Genus fundamentaliter sumptum, v. g. Animal est substantia, Corporea, animata, sēsitiua; Porphyrius in sequenti capite, hoc modo ipsum definit, sed data vnica specie, sit nempe homo, totum in eo reperitur, quod ad Animalis naturam necessario requiritur, esse videlicet, substantia, corporea, animata, sensitiua; ergo genus fundamentaliter sumptū in vnica specie cōseruari potest.

D Sit secunda conclusio, Genus formaliter consideratum, requirit necessario plures actu species ad hoc quod sit genus: probatur his medijs.

1 Primo Authoritate Arist. in lib 4. topic. cap. 3. in explicatione loci 29 in quo hęc verba habet: quoniā inspiciendū autem omnis generis plures species, inspiciendū si non contingat alterā speciem esse dicti generis, nam si non est, manifestum est, quod non erit genus omnino, quod dictum est: & loquitur de actuali existentia specierum, sicut ex textu liquidò apparet.

2 Confirmatur Authoritate eiusdē phylosophi in lib. 7. metaph. textu 43. vbi dicit, si igitur genus simpliciter non est præter eas, quę generis species sunt &c. in quibus verbis manifestū est, quod ad existentiam generis, specierum pluralitatem assignat.

3 Confirmatur Authoritate Porphyrij in hoc eodem cap. dicentis, assignato autem genere & specie, quid eorum vtrunque sit, & genere quidem vno existente, speciebus verò pluribus semper enim in plures species diuisio generis est.

4 Præterea ad eandem conclusionē fulciendam, quidam adducunt hanc rationem: sicut se habet potentia ad potentiam, ita actus ad actum, & è conuerso, sed relatiuum in potentia requirit correlatiuum in potentia, ergo relatiuum in actu requirit correlatiuum in actu, vlterius genus est quoddam relatiuum, & refertur ad species, ergo si debet esse actu genus, debet habere actu suas species.

Verùm si hęc ratio benè examinetur, patebit eum quem volumus intentum non concludere; nam & si verum sit relatiuum in actu ad correlatiuum in actu, & relatiuum in potentia ad correlatiuum in potentia referri: verissimumque Genus ac speciem correlatiua esse: ex hoc tamen processu non sequitur, ergo genus in actu requirit necessariò plures species in actu: nam satis est ex vi relationis quod genus in actu, referatur ad speciem in actu: sed quod genus in actu, referatur (ad hoc quod sit genus,) ad plures necessariò species, prędicta ratio non concludit.

5 Præterea ad eandem conclusionem firmandam, sic arguitur: illud quod ex sua natura est imperfectum & indeterminatum; tamen est perfectibile & determinabile, non alio modo quā per plures & oppositas formas aduenientes, ad hoc quod actu perficiatur & determinatur, requiruntur necessariò & actu plures oppositæ formæ: sed genus ex sua natura est imperfectum &

A indeterminatum, neque alio modo potest perfici ac determinari, nisi per plures & oppositas differentias actu aduenientes, ergo ad hoc quod actu perficiatur & determinetur, requiruntur necessariò & actu plures opposite differētiæ: tunc subditur alius huiusmodi processus, natura generis non est actu perfecta & determinata, nisi quando per formales differentias est ad suas species contracta, vnde in lib. 3. metaph. tex. 11. & in 7. text. 43. dicitur, quod genera nō

B sunt in actu, nisi in suis speciebus: ergo requiruntur necessariò plures oppositæ differentiæ ipsum contrahentes: ex quo fit consequens, quod cum vnaquæquæ differentia generi adueniens propriam speciem constituat, quod Genus ad hoc quod formaliter sit genus, plures species actu postulet; hinc Boetius in libro diuisionum capit. primo concludit, quod sub vno genere, pauciores quam duæ species esse nequeunt: minor propositio prioris processus mani-

C festatur ex proportione, quam genus habet ad materiam, cuius tota potentia non per vnam formam, sed per plures perficitur, ita nec generis natura per vnam differētiam solam habet perfici, sed per plures, sicut in secundo not. dictum est.

Sit tertia conclusio contra Scotum, ad hoc quod Res dicatur genus non sufficiunt plures species actu, secundum esse conceptum in intellectu per speciem intelligibilem acceptam ab indi-

D uiduis, quæ olim extiterunt.

Duo in hac positione Scotus asserere videtur, quemadmodum illius Assec læ ex eius doctrina deducunt: vnum quod species intelligibilis alicuius rei, quæ olim extitit, sit in aliquo intellectu producta, quod posse fieri haud dubium est: alterū ad hoc quod res illa sit, vel dicatur species, non est necessarium quod in rerū natura existat; sed satis est quod per illius speciē in intellectu existentē possit actu concipi: & ita dato q̄ hoc in tēpore nullus flos reperiretur in rerum natura, s. neque rosa, neq; viola,

neque alia species; tamē quia olim extiterunt, & ipsorum species intelligibiles productę sunt actu in aliquo intellectu, ideo ad hoc quod ipsorum genus saluetur sufficit quod plures species floris per propriam speciem intelligibilē olim in intellectu productam, actu percipiantur.

1 Contra hanc positionem his medijs arguitur, si ad hoc quod res sit, vel dicatur Genus, sufficiunt plures species secundum actuale esse cōceptum in intellectu per solam speciem intelligibilem acceptam ab indiuiduis quę olim extiterunt, ergo sequitur quod nulla genericarum predicationum sit vera, vt puta quando dicitur rosa est flos, lilium est flos, & sic de alijs: consequentia probatur ex eo quod ipsi specierum pluralitati, nullum fundamentum in re correspondet, de quo predicatum per se verificetur.

2 Prӕterea dato quod omnes species florum perirent, eorum solis speciebus intelligibilibus in intellectu remanentibus, iuxta Scoti positionem, ergo verum erit dicere, nullus flos est, ergo neque genus erit, nisi secundū imaginationem; ergo species secūdū actuale esse conceptum modo prӕexposito, non sufficiunt ad hoc quod aliqua res sit, vel denominetur genus.

3 Prӕterea si actualis conceptio rei per speciem intelligibilem, requiritur, sicut opinio dicitur, tunc vnum absurdum sequitur videlicet quod omnibus hominibus dormientibus, nulla natura esset species, nec homo, nec Leo, nec rosa, &c. ex quo sequitur sciētiam de specie perituram, vel contingentem esse, ex eo quod quandoque esset, quandoq; non quod ab omnibus absurdissimum censetur. Quod si quis ad Scoti positionem defendendam dicat, Doctorē subtilem, per actualem consideratione, non intelligere aliquam specialem & distinctam, seu singularem considerationem, quoniam sine hac & illa, omnes intentiones secundӕ sunt in actu habituali, siue scientiali: sed intelligit actualē con-

A siderationem in communi, omnem differētiam temporis, nempè prӕteritum, prӕsens, & futurum, comprehendētem: hoc itaque modo illius Asseclӕ eum defensant.

Contra hanc solutionem sic obijcitur: nulla actualis consideratio alicuius rei, & in quacunque temporis differentia sumpta, vel in omnibus simul, reperitur preter hanc & illam actualem, particularem, atque distinctam considerationem; ergo ab hac & illa particulari B consideratione, specierum natura dependet, & ita ad libitum per nouam actualem considerationem, vel cessationem, aliquid logicӕ apponitur, vel ab ea subtrahitur: quod non modicum absurdum extimatur.

Ad argumentum verò, quod in Scoti positione adducebatur, videlicet, si species, secundum esse conceptum, &c. non sufficeret, ergo sequitur quod Rosa, nullum hoc in tempore habens indiuiduū actu existens, non esset species, neque C tonitruum, neque ecclipsis, quę nunc non existunt, &c. multis modis responderi potest.

Egidius super capit. 5. primi lib. post. quem Dominicus Flandrensis in q. 17. artic. secundo sequitur; distinguit speciem bifariam considerari posse, vno modo pro vt in suis singularibus habet actuale esse altero modo vt habet esse in suis causis, hoc est, quaten⁹ est in potentia naturali vt fit: dicitur ergo satis esse, quod rosa, & cӕteri flores ha- D beant esse in suis causis: imo inquit, satis esse, ad esse generis, vt sint plures species habētes esse in suis causis, quare nulla floris specie actu existente nisi in causis, nihilominus flos esset genus.

Verùm quia hęc solutio, primӕ nostrӕ conclusioni haud consona est; in qua determinauimus ad esse generis requiri plures species, nō solū aptitudine, siue potentia, sed actu: & habere esse in suis causis, est esse in potētia, ideo aliter dicendum est: dicatur igitur, quod cum Vniuersum in qualibet hora, cōpletū, ac perfectum sit: hinc fit, ꝙ oēs species,

ad illius perfectionem spectantes, semper actu sunt in eo: etenim & si apud nos in hoc hyemis tempore, rosę, lilia, floresque desint: in alia tamen regione, in qua nunc aut Ver est, vel aeris temperies suauior, benè rosę, lilia, ac flores actu redolent, quibus intentiones secundæ applicari aptè possint.

Ad illud de tonitruo, & ecclipsi, quod maiorem difficultatem parere videtur: vel negetur quod sint species ad Vniuersi perfectionem per se spectantes: vel dicatur quod præsens quæstio, est de speciebus, quę continuum, fixum, ac permanens esse habent: de quarum numero, neque tonitruum, neque eclipsis sunt: his igitur determinatis, superest modo, vt principalia argumenta diluantur.

Ad primum respondetur, quod duplex est Vniuersale: vnum, quod a Porphyrio pertractatur, & est, quod aptum natum est esse, & dici de multis: alterũ quod in primo libro posteriorum capite quinto ponitur: ad esse prioris requiritur quod actu vel aptitudine sit in multis: ad esse verò posterioris, non requiritur aliud, nisi quod predicatũ primò & immediatè insit ipsi subiecto: vnde Aristoteles ibidem ostendit, quod habere tres, respectu figuræ, vel Isochelis non est vniuersaliter demonstrare, quia non competit eis primo, & immediatè, siue secundum quõd ipsum; at benè quidem de triangulo, cui primo, immediatè, & secũdum quod ipsum inest, habere tres.

Ad secundum Paulus & Sotus inquiunt, quod natura generis potest super naturaliter in vnica specie saluari: nam si Deus omnes alias species ab homine corrumperet, tunc in illa vnica hominis specie, generis naturam saluare posset: sed quia apud phylosophos de naturali esse rerum sermo est: ideo aliter dicendum est, quod posito illo casu, scilicet quod non esset nisi homo, tunc generis natura imperfecta remaneret, ex eo quod tota illius potentia, in illa vnica specie non compleretur:

A tamen constitueret tunc illam vnicam speciem, cum illa vnica differentia; incompleta & imperfecta generis natura remanens.

Ad tertium patet solutio ex dictis ibidem: non enim stat similitudo inter genus & speciem, ex eo quod de ratione generis est diuidi per oppositas ac formales differentias, quæ duas species ad minus constituunt: sed species per materiales differẽtias in indiuidua multiplicatur, qua propter Auicenna, species, inquit, potius dicitur multiplicari,

B quàm diuidi.

Ad quartum negatur minor, videlicet, quod predicari de pluribus differẽtibus numero, æqualiter ponatur in definitione speciei, sicut de pluribus specie differentibus in definitione generis: nam ly predicari in definitione speciei, dicit solam aptitudinem, vel non repugnãtiam; quia vnaquequæ species, quatenus species, est apta nata esse, & dici de pluribus: quod si non sit, vel non di-

C catur, ex alio prouenit, vt in sequenti quęstione dicetur: sed in definitione generis ly de pluribus importat necessariam conditionem propter oppositas differentias, quibus Genus formaliter diuiditur; & quarum vnaquequę propriam speciem cõstituere apta nata est.

Ad quintum negatur consequentia: ad cuius probationem, respondetur quod hęc conditionalis, posita vnica specie, ponitur genus, est quidem necessaria de virtute relatiuorum: sed impli-

D cat contradictionem, scilicet, quod possit dari vnica species, posito quod genus quatenus genus, & secundum suam totam potentiam, ad speciem referatur.

Ad sextum negatur minor, videlicet contradictionem non implicare, vnicam tantùm speciem sub aliquo genere reperiri, dummodo sit genus completum, atque perfectum, de cuius intrinseca ratione est, per duas formales differentias ad suas species contrahi: hæc sufficiant.

Disputatio quarta de Specie.

An natura speciei, in vnico indiuiduo actu existente, cõsistere possit.

Dilucidatio I.

Speciei natura in vnico indiuiduo consistere potest.

EADEM, quę de generis natura respectu specierum, difficultas habita est; etiam de speciei natura, per comparationẽ ad indiuidua nunc suboritur, videlicet, vtrum species quatenus species in vnico indiuiduo consistere possit: & arguitur quod non.

1 Illud quod est de intrinseca ratione alicuius, ab eo separari non potest; sed esse in pluribus est de intrinseca ratione speciei, ergo ab ea separari nõ potest: maior clara est; minor probatur de ratione vniuscuiusque Vniuersalis est quod pluribus insit; sed species est quoddam Vniuersale, ergo de illius ratione est, quod pluribus insit: minor patet Authoritate Porphyrij, speciem inter quinque Vniuersalia connumerantis: maior huius secundi processus probatur Authoritate Aristot. in lib. 7. metaph. textu 45. dicentis, Vniuersale est, quod aptum natũ est, vt pluribus insit.

2 Prćterea de ratione cuiuslibet totius est habere plures partes, cum totum sit illud, quod ex partibus constat: sed species est quoddam totum, ergo de ratione illius est plures partes habere: minor est Porphyrij in fine huius capitis dicentis, species verò est totum & pars, sed pars quidem alterius, totum non alterius, sed in alijs.

3 Prćterea sicut se habet genus respectu suarum specierum, ita species A respectu suorum indiuiduorum: sed genus in vnica specie non saluatur, ergo neque species in vnico indiuiduo: minor patet ex prćcedenti quęstione; maior probatur ex eo quod species nõ minus quidditatiuè prćdicatur de suis indiuiduis, quam Genus de suis speciebus.

Sensus huius questionis idem est cũ eo, quo superior questio explanata est: dato enim quod in vnica specie. v. g. in specie Leonis, non sint multa fundamẽ B ta, idest multa fundamentalia indiuidua, vt hic, & ille, & ille Leo, quibus indiuiduum quatenus est secunda intentio applicari possit, sed sit vnum tantùm nempe hic Leo; tunc quęritur an illud, quod est fundamentum speciei, quatenus est secunda intentio, scilicet Leo possit dici species, cum nõ habeat sub se actu nisi vnicum indiuiduũ; quẽadmodum species diceretur si plura indiuidua sub se cõtineret: ad cuius quęsiti clariorem intelligentiam, necessa- C rium est non nulla notanda apponere.

Sit primum notãdum: species est duplex, quędam immaterialis, sicut sunt species cœlestium intelligentiarũ, quę omni materia carent, & sunt formę simplices, & per se subsistentes: alia materialis: & hęc adhuc duplex est: alia cuius tota materia sub vna sola forma actuatur & perficitur: nam sicut supra in quadam quęstione diximus non reperitur nisi vnus Sol, & vna Luna, quia tota materia Solis & Lunę nunc exi- D stentis per illam formam perficitur, ita vt in illa materia nulla prorsus potentia remaneat ad aliam formã recipiendam: nec alia materia reperitur, quę formarum Solis & Lunę nunc existentium sit susceptiua: alia species est, cuius materia quia est diuisibilis, & ipsa forma specifica est multiplicabilis, propter potẽtialitatem quam habet vt ipsi materię vniatur, hinc fit, quod plura indiuidua sub vna specie sunt: sicut patet de forma hominis, Equi, Canis, & huiusmodi.

Sit secundum notandum: materiam

illius speciei, quæ in plura indiuidua multiplicatur, totam reperiri in vno solo indiuiduo illius speciei, duobus modis intelligi potest; vno modo simpliciter, & hoc est falsum, non.n.tota materia humanæ aut Equinæ speciei, in vno solo particulari homine, vel Equo consistere potest: alio modo secundũ quandã proportionem: materia etenim sub certa quantitate signata, vt puta hę carnes, hæc ossa, & cætera materialia, quę hoc indiuiduum constituunt, habent proportionem ad totam materiam speciei, eo quod eiusdem nominis, ac rationis sit: & hoc modo dici potest quod tota materia alicuius speciei, in vnico indiuiduo illius reperiri potest.

A

B

Sit tertium notandum D. Th. in lib. primo post. in lectione 12. quandam rationẽ assignat, qua probat speciẽ in vnico indiuiduo posse consistere; quę talis est: species non diuiditur per oppositas differentias, sed per diuisionem materiæ in plura indiuidua: contingit autem totam materiam alicui speciei proportionatam, sub vno indiuiduo comprehendi, & tunc non est nisi vnum indiuiduum sub vna specie: super quæ verba, quidam recentiores ad pauca respicientes, facilè enunciarunt Diuus Thomam, in his verbis contradictionem implicare: inquiunt enim hanc Diui Thomę rationem contradictionem importare, tùm primò quia asserit speciem diuidi per diuisionem materiæ in plura indiuidua: tum quia mox suddit totam materiam speciei in vnico indiuiduo contineri, quod etiam ab ipso est probandum.

C

D

At si verba Diui Thomæ in prædicto loco benè perpendantur, clarissimè cõstabit, quàm longè hi neoterici à mente D. Thomæ, imo ab ipsius Doctoris verborum intelligentia errauerint: nam D. Thomas in illo loco non de eadem, sed de diuersis materialibus speciebus loquitur; sed liquidissimè ostendit, quod species, quæ in plura indiuidua multiplicatur, non alio modo, quàm ad diuisionem materię multiplicatur; & hoc dicit ad differentiam generis, quod per oppositas differentias diuiditur; quarum vnaquæquæ cum propriam speciem constituere sit apta nata, sit consequens plures species sub illo contineri. deinde suddit, si autem contingat, sub aliqua specie vnum tantum indiuiduum inueniri, hoc ex eo est, quia tota materia alicui speciei proportionata, sub illo vno comprehenditur: quæ verba Diui Thomæ contradictionem aliquam implicant, sit qui videat, & iudicet. sed quo ad modum, quo species in plura indiuidua multiplicatur, aut in vnico consistat, consulatur Diuus Thomas in opusculis, opusculo 48. & in tractatu de ente & essentia capit. quinto. Præterquam quod asserere totam materiam alicuius speciei ex sua natura multiplicabilis, in aliquo vno reperiri, eo modo, quem in secundo notando insinuauimus, aliquod absurdum ex inde oriri, nequaquam videmus: quoniam huiusmodi speciem in vnico, indiuiduo posse consistere, in conclusionibus manifestabimus.

Sit quartum notandum, vnaquæquæ species, siue materialis, siue immaterialis, duobus modis consideratur, primo modo quatenus species est id est, vt est natura in tali ordine rerum, & hoc modo omnis species prædicatur de pluribus actu, vel potentia, accipiendo ly potentia, non quæ dicit aliquod positiuum, sed tantùm non repugnantiam: alio modo quatenus est talis species; verbigratia huius vel illius determinatæ naturę; & sic aliqua species habet quod non dicatur actu de pluribus, sed tantùm de vnico indiuiduo: quod iuxta duplicem specierum naturam, duplici ex causa oriri potest: vel quia illa species omni materia prorsus caret, sed est forma simplex, non in alio, sed per se subsistens, & ita in natura intelligentiarum, quot sunt indiuidua, tot species existunt; quemadmodum Diuus Thomas in tractatu de ente, & essentia

sentia capit. quinto ex doctrina Auicennę optime deducit: vel quia tota materia alicui speciei proportionata, sub vnico indiuiduo comprehenditur, atque ab illius forma totaliter actuatur, & perficitur, sicut patet de Sole & Luna: Verumtamen neque huic, neque illi, quatenus sunt species, repugnat de pluribus predicari; vnde Gabrielleitas, & si quatenus est quædam forma per se subsistens, alteri communicari nequeat, tamen quatenus speciei rationem habet, est de pluribus predicabilis: similiter forma solis, & si actu in vnico indiuiduo sit, tamen si Deus nouam materiam Solis faceret, tunc natura, & species solis in multis esset, atque de multis actu predicaretur: de hac lucidissima doctrina Consulatur Diuus Thomas in tractatu de ente cap. quinto in opusculo 48. capit. tertio in libro quarto contra gentiles cap. trigesimo quinto ac tandem in p.p. quest. quinquagesima in tractatu de angelis: his dictis ac prenotatis, ad conclusiones accedamus.

Sit prima conclusio. Species quæcunque sit, siue materialis incorruptibilis, vt Sol & Luna: siue immaterialis, vt intelligentiæ, in vnico indiuiduo consistere possunt, imo actu consistunt.

Hęc conclusio quo ad species immateriales, satis superque clarescit apud phylosophos & Theologos, qui in natura intelligentiarum, quot indiuidua, tot species constituunt legatur de hac re Sanctus Thomas etiam in questione de spiritualibus creaturis artic. 8. & in libro secundo contra gentes cap. 93. ac specialiter in tractatu de ente cap. quinto in quo concludit, quod cum essentia simplicium non sit in materia recepta, non potest in pluribus indiuiduis multiplicari, ac propterea quęlibet illarum naturarum in vnico indiuiduo consistit: de qua quidem conclusione, nos ob quandam Scoti positionem, super librum secundum sētētiarū disputauimus, & scripsimus.

De speciebus materialibus incorru-

A ptibilibus, ab omnibus receptissimum est, Solis ac Lunæ naturam in vnico indiuiduo consistere, & conseruari: nec multiplicari posse, eo quod tota illorum materia per illam vnicam formam actuatur, & perficitur, ita vt in illa materia nulla potentia prorsus remaneat ad aliam formam recipiendam: nec alia materia reperitur, quæ formarum Solis & Lunę nunc existentium, sit receptiua; de qua quidem con

B clusione legatur Diuus Thomas in opusculo quadragesimo octauo capit. secundo.

Sed de speciebus materialibus, vt homo, Leo, Rosa, & huiusmodi, quarum indiuidua sunt corruptibilia: sunt qui arbitrantur speciei naturam in vnico indiuiduo saluari nequaquam posse: imo illud met quod nos de genere respectu specierum affirmamus, ipsi de specie respectu indiuiduorum asserunt: vnde inquiunt quod sicut genus ad hoc quod sit genus, requirit

C plures species actu sub se, ita species ad hoc quod sit species, requirit plura sub se actu indiuidua: quam positionem confirmant ex eo quod in vtriusque definitione ponitur predicari de pluribus, ergo cum rei definitio aut essentialia, vel ad minus necessaria explicet, videtur quod ad esse speciei plura indiuidua actu requirantur.

Nos verò oppositum sentimus, atque ad mentem D. Thomę, eiusque Asseclarum, dicimus huiusmodi speciem

D in vnico indiuiduo consistere, & saluari posse: etenim cum speciei natura in se sit perfecta, atque ab accidentibus indiuiduorum nullo modo perficiatur, licet per ipsa multiplicetur; hinc fit quod in vnico indiuiduo perfecta manet: qua propter per accidens est quod species in vno, vel in pluribus indiuiduis reperiatur: ex eo enim quod aliquarū specierū indiuidua sunt corruptibilia, tūc species multiplicatur in suis indiuiduis ob intentionē naturę, quę speciei cōseruationē intēdit: sed ex eo quod incorruptibilia sunt, vt Sol, & Luna

tunc

tunc in vno naturaliter cõſeruatur: ſed cum huiuſmodi concluſio ſit omnibus (quibuſdam paucis exceptis,) receptiſſima, ideo hæc quæ dicta ſunt, ſufficiant, & principalia argumenta ſoluantur.

Ad primum negatur minor, ad cuius probationem reſpondetur, quod eſſe in pluribus, eſſe de ratione ſpeciei, quatenus eſt Vniuerſale, duobus modis intelligitur, vno modo actu, alio modo aptitudine: primo modo non eſt neceſſarium, ſed ſecundo modo ſufficit: ſatis namq; eſt ad hoc quod aliquid ſit Vniuerſale, aut quod ex ſe ſit aptum natum eſſe, vel ſaltem ſibi non repugnet in multis eſſe, & de multis predicari, vt ſæpe dictum eſt.

Contra hanc ſolutionem ſic obijcitur: natura nihil facit fruſtra, ſicut Ariſtoteles in lib. 1. cœli text 2. dicit, imo operatur omnia propter finem, ſcribit ipſemet Phyloſophus in lib. 2. phyſicorum text. 75. ergo erit neceſſariũ quod illa aptitudo aliquando reducatur ad actum, ad hoc quod nõ ſit fruſtra; & ita aliquo in tempore erunt plures ſoles.

Ad hoc negatur conſequentia, nam aliud eſt loqui de aptitudine, & aliud de potentia: aptitudo enim conſequitur formam, & potentia materiam: de potentia enim verum eſt, quod eſſet fruſtra, niſi ad actum reduceretur; fallit autem de aptitudine.

Ad ſecundum dicitur quod maior eſt vera de quolibet toto integrali, fallit autem de toto Vniuerſali, de cuius ratione ſatis eſt, quod ſint plures partes aptitudine: modo ſpecies eſt quoddam totum Vniuerſale, vt in fine huius capitis explanabitur.

Ad tertium negatur ſimilitudo, eo quod genus deſcendit ad ſuas ſpecies per diuiſionem formalem; ſpecies verò ad ſua indiuidua per diuiſionem materialem, vt ſepe ſæpius dictũ eſt: ac propter hoc ſpecies in vnico indiuiduo ſaluari poteſt, non autem genus & hæc de preſenti quæſtione ſufficiant.

A

Dilucidatio XI.

Tex. Indiuiduum autem dicitur, Socrates, & hoc album, & hic veniens Sophronici filius, ſi ſolus ſit ei Socrates filius.

Sicut in principio huius capitis diximus, totum hoc caput in tres partes principales diuidebatur, in quarũ prima, multiplicem ſpeciei acceptionem,
B ac eiuſdem definitiones Author aſſignabat: in ſecunda ſeriem & arborem predicabilium diſponebat: in tertia naturam indiuidui, quod omnium predicatorum eſt ſubiectum, declarabat: primis duabus expletis ad tertiam principalem partẽ huius capitis Author nũc accedit: quæ pars, ſicut Caietanus dicit, & ſi ſuperioris textus ſit potius terminus, quam pars ſeparata: nihilo tamen, quia nouam materiam Porphy-
C rius aggreditur, hinc eſt quod huius capitis, locum tertiæ partis ſibi vendicauit: igitur Author de indiuiduo tractaturus tria facit: primo, quid & quotuplex ſit indiuiduum, exponit: ſecundo ob quam cauſam dicatur indiuiduum, & ex quibus conficiatur, declarat ly indiuidua autem dicũtur huiuſmodi, &c. tertio quæ nam habitudo inter genus & ſpeciem, ac indiuiduum reperiatur, docet ly continetur quidem igitur, &c. Quantum ad primum, vt indiuidui de-
D finitio tradita à Porphyrio ſubtilius percipiatur; neceſſarium eſt vt præcedentis textus verba ponderentur; nam huiuſmodi verba ibi habentur: Generaliſſimum dicitur de omnibus ſub ſe poſitis generibus, & ſpeciebus, & indiuiduis; ſolùm autem ſpecies de omnibus indiuiduis: indiuiduum autem de vno ſolo particulari: ex qua verborum ſerie Author inſinuaſſe videtur, quod eodem modo, eademque ratione, qua generaliſſimum de generibus, & genera de ſpeciebus, & ſpecies de indiuiduis predicantur, eademq; indiuiduum predice-

dicetur, hac dumtaxat differentia appo-sita quod indiuiduum de vno particulari tantùm dicitur: igitur cum apud Porphyrium, indiuiduum predicetur, hinc illius definitio colligitur, quę est hæc, indiuiduum est, quod de vno solo particulari predicatur: quam quidē definitionem in cap. generis insinuauit, dum dixit, eorum quæ prædicantur, alia quidem dicuntur de vno solo, sicut indiuidua vt Socrates: quæ definitio an sit vera, post horum textuum dilucidationem explanabitur: Authoritas etenim
B Auerrois difficultatem non modicam parit, eo quod asserat hanc indiuidui definitionem, soli indiuiduo accidentis, & non substantię conuenire: posita indiuidui definitione, Author statim docet, quotuplex sit indiuiduum: atq; tria indiuiduorum genera insinuat, quorum primum consueuit appellari Indiuiduū nominatum, & est illud quod in genere substantiæ est determinatum vt sit hoc, atque nomine proprie nominatur, vt
C Sortes, Plato, Cicero: & hoc est quod in litera dicitur, indiuiduum autem dicitur Sortes, &c. Secundum dicitur indiuiduum confusum, quod nomine communi, cum pronomine demonstratiuo circumscribitur; quod in textu exēplificatur cum dicitur, hoc album, hic veniens: & dicitur confusum, quia nunc pro vno, nunc pro alio accipitur, secundum quod vel hoc, vel illud demōstratur: Tertium est indiuiduum ex suppositione, siue circumloquutum, & est
D illud, quod vel ex aliqua sua proprietate, vel ex aliqua suppositione facta circumscribitur, de quo in litera dicitur, vt sophronici filius, si solus sit ei Sortes filius; quod est dicere, supposito, quod Sophronico patri non sit alius filius, quam Socrates: si dicatur Sophronici filius est sapiens, statim ex suppositione facta, absque eo quod proprio nomine nominetur, intelligitur quod Socrates sit sapiens.

Sed ad faciliorem intelligentiā eorum, quæ in hoc textu dicuntur, aliqua occurrunt notanda, ac quidem scitu digna: igitur sit primum notandum; indiuiduum est duplex, vnum quod dicitur vagum, alterum quod determinatū nuncupatur: indiuiduum vagum est illud quod importat naturam contractā ad aliquod suppositum, & exprimitur nomine communi cum signo particulari, vt aliquis homo; aliquis bos; vel quidam homo, quidam bos; aliquod album, quoddam album: & dicitur vagū, quia nō supponit determinatè pro hoc, aut illo demonstrato, sed ad plura indifferenter, se habet: nam cum dicitur quidam homo currit, supponit indeterminatè pro hoc & illo: indiuiduum determinatum est illud, quod importat naturam contractam ad suppositū determinatū, & quo ad se, & quo ad nos: & hoc est quadruplex: primum determinatur proprio nomine, vt Sortes, Plato, Cicero: secundum determinatur termino communi, cū pronomine demonstratiuo, vt hic homo: tertium ex circumloquutione, per aliquam illius indiuidui proprietatem, vt si dicatur talis homo cum Crasso capite, & longo naso: quartum ex suppositione, vt Sophronici filius, quemadmodū dictū est.

Sit secundum notandum; hæc tria indiuiduum, singulare, prima substantia, aliquo modo distinguuntur: indiuiduum enim dicitur per priuationē inferiorum: est namque indiuiduū, quod ab alijs est diuisum, tamen in se ipso est indiuisum, ita vt diuidi in inferiora, amplius nequeat: Singulare dicitur per comparationem ad Vniuersale: appellatur namque singulare ex eo, quod ratio vniuersalis in ipso sit facta hæc, atque per principia indiuiduationis, sit alteri incommunicabilis: verum est tamen, quod indiuiduum & singulare, sūt idem re, & ratione: quia eadem ratione, qua Sortes dicitur indiuiduum, dicitur etiam singulare, quapropter solo nomine distinguuntur: sed prima substantia dicitur per comparationem ad omnia predicata, tam substantiæ, quam accidentis: est enim prima substantia, id quod omnibus substat, & qua destructa

est im-

eſt impoſſibile aliquid aliorum permanere, ſicut Ariſtoteles in capit. ſubſtantiæ docet.

Sit tertium notandum hęc quinque, indiuiduum, compoſitum, hypoſtaſis, ſuppoſitum, & Perſona, diſtinguuntur ab inuicem, & differunt: etenim indiuiduum, ita commune eſt, quod tam in prædicamento ſubſtantię, quàm accidentis reperitur, vnde ſingularia omnium prædicamentorum ſunt indiuidua, quare ſicut hic homo, hic lapis dicuntur indiuiduum, ita hoc album, hoc quantum indiuidua appellantur: Compoſitum, hypoſtaſis, ſuppoſitum, & perſona in ſolo genere ſubſtantiæ reperiũtur: ſed cum ſubſtantia ſit duplex, materialis nempè & immaterialis, tunc ſic ſe habent, quod compoſitum in ſolo genere ſubſtantiæ materialis exiſtit, & tam illius ſpeciebus, quàm indiuiduis conuenit: compoſitum namque illud dicitur, quod ex materia & forma vnitis conficitur, quam ob rem non ſolùm homo, ſed etiam hic homo dicitur cõpoſitum, ſicut in cap. ſequenti Porphyrius aſſerit: ſed ſuppoſitum, hypoſtaſis, & perſona, tàm in genere ſubſtantiæ materialis, quàm immaterialis reperiuntur, cum diſcrimine tamen, quoniã hypoſtaſis & ſuppoſitum ſunt communia naturæ tam rationali, vel intellectuali, quam irrationali: vnde ſicut bruta dicuntur ſuppoſita & hypoſtaſes, ita homo, Angeli, & perſonæ diuinæ: quare ad rationem ſuppoſiti, vel hypoſtaſis, quinque conditiones requiruntur, videlicet, quod ſit ſubſtantia, completa, indiuidua, ſubſiſtens, incommunicabilis: ſubſtantia propter accidentia; completa propter partes; indiuidua propter ſpeciem; ſubſiſtẽs propter formas; incommunicabilis propter naturã vniuerſalem: ſed perſona ſuper hæc omnia addit rationalitatem ſiue intellectualitatem naturæ: eſt enim perſona, rationalis naturę indiuidua ſubſtantia; ſic Boetius eam definit: vnde perſona non reperitur niſi in genere ſubſtantiæ rationalis, vel intellectualis: nec pro-
A pter hoc Anima humanã eſt perſona; quia & ſi ipſa ſit ſubſtantia, indiuidua, ſubſiſtens, rationalis naturę, & in ſemetipſa completa, tamen eſt pars humanæ ſpeciei, & ad complementum alterius, ſcilicet hominis, ordinata, ſicut S. Tho. p.p.q.29.art.1. ad quintum optime ſcribit; vnde à non nullis ſemiperſona nuncupatur. igitur inter hæc quinque hic ordo reſultat; quod omne quod eſt perſona, eſt ſuppoſitum, ſiue hypoſtaſis & indiuiduum, ſed non è contra: quia
B Animalia irrationalia ſunt hypoſtaſes, ſuppoſita, & indiuidua, tamen non ſunt perſonæ, eo quod ratione carent: ſimiliter omne ſuppoſitum ſiue hypoſtaſis eſt indiuiduum, ſed non è contra: quia ſingularia predicamentorum accidentium, ſunt indiuidua, & tamen non ſunt ſuppoſita, neque hypoſtaſes.

Text. Indiuidua autem dicũtur huiuſmodi, quoniam ex
C proprietatibus conſiſtit vnumquodque eorum, quarum collectio nunquam in alio eadem erit, Socratis enim proprietates nunquam in aliquo alio particularium erunt Eedem: Eæ verò quę sũt hominis proprietates, (dico autem eius qui eſt communis) erũt Eedem in pluribus, magis autem & in omni-
D bus particularibus hominibus, in eo quod homines ſunt.

QVid & quotuplex indiuiduum ſit, in pręcedenti textu ſatis expoſitum eſt; in præſenti verò rationẽ reddit, & cauſam aſſignat, cur hęc vel illa nuncupentur indiuidua, dicens, ex eo quod ipſorum vnumquodque, vt Puta Sortes, aut Plato, ex talibus proprietatibus conſtat; v.g. ex his particularibus carnibus, & oſſibus, & neruis, cęteriſq; membris, quorum collectio eadem nu-

mero,

mero, nunquam in aliquo alio particulari homine reperitur sed si quis obijciat, non ne Socrates, & Plato, ac cæteri particulares homines habent easdem carnes, & ossa, & animam, & corpus, vnde carnes humanæ, ossa humana, anima humana, & corpus humanum appellantur? ergo harum proprietatum æadem collectio in pluribus reperitur: huic obiectioni occurrit Porphyrius in textu dicens, quod proprietates quę sunt hominis communis, id est speciei sunt æedem in pluribus, imo in omnibus hominibus, quatenus homines sunt: quod est ac si diceret, proprietates constituentes singulos homines, vt carnes, ossa, nerui, anima, corpus, & cætera huiusmodi, bifariam considerantur, vno modo secundum speciem, & ita sicut omnes homines sunt vnius & eiusdem speciei, ita & materiales proprietates ipsos constituentes; sunt æedem secundum speciem: alio modo secundum indiuidualem naturam, quatenus per diuisionem quantitatis sunt hæ carnes, hæc ossa huius particularis hominis. puta Sortis vel Platonis, & ita distinguuntur numero, & alteri incommunicabiles existunt; vnde fit quod ipsarum collectio æadem numero, in alio reperiri nequeat; ac propter hoc, vnumquodque indiuiduum existit incommunicabile, & in alia indiuidua diuidi, de illisque aliquo modo pędicari non potest. Circa hunc textum, quamuis de principio indiuiduationis quidam disputent; tamen quia hoc quæsitum logicæ limites trascendit, atque alibi de hac materia scripsimus; & inter tot phylosophorum placita, satis dilucidatum idem reliquimus, ideo nunc missum facimus.

Notandum ex Paulo Veneto, quod inter speciem, & indiuiduum, aliqua conuenientia, & differentia inuenitur: primò conueniunt in hoc, quod sicut genus & differentia sunt principia speciei, ita species & illius materiales conditiones, sunt principia indiuidui: quare

A sicut vna species est incōmunicabilis alteri speciei, quia collectio omniũ principiorũ vnius speciei, in alia specie reperiri nequit: ita vnũ indiuiduũ est alteri incōmunicabile, quia suorũ principiorũ collectio in alio esse non potest: & sicut à specie fluunt proprietates, v. g. ab homine risibile, disciplinabile, mansuetum, &c. quę in alia specie ab homine non sunt; ita ab indiuiduo fluunt proprietates, quæ æedem numero in alio esse nequeunt: quare indiuiduum ratione

B suarum proprietatum singulariũ est alteri indiuiduo incommunicabile, sicut species ratione suarum proprietatum vniuersalium, existit alteri speciei incommunicabilis: differunt deinde quia indiuiduum, omnino & simpliciter est incommunicabile, sed species & si alteri speciei sit incommunicabilis, communicatur tamen indiuiduis sub ipsa positis, de quibus prædicatur in quid, sicut in illius definitione dicitur.

C Tandem notant expositores, septem esse proprietates indiuidui, quarum collectio æedem numero in alio reperiri nequit: & his versibus explicantur, scilicet, forma, figura, locus, tempus, cum nomine sanguis; Patria, sunt septem, quę non habe vnus & alter: per formam intelligunt qualitatem, vt color, complexio, ac propria temperies: per figuram, lineamenta & corporis habitudinem: per locum & tempus, hic & nunc, quæ po-

D tissima sunt indiuiduationis accidentia, vt esse natum sub tali climate, talique respectu cœli, atque tali tempore anni, & sic de singulis: sed animaduertendum quod Porphyrius non abrè dixit, quarum collectio; quoniam aliqua horum accidentium in pluribus reperiri, haud impossibile est, vt quod ex eisdem parentibus sint, vel loco, vel tempore communi: at quod omnia simul, quæ in vno sũt, alio insint, benè inquit Ammonius, hoc impossibile est: sciatur postremum has septē numeratis proprietates, cũ sint accidētia, con-

constituere ipsa indiuidua accidentaliter: quod si vnum ab alio indiuidualiter distinguitur, ex hac signata materia secundario,& ex hac propria forma,totum procedit,sicut ex lib. 7. metaphysicę colligitur: hæc satis sint.

Dilucidatio 12.

Tex. Continetur igitur indiuiduum quidā sub specie, species autem sub genere: totum enim quoddam est genus: indiuiduum autem pars; species verò & totum est, & pars, sed pars quidem alterius, totū autem non alterius, sed in alijs, in partibus enim totum est.

NOn semel, sed pluries in ordine pręcedentium textuum Porphyrius dixit, Genus de speciebus, & Speciem de indiuiduis prædicari: nunc verò huic capiti finem impositurus, ex prædictis sūpta occasione, habitudinem quandam, inter genus, & speciem, ac indiuidua, quo ad totum & partem, siue quo ad cōtinere & contineri explanat: & duo facit, primo illud quod dictum est, secūdo omnia quæ prædicta fuere, epilogat: quantum ad primum Author continuando dicenda his, quę dicta sunt, inquit quod indiuiduum sub specie, & species sub genere continetur: & est ac si diceret. cum paulo superius dictū sit, quod genus de specie, species de indiuiduo prædicatur, indiuiduum autem de alio inferiori nequaquam dicitur: hinc quædam habitudo continentię, inter hęc predicata, quę in recta linea cōstituuntur, reperitur; quæ indiuiduum sub specie, & species sub genere continetur: quam quidem continentiam manifestare haud difficile fit: Genus etenim quoddam totum est, ac propterea omnia ea, quæ sub ipso sunt, continet,

A indiuiduum verò est pars, ob eam causam continetur: sed species est totum & pars, diuerso tamen respectu; nam si ad genus comparatur, est pars, & propterea sub ipso continetur; sed si ad indiuidua, est totum, & dicitur totum nō alterius, sed in alijs, id est in suis partibus, quoniam totū in suis partibus est; & quia species respectu indiuiduorum est totum, ideo illa continet: Circa hūc textum, notādum priori loco occurrit, quod Author loquens de Specie respe-

B ctu generis, & indiuiduorum, hoc modo dicendi vtitur, videlicet, species est pars alterius, scilicet generis; sed est totum non alterius, sed in alijs: & hoc fortasse inquiunt nonnulli, vt diuersam habitudinem speciei, ad diuersa insinuaret; sed melius si dicatur, quod species respectu indiuiduorum, dicitur totum in alijs, & non alterius, quia cum esse totius, quatenus totum, consistat, in suis partibus reperiri, à quibus si separaretur, non existeret, hinc dicitur in alijs, &

C non alterius; & quia species in suis indiuiduis existit, ideo dicitur quod est totum in alijs: quod si quis obiiciat, pari ratione etiam genus potest dici totū in alijs, scilicet in suis speciebus, eo quod præter eas non existit, sicut dicitur in lib. 7. metaphys. text. 43. conceditur totum; verumtamen quia genus est etiam pars definitiua speciei, ideo ad insinuandum de qua totalitate sit sermo, vtitur eo modo loquendi: at species respectu indiuiduorum, semper est to-

D tum, & totum Vniuersale, ideo, &c.

Pręterea ad eiusdem textus maiorē dilucidationem, quoniam de toto & de parte, mentio in eo facta est: ideo notādum, quatenus ad præsens negocium spectat; quod Totum est triplex: Primū dicitur totum Vniuersale, & est omne superius per comparationem ad inferiora sub eo contenta, accipiendo nunc superius pro quocunque magis cōmuni, quod prædicatur per modum generis, vel speciei de suis inferioribus: & hoc superius, siue Vniuersale nuncupatur totum, ob quandam similitudinem,

ſicut ex lib. 5. metaphyſ. text. 31. & ex primo phyſ. tex. 4. elicitur: etenim quẽadmodum totum continet partes, ita Vniuerſale continet ſingularia: appellatur etiam Vniuerſale eo quod ſit vnum in multis: huic toti correſpondent partes, quæ ſubiectiuę, vel potentiales nũcupantur, vt ſunt omnia inferiora ſub illo ſuperiori contenta; quæ partes dicuntur ſubiectiuę, quia in ordine ſubiectionis & prædicationis ſub toto conſtituuntur: potentialis verò, ex eo quod in ipſo toto poteſtate contineantur.

Secundum dicitur totum integrale, & eſt illud, quod ex partibus quantitatem habentibus integratur: ſed hoc totum eſt duplex, vnum quod dicitur totum homogeneum, & eſt illud quod in omnibus ſuis partibus eſt eiuſdem naturæ, quęlibet namque illarum ſui totius prædicationem recipit; qualia ſunt elementa, nam quælibet pars terrę eſt terra, & quælibet pars aeris eſt aer: & dicitur homogeneum, ab homios, quod eſt ſimile, eſt genos, quod eſt genus, quaſi ſimilis generis & naturę in ſuis partibus: aliud dicitur totum hęterogeneum, quod in omnibus ſuis partibus diuerſæ naturę eſt, nec earum aliqua ſui totius prædicationem recipit, vt homo. v. g. & Equus: nam horum quodlibet, ex carnibus, oſſibus, neruis, aliiſque partibus conficitur, quarũ nulla ſui totius prædicationem recipit, nõ enim quęlibet pars hominis eſt homo, aut Equi Equus: & dicitur hæterogeneum ab hæteron quod eſt varium, & genos quod eſt genus, quaſi aliquid varij generis atque naturæ in omnibus ſuis partibus. Huic toti integrali correſpondent partes integrales, quę pluribus nominibus nominantur: quandoque dicuntur materiales, quandoq; integrales, quandoque quantitatiuę, diuerſa tamen ratione: dicuntur enim materiales quia includunt materiam, quę eſt altera pars compoſiti: quantitatiuæ quia includunt quantitatem, ſine qua nihil componitur; integrales quia ſuum totum integrant, atque perficiũt.

A Sed cum dicitur quod totum homogeneum, & quęlibet pars illius, ſunt eiuſdem ſpeciei & naturæ: animaduertendum, quod Partes eſſe eiuſdem naturę cum toto, duplici modo intelligi poteſt; vno, quia ſunt quędam completa in ſpecie, quibus conuenit perfecta ratio totius, & per ſolam diuiſionem poſſunt fieri indiuidua eiuſdem ſpeciei cũ toto, & ſic partes elementorum, dicũtur eſſe eiuſdem ſpeciei cum ſuo toto: nam ſicut totus aer eſt aer, ita quælibet pars

B aeris eſt aer, ac per ſolam diuiſionem pars aeris fit per ſe aeris indiuiduum, & hoc eſt commune omni toti homogeneo. alio modo quia ad eandem ſpeciẽ pertinent per reductionem, ad quam ipſum totum pertinet, licet ipſæ nõ habeant completam rationem illius ſpeciei, & ſic partes totius hęterogenes sũt eiuſdem ſpeciei cum toto, veluti principia materialia ſpeciei: licet enim caro & os hominis non ſint homo, tamen ſpectant ad ſpeciem humanam, vt ma-

C terialia principia ipſius: quapropter ſi quandoq; dicatur, quod totum homogeneum differt à toto heterogeneo, eo quia partes homogenei habẽt ſpeciem & formam totius, non autem partes heterogenei, intelligatur de habere ſpeciem & formam primo modo, non autem ſecundo.

Tertium, dicitur totum definibile, & eſt vnumquodque definitum reſpectu

D partium definitionis: à quibuſdam hoc totum appellatur totum actuale, eo quod in ſua quidditate includat actu partes definientes, aut eſſentiales: ad rẽ autem noſtram, cũ Porphyrius in textu inquit, quod Genus eſt quoddam totũ, intelligendum eſt, quod ſit totum Vniuerſale, cuius partes ſubiectiuę, vel potentiales ſunt ſpecies: ſimiliter cũ ſubdit quod ſpecies eſt totum & pars; intelligatur quod ſit totum Vniuerſale, cuius partes ſubiectiuæ extant indiuidua; atque ipſamet ſpecies eſt pars ſubiectiua generis, ſub quo continetur: indiuiduum vero eſt ſemper pars ſubiectiua ſpeciei: quod ſi quandoque genus dica-

dicatur speciei pars, & species totum: intelligatur tunc quod species sit totū definibile, & genus sit illius pars definitiua: etenim ex genere & differentia constituitur species, eiusque definitio, vt multoties dictum est.

Tex. De genere igitur & specie, & quid generalissimum, & quid specialissimum: & quæ genera eadem, & species sint; quę etiam indiuidua; & quot modis genus & species dicantur, sufficienter dictum est.

TAndem ea omnia, quæ in his duobus capitulis dicta sunt, Porphyrius epilogat dicēs; de genere autem & specie, quid generalissimum, quid specialissimum, & quæ genera & species sint eadem, hoc est subalterna, quę indiuidua: quotue modis genus & species dicantur, sufficienter dictum est: ex quo quidem Epilogo Caietanus colligit Authorem confecisse vnicum capitulum de genere & specie: sed sicut in initia huius capitis diximus, totus hic tractatus in tot capita diuiditur, quot sunt predicabilia, quæ sunt numero quinque: Verumtamen propter mutuam generis ac speciei relationem, sub vno Epilogo, vtriusque tractatum, Author expleuit: & hęc sufficiant, quo ad huius secundi capitis explanationem.

Disputatio quinta de Specie.

Vtrum sub aliquo genere logico, reperiantur duæ species æqualis nobilitatis, ac perfectionis.

Dilucidatio I.

A Impossibile est sub aliquo genere logico reperiri duas species æqualis perfectionis; aut vnam & eandem speciem de genere substantię suscipere magis & minus: vel alteram in perfectione substantiali in infinitum excedere.

B ASSIGNATO autem genere & specie, quid sit vtrunq; eorum; & genere quidé vno existente, speciebus verò pluribus (semper enim in plures species diuisio generis est.) ita dixit Porphyrius, insinuans sub vno genere plures species necessario reperiri, eo quòd per oppositas differentias semper diuiditur, sicut Aristotel. in lib. 7. metaphys. text. 42. scribit.

Ex qua authoritate, quidam ansam sumpsere dubitandi, num sub eodem genere logico sit possibile reperiri duas C species ęqualis nobilitatis ac perfectionis: exempli gratia sumatur Animal quod vniuocè, id est secundum idé nomen, & eandem rationem predicatur de omnibus sub se positis speciebus animalium: dubitatur nunc, vtrum possibile sit reperiri duo Animalia specie ab inuicem distincta, quæ sint ęqualis nobilitatis ac perfectionis: quod quidem quæsitum vtilitatem non modicam Iunioribus allaturum esse haud dubium est; multa etenim de natura generis, D specierum, ac Differentiarum scitu digna perceperit.

Sit igitur primum notandum, assignato vno genere logico necessarium est duas species ad minus sub eo constituere vt dictum est: quę duæ species bifariam considerari possunt, vno modo quatenus sub eodem genere vniuoco continentur, ac in eodem conueniunt, vt puta homo & Equus considerantur primo quatenus sub Animali cōstituuntur, atque illius naturam participant; & penès hanc considerationem nulla distinctio inter eos reperitur, imo vnum

& idem

& idem genere dicuntur, sicut Aristoteles in libro quinto metaphys. capite de eodem dicit, neque ab vna magis quàm ab altera specie genus participatur, quia secundum idem nomen & eãdem rationem de illis predicatur: & hoc est quod alij dicunt, scilicet genus quo ad suum esse formale ac quidditatiuum proprium idem est, eo quod natura animalis in omnibus animalibus est substantia animata sensitiua: & Porphyrius in capite de differentia inquit, quod genus non prædicatur secundum magis & minus de eo, cuius fuerit genus: Alio modo considerantur illæ duę species quatenus sub eodem genere distinguuntur ab inuicem suis essentialibus ac specificis differentijs; differentia enim est, quod aptum natum est diuidere ea quæ sub eodem genere sunt; ait Porohyrius in sequenti capite: & iuxta hanc considerationem dubitatur nunc an sub eodem genere reperiantur duę species ęqualis perfectionis.

Sit secundum notandum. Differentiarum alicuius generis per se diuisiuarum, vna habet se vt habitus, altera vt priuatio: sententia hæc est Aristotelis in libro 10. metaphys. textu vigesimo quarto & accipit priuationem non simpliciter & eo modo, quo in post predicamentis in capite de oppositis cæcitas dicitur priuatio; sed pro quadam imperfectione eo modo quo in libro decimo metaphys. textu nono dicit quod nigredo est priuatio albedinis, eo quod nigredo est natura imperfectior albedine: & hanc oppositionem inter ipsas differentias generis diuisiuas Aristoteles in libro 7. metaphys. textu 42. vocat contrarietatem: & Auerroes in lib. decimo metaphys. comm 15. inquit, quod prima contrarietas est secundum priuationem & habitum · quia vilius est priuatio perfectioris; vnde contrariorum alterum est completus habitus, alterum diminutus. his positis, nunc aliquæ conclusiones elucidentur.

Prima conclusio sit hęc: Impossibile est sub eodem genere logico reperiri

A duas species æqualis perfectionis: probatur his rationibus.

1 Species distinguuntur ab inuicem per suas differentias constitutiuas, & sui generis diuisiuas, vt in primo not. dictum est; ergo eodem modo species se habent ad perfectionem & imperfectionem, quemadmodum se habent differentię ipsarum constitutiuæ: sed impossibile est duas differentias generis diuisiuas, & specierum constitutiuas esse æque perfectas, ergo & duas species

B eiusdem perfectionis sub eodem genere reperiri impossibile est: minor propositio ex secundo notando fit manifesta, in quo dicitur differentiarum altera se habet vt habitus, altera vt priuatio.

2 Pręterea esto quod duæ species sub eodem genere positæ, sint æqualis perfectionis; tunc queritur per quid illæ species distinguantur essentialiter: aut distinguuntur per genus, aut per differentias constitutiuas, aut per accidentia propria vel communia: non per genus quia quæsitum stat de duabus

C speciebus sub eodem genere positis: non per accidentia propria, quia hæc emanant, à principijs essentialibus speciei, vnde supponunt speciem in esse constitutam; non per communia quia à principijs indiuidualibus oriuntur: si dicatur quod distinguuntur per suas proprias differentias. Contra differentiæ diuisiuæ generis & constitutiuæ specierum habent aliquam oppositionem inter se, vt dictum est: sed hæ nullam op-

D positionem habent, alioquin non essent equè perfectæ, ergo per ipsas non distinguuntur: omnia ex præfatis clarescunt.

3 Præterea, actus intellectus diuidentis genus per differentias in species, cõcipit alterã earum vt perfectam, & alteram vt imperfectam: nam qui diuidit Animal in rationale & irrationale, concipit hoc vt imperfectum, & illud vt perfectum. ergo est impossibile nõ solũ reperiri, sed etiam intelligi duas species sub eodẽ genere logico eque perfectas.

Notandũ ꝙ hæc conclusio quãuis de speciebus in genere substãtiæ sit posita,

tamen est etiam intelligenda de speciebus posito sub genere logico de genere accidentis: nam quo ad hanc conclusionem est par ratio de omnibus differentijs diuisiuis cuiuscunq; generis, & constitutiuis quarũcumq; specierũ, eo quod vna se habet semper vt habitus, & altera vt priuatio: qua propter quemadmodũ homo sub genere Animalis est perfectior Leone vel Equo, & quocunque alio Animali & hoc ratione rationalitatis differentię constitutiuæ naturę hominis; ita albedo in genere coloris est perfectior nigredine, & quocunque colore, ratione suę differentiæ: vnde non est dare albedinem adeò remissam, quin ipsa sit perfectior secundum suam naturam, quacunque intensissima nigredine, ratione suę differentię.

1 Sed contra hanc conclusionem instatur his rationibus: Quęcunque sunt æqualis perfectionis in vno tertio, sunt etiam ęqualis perfectionis inter se; sed homo & Equus sunt æqualis perfectionis inter se: minor ex dictis in primo notando lucescit: maior per illam maximam patet, quæ conueniunt vni tertio, conueniunt inter se.

2 Preterea vna species non est magis species quam sit altera eiusdem generis, ergo reperiũtur duę species eque perfectæ sub eodem genere: consequentia est manifesta: & antecedens sic probatur: homo non predicatur magis de suis indiuiduis in quid, quàm Equus de suis: neque albedo predicatur magis de hac & de illa albedine quàm nigredo predicetur de hac & de illa nigredine.

3 Item ratio quidditatiua speciei distinguitur à sua perfectione, ergo quæ distinguuntur specie possunt habere eundem gradum perfectionis: antecedens probatur, si ratio quidditatiua speciei non distingueretur à perfectione eiusdem speciei, sequeretur quod quæcunque sunt eiusdem speciei essent eque perfecta, quod est falsum quia vna anima intellectiua est perfectior altera: cõsequentia probatur quia

A ille, gradus perfectionis non est ipsarum specierum constitutiuus.

Ad primũ negatur maior, & ad probationem illius respondetur quod illa maxima est intelligenda eo modo quæ in vno tertio conueniunt, conuenire inter se: ad rem nostram, homo & Asinus conueniunt in Animali, & ita cõueniũt inter se sub ratione Animalis, quia vnumquodque eorum est substantia animata sensitiua: ita albedo & nigredo conueniunt in ratione coloris: sed

B sermo nunc est de duabus speciebus, quatenus per suas essentiales differentias distinctæ sunt.

Ad secundum negatur antecedens, ad cuius probationẽ respondetur quod species duobus modis consideratur, vno modo per comparationem ad sua indiuidua de quibus prædicãtur, & hoc modo vna species non est magis species quam sit alia; non enim homo predicatur magis de singulis hominibus, quàm Equus de singulis Equis: alio modo cõ-

C siderãtur per comparationem vnius ad alteram, & ita negatur quod vna species non sit magis species idest perfectior species, quàm altera, eo quod differentia constitutiua vnius, est perfectior differentia alterius.

Ad tertium negatur antecedens, quia perfectio essentialis speciei, de qua fit sermo, non distinguitur ab ipsa specie, & à ratione quidditatiua ipsius: & ita sequitur vt quę sunt eiusdem speciei, sint æqualis perfectionis essentialis, ad

D probationem verò illius antecedentis, quamuis Caietanus in prima parte sũmę Sancti Thomæ in quest. octuagesima quinta articulo septimo concedat Animas intellectiuas esse inter se inæquales, ita vt vna sit perfectior substantia quàm altera; & putet hanc esse mentem Diui Thomæ in eodem articulo & alibi: tamen communis sententia aliorum Thomistarum est, quod Animæ intellectiuæ sint æqualis perfectionis substantialis; atque aliter Diuum Thomam interpretantur videlicet, quod loquatur de sola perfectione quæ

ne quæ accidit vel ex prima naturali corporis dispositione, vel postea ex aliqua eius accidentali mutatione: vnde & Aristoteles in libro secundo de anima textu sexagesimo quarto, inquit, molles carne, sunt mente aptiores: sed in sequenti capite de hac re iterum aliqua dicentur: reliquę duæ conclusiones in initio lectionis appositæ, ad sequentem lectionem differantur; huicque finis imponatur.

Quomodo inæqualitas perfectionis specierum eiusdem generis, non tollat generis vniuocationem, vide Disputationem octauam super prologum, in qua quæritur, an Vniuersale prædicetur vniuoce de quinque Vniuersalibus; in qua argumenta ad oppositum, & resolutiones ad aures phylosophorum reponuntur.

Dilucidatio 2.

Vna & eadem species non suscipit magis neque minus; & alteram eiusdem generis imperfectione substantiali in infinitum non excedit.

DIcebatur in superiori lectione, impossibile esse vt sub vno & eodem genere logico sint duæ species eque perfectę: cuius conclusionis pręcipua ac principalis ratio erat ex eo quod Genus non diuiditur in species nisi per contrarias differentias, vt Aristoteles in libro decimo metaphys. scribit textu vigesimo quarto, quæ oppositio contrarietatis, ad oppositionem quæ est secundum priuationem & habitum reducebatur, ita idem phylosophus in textu decimo quinto eiusdem libri docet: quapropter cum Differentia constitutiua vnius speciei compararetur ad aliam oppositam, sicut habitus ad priuationem, fiebat consequens implica-

A re has duas differentias esse ęqualis perfectionis, ac propterea sub eodem genere reperiri duas species æque essentialiter perfectas, impossibile erat: his habitis superest modo alias dubitationes elucidare, vt eorum omnium quæ in superiori lectione dicuntur, exacta completaque doctrina habeatur. est igitur secunda dubitatio ad priorem in ordine, an vna met species sit quandoque se ipsa perfectior & imperfectior: Tertia vero quousque vna species

B excedat essentiali perfectione alteram speciem eiusdem generis, an in infinitum? quas dubitationes paucis verbis absoluemus.

Sit igitur secunda conclusio, Vna & eadem species non suscipit magis & minus ita vt quandoque sit se ipsa magis & minus perfecta: probatur his rationibus.

1 Differentię per se, & constitutiuę specierum non suscipiunt magis neque minus: ergo nec species per eas consti-

C tutę suscipiunt magis & minus: antecedens est Porphyrij in capite de Differentia, & eo in loco plenius explanabitur: consequentia deinde probatur, quia esse completum cuiuscunque speciei est à propria differentia, quę cum sit inuariabilis, & ipsam speciem inuariabiliter quo ad suum esse constituet.

D 2 Confirmatur conclusio authoritate Auerrois in predicamentis in capite de substantia, dicentis, Non predicantur species, neque genus de vno singulari magis quàm de alio; neque predicantur de ipso magis in vno tempore quàm in alio tempore: Sortes enim non est magis Animal quàm Plato, neque est magis homo hodie, quàm cras.

At contra hanc conclusionem insurgit difficultas nec certè parui ponderis, vtrum intelligatur de speciebus de genere substantiæ tantùm, vel etiam de speciebus de genere accidentis: & quia huius difficultatis resolutio, ex na-

tura differentiarum pendet, ideo ne sepius eadem repetantur differatur vsque ad explanationem illius textus Porphyrij, in capite de Differentia, in quo elucidabitur totum hoc quæsitum, ac Dictum eiusdem Porphyrij verificari etiam de differentijs constitutiuis specierum in genere accidentium.

3 Tertio ad eandem conclusionem arguitur sic, species se habent sicut numeri, sed numeri non suscipiunt magis nec minus, ergo neque species: tota ratio colligitur ex doctrina Aristotelis in libro octauo metaphysicæ textu decimo, per totum.

Circa quam propositionem, qua dicitur species se habent sicut numeri; sciendum quod duplicem sensum ea propositio habere potest: Vnus sensus est, quod sicut numerus posterior comprehendit in se omnes priores, & vnitatem addit, ita omnis species perfectior includat formaliter in se omnes differentias cuiuscunque speciei imperfectioris, & differentiam ad illas addat: & hic sensus est falsus & impossibilis, si in omnibus speciebus vniuersaliter sumatur: quoniam vna species specialissima substantiæ non venit in compositionem alterius speciei; non enim in ratione hominis includitur differentia constitutiua bouis & Asini, & aliorum Animalium imperfectiorum, tum quia tunc homo esset bos, Asinus, & alia Animalia; tùm etiam quia homo non posset quidditatiuè cognosci, nisi omnes animalium differentię cognoscerētur, omnes enim necesse esset in ratione quidditatiua suo ordine ponere.

Alius sensus est, quod quemadmodum, qualibet vnitate addita aut remota à numero variatur species numeri, & non remanet idem numerus, vt si quaternitati addatur vnitas non remanet amplius quaternitas sed fit quinarius; aut si vnitas subtrahatur fit ternarius: ita si alicui speciei addatur aliqua perfectio essentialis, aut subtrahatur, non A remanet amplius eadem species, sed variatur; si namque (vt exemplificat Sanctus Thomas in libro octauo metaphysicę.) Animali addatur rationale, non remanet amplius species, quæ erat Animal dumtaxat, sed constituitur species Animalis quæ est homo: & si ab Animali remoueatur sensibile, non remanet animalis species, sed plantę: & hic sensus est ab Aristotele intentus, vnde ibi subdit hæc verba, (& quemadmodum de numero, ablato B aut addito aliquo, ex quibus numerus est, non est amplius idem numerus, sed diuersus, etiam si minimum auferatur, aut addatur, ita nec definitio, nec ipsū quod quid erat esse erit amplius, ablato aliquo aut addito) ex quo apparet quod species & natura rei est inuariabilis, nec magis nec minus suscipit.

Patitur quoque ea propositio aliam expositionem, videlicet, sicut quęlibet species numeri per indiuisibile constituitur, per vltimam. s. vnitatem, & vnusquisque numerus aut excedit alium per C vnitatem additā, aut deficit ab illo per subtractionē vnitatis: ita quælibet species rerum per indiuisibilem differentiam constituitur, ita quòd quidquid ad illam differentiam attingit, sub illa specie continetur, quidquid autem ab illa deficit, aut illam excedit, atque per digniorem differentiam alia species constituitur; aut in minus se habet, & tunc ad aliam speciem per ignobiliorē differentiam constitutam pertinet: Aut D hoc alio modo exponatur quemadmodum non inueniuntur duę species numerorum ab vnitate æqualiter distātes, ita etiam non reperiuntur duæ species æqualiter distātes à primo principio, quod est prima & sūma vnitas; quia à primo ente communicatum est vnicuique suū ęsse, his quidem clarius, his vero obscurius, vt Aristoteles in libro primo cœli textu centesimo scribit; & quemadmodum species numerorum non continent ęquales vnitates, ita nec species rerum æquales perfectiones continent; & ita

& ita confirmatur conclusio superioris lectionis.

Potest etiam intelligi de virtuali cōtinentia, vt sit sensus, quod sicut numerus minor continetur in maiori, sic vna species imperfecta continetur in maiori & perfectiori virtualiter, vt vegetatiuum in sensitiuo, & sensitiuum in intellectiuo, sicut trigonum in tetragono continetur, vt in libro primo de anima textu trigesimo primo Aristoteles scribit; & de hac propositione satis.

B Sit tertia conclusio: Nulla species, quamuis perfectissima, excedit aliam speciem quidditatiue & intrinsecè in infinitum: sed priusquam hęc conclusio probetur, explanandum est, quid sit vnam speciem excedere aliam quidditatiue & intrinsece, illud dicitur eccedere aliud essentialiter siue quidditatiue, quod ita ipsum excedit vt nihil sit dare eiusdem speciei, quin ipsnm excedat: exempli gratia homo dicitur eccedere equum essentialiter, quia non C reperitur aliquis homo, qui secundum suam naturam non sit perfectior quocunque perfectissimo Equo: & etiam Albedo essentialiter eccedit nigredinem, quia non est aliqua albedo adeò remissa, quin ipsa sit perfectior secundum suam naturam, quacunque intensissima nigredine eccedere intrinsece est eccedere aliud quantum ad ea quæ sunt intrinseca suæ rationi formali, per quam homo est homo, & albedo est al- D bedo: his declaratis probatur conclusio duabus rationibus, quarum prima est hæc.

1 Quando vnum eccedit aliud in infinitum, tunc eccedit illud plusquam in duplo, & plusquam in triplo, & ita sequitur sine statu & fine: sed nulla species citra primam causam, excedit aliam speciem plusquam in duplo, & plusquam in triplo, & ita sine statu & fine, ergo nulla species eccedit aliam in infinitum. maior propositio ex terminis fit nota: minor probatur, quidquid excedit aliud plusquam in duplo

A & triplo & sic vlterius sine statu & fine, ab alio excedi non potest; alioquin illi gradus essent cum statu & fine: sed quælibet species à prima causa exceditur, ergo, &c. minor apud omnes phylosophos est receptissima.

2 Præterea; quidquid excedit aliud in infinitum secundum magnitudinem est infinitæ magnitudinis: & quidquid excedit aliud in infinitum secundum durationem est infinitę durationis: ergo quidquid excedit aliud in infinitum quidditatiuæ est infinitę quidditatis: sed nulla res citra primam causam est infinitæ quidditatis, alioquin adæquaretur primæ causæ in perfectione; ergo nulla species excedit aliam quidditatiuè in infinitum; omnes hæ propositiones ex se ipsis fiunt manifestę. & ita reserata est conclusio.

Quod si quis petat, vsque ad quantum vna species alteram eccedat in perfectione essentiali, vt puta homo Equum, & Equus Asinum; Albedo nigredinem, & sic de alijs. Arbitror posse recte responderi, quod hoc à nobis ignoratur, tum quia multarum specierum, imo ferè omnium vltimæ differentiæ ignorantur: tum quia si aliquæ sciuntur, à posteriori, & per effectus à nobis sciuntur. & hæc quę dicta sunt de hac tota quæstione, sufficiant.

Dispu tatio sexta de Specie.

An species prædicetur prædicatione per se de suis differentiis: ita vt hæc prædicatio sit per se, Rationale est homo.

Dilucidatio I.

Species non prædicatur prędicatione per se, de differẽtijs.

DISPVTATIO in hoc loco examinanda proponitur, & est, num species prędicetur prædicatione per se de suis differentijs constitutiuis, ita vt hęc prędicatio sit per se Rationale est Animal: & ad partem affirmatiuam his rationibus arguitur.

1 Primo, Species prædicatur de differentia, ita vt hæc propositio fit vera Rationale est Animal, igitur vel est vera per se, vel per accidens, si per se, cessat omnis questio, si per accidens, contra, subiectum de quo predicatum predicatur per accidẽs potest esse sine predicato, sed rationale non potest esse sine homine, neque homo absque rationalitate, ergo homo non predicatur per accidens de rationali, ac per consequẽs neque species predicatur per accidens de sua differentia.

2 Pręterea, omnis predicatio in qua æqualia de ęqualibus predicantur, est predicatio per se, sicut Porphyrius in hoc capite docet, sed predicatio in qua species predicatur de differentia est æqualis de æquali, ergo est predicatio per se: minor probatur nam argumentum tenet, rationale est, ergo homo est: homo est, ergo rationale est.

Huius quęsiti elucidatio fit satis manifesta ex his quæ in ea questione dicũtur, in qua quęritur an genus predicetur predicatione per se de suis differentijs, ac eodem in loco nempe in libro 3. metaphys. text. 10. pertractatur: & quẽadmodum tunc non de idemptica sed de formali predicatione erat sermo, ita & nunc non de idemptica sed de formali predicatione quęsitum tenetur: fundamenta hic & ibi eadem sunt, atq; eædem distinctiones de predicatione per se & per accidens huic loco ada-

A ptantur; qua propter sit satis nunc ipsã conclusionem elucidare, & argumenta soluere.

Sit igitur conclusio, Species nõ predicatur predicatione per se & formali de sua differentia, ita vt hæc propositio sit vera per se, & formaliter, Rationale est homo. probatur conclusio authoritatibus & rationibus.

1 Authoritas est Aristot. in libro 3. metaphys. in text. 10. dicentis, impossibile enim est aut species generis de pro

B prijs differentijs predicari, aut genus: igitur ad mentem Phylosophi, non solum genus, sed neque etiam species de suis differentijs predicatur.

2 Præterea ad eandem conclusionẽ his rationibus arguitur: Nullum inferius predicatur per se de suo superiori, sed species est inferior differentia, ergo species non predicatur per se de differentia: maior propositio probatur primo authoritate Porphyrij dicẽtis quod in omni vera ac directa predicatione

C oportet semper aut ęqua de ęquis, aut maiora de minoribus predicari, non autem minora de maioribus. deinde confirmatur ex eo quod cõceptus superior est prior conceptibus suorum inferiorum, prius autem non dependet à posteriori, & conceptus differentiæ est prior conceptu speciei, quia differentia specifica generi adiuncta speciem constituit, sicut Aristoteles in lib. 6. topicorum in explanatione loci 31. explanat: minor etiam probatur primo authoritate Por

D phyrij insinuantis in capite de differentia sit in plus quam species, eo quod ipsam constituit: & Aristoteles in lib 2. posteriorum textu 17. dicit quod pars definitionis se habet in plus quàm definitum; ergo, &c.

Contra hanc rationem arguitur hoc modo: illud quod consequitur ad speciem non est superius neque prius ipsa specie; sed differentia consequitur ad speciem ergo differentia non est quid superius & prius ipsa specie: maior ex se constat, minor probatur authoritate Aristotel. in lib. 4. topicorum in explanatio-

natione loci 25. vbi dicit, videtur enim genus & differentia sequi, quamdiu fuerit species.

Ad hoc argumētum negatur minor, & ad illius probationem respondetur quod intentio Aristotelis eo in loco nō est, quod esse generis & Differentiæ sequatur ad esse & positionem speciei: sed intendit quod posita specie, ponuntur de necessitate genus & differentia, ex quibus tanquam ex principijs essentialibus species conficitur: & accipitur nunc differentia quatenus simplicem suppositionem designat, in qua quidem significatione differentia est prior ipsa specie.

3 Præterea ad eandem conclusionē corroborandam arguitur sic: Si species predicatur per se de differētia, aut predicatur de ea in primo vel in secundo modo dicendi per se: nā tertius & quartus non sunt modi predicandi, vt dictū est. sed neque in primo, neque in secundo modo species predicatur de differentia, ergo nullo modo species predicatur per se de differentia. maior habetur in libro primo posteriorum ca. 4. minor quo ad singulas partes probatur, primus modus dicendi per se est quando predicatū est de ratione & de quidditate subiecti, sed species non est de ratione & de quidditate differentiæ: nam differentia secundum suam simplicem suppositionem intelligi potest ipsa specie non intellecta; imo differentia est de ratione quidditatiua speciei, cum sit ipsius alterum principium essentiale: sed species non est de ratione differentiæ, alioquin in his definitionibus daretur circulus & ita idem respectu eiusdē esset prius & posterius, notius & ignotius: quod etiam non predicetur in secundo modo dicendi per se, sic probatur; illud de quo aliud prędicatur in secundo modo dicendi per se est subiectū eius, & causa inherentiæ predicati ad subiectum; sed differentia non est subiectum speciei neque causa inherentiæ predicati ad subiectum, ergo species nō predicatur de Differentia in secundo

A modo dicendi per se: maior probatur, hęc propositio homo est risibilis est in secundo modo dicendi per se, & homo est verum subiectum illius predicati risibilis, & causa inherentiæ, quia ex principijs essentialibus hominis fluit risibilitas, vnde etiam inseparabiliter ipsi inheret: minor probatur, quia differentia est forma constitutiua speciei, & non illius subiectum.

Sit secunda conclusio, hęc predicatio Rationale est homo, est vera idem-B ptice: quæ conclusio est manifesta, ex eo quod rationale & homo sunt vna & eadem res. his ita dictis superest nunc vt ad duo argumenta afferātur solutiones.

Ad primum, cōceditur quod species predicatur per accidens de differentia, & quando dicitur quod predicatū per accidens potest separari à subiecto, & subiectū à predicato, respondetur quod hæc propositio est vera de omni illo predicato quod verè accidētaliter prędicatur de subiecto in aliquo trium mo-C dorum predicandi per accidens, quos Aristot. in lib. 5. metaphys. & in libro 1. poster cap. 18. explanat, & nos in tertio argumento illius q. qua queritur an genus predicetur per se de suis differētijs, declarauimus: sed quando aliquod predicatum dicitur predicari de aliquo subiecto per accidens, in quantum contingit quod formalis conceptus vnius est extra formalem conceptum alterius, tunc non contingit subiectum posse separari à predicato, & si quandoque cō-D ceptus vnius possit intelligi sine conceptu alterius: ad rem vero propositam dicitur quod species predicatur de differentia per accidens, quatenus conceptus formalis speciei, est extra conceptū formalem differentię; sumendo nunc differentiam penès suam simplicē suppositionem, id est vt dicit gradum à genere & specie distinctum; & iuxta hunc modum predicandi per accidens, non contingit subiectum à predicato seiungi posse: quamuis conceptus differentię intelligi possit sine conceptu speciei, & non è contra eo quod differentia sit de

conceptu formali speciei.

Alia solutio ad illam propositioné, in omni predicatione per accidés, predicatum ita accidit subiecto, vt non repugnet subiecto esse sine illo predicato: videatur in assignata questione, in solutione obiectionis contra responsionem tertij argumenti principalis: quæ solutio est consideratu digna.

Ad secundum negatur minor, scilicet quod hæc predicatio sit ęqualis de æquali, rationale est homo, quia differentia est quid superius ad speciem cũ sit illius forma: ad probationem. minoris respondetur quod ad predicationé æqualis de æquali non sufficit conuertentia consequentiarum, sed requiritur quod predicatum sit forma subiecti ex principijs essentialibus illius subiecti emanans, quemadmodum est propria passio alicuius speciei: nunc autem species non est forma differentię, neque differentia à specie fluit; imo differentia est principium constitutiuum ipsius speciei; sicut Porphyrius in calce capitis de differentia apertis verbis explanat: & hæc satis.

Disputatio Vnica de Indiuiduo.

An prædicari conueniat de indiuiduo.

Dilucidatio I.

DIFFICVLTATEM nõ modicam, & laborandi ansam, nobis reliquit Porphyrius, cum de natura indiuidui verba fecisset: nam dum predicatorum ordinem assignasset, dixit Generalissimum genus de omnibus sub se contentis generibus, & speciebus predicari: specialissimũ de solis indiuiduis; indiuiduum verò nõ de aliquo inferiori, sed de vno solo particulari. hinc Porphyrij interpretes definitionem indiuidui collegerũt dicentes indiuiduum esse illud, quod de vno solo particulari predicatur: quam eandem in c. de genere insinuasse omnibus palam est: quapropter nunc quæritur, an huiusmodi indiuidui definitio, sit conuenienter assignata.

A 1 Auerroes in cap. de genere, hanc à Porphyrio assignatam definitionem reprehendens, distinguit de duplici indiuiduo, dicens, vnum est indiuiduum

B substantię, vt Sortes & Plato; alterũ accidentis, vt hoc album: vult itaq; quod predicari de vno solo, soli indiuiduo accidentis aptetur eo quod de prima substantia denominatiuè dicatur, sicut v. g. Sortes est hoc album: at indiuiduo substãtiæ nullo pacto aptari potest: imo in 1. lib. priorum, in digressione, quam de quarta figura, cõtra Galenum facit, censet in fine abhominationis, quod idem de se ipso predicetur: & in lib. 10. metaphys. com. 8. huiusmodi predica-

C tionem, nugatoriam appellat.

2 Confirmatur Auerrois opinio, plurimis authoritatibus Aristotelis, & rationibus: nã Phylosophus in antepræd. cap. 2. inquit, eorum quæ sunt, quædam neque in subiecto sunt, neque de subiecto aliquo dicuntur, vt quidam homo, & quidam Equus.

3 Pręterea in predicamento substãtiæ, ab ipso principio sic dicit. substantia quæ propriè, principaliter, & maximè dicitur, est, quæ neque in subiecto

D aliquo est, neque de subiecto aliquo dicitur, vt quidam homo, & quidã Equus.

4 Præterea in eodem cap. est vulgata satis propositio, à prima substãtia nulla est predicatio de nullo enim subiecto dicitur: at quod prima substantia sit idem quod indiuiduum, notum est.

5 Item in libro 1. Peryherm. c. 5. ait, Vniuersale natum est de multis predicari; singulare de multis nõ predicatur: nõ tamen ex hoc sequitur ergo de vno solo: stat enim quod de nullo, &c.

6 Item libro 1. priorum c. 28. & primo poster. textu comm. 4. dicitur, quęcun-

cunque ſingularia contingunt eſſe, non
de ſubiecto aliquo dicuntur: imo in libro 7. metaphyſ. dicitur quod cum ipsũ
de alio non dicatur, alia omnia de ipſo
dicuntur.

7 Præterea ad eandem concluſionẽ
corroborandam ſic arguitur: in quacun
que predicatione eſt predicatum & ſub
iectum, ergo ſi idem de ſe ipſo predica-
tur, ipſum erit ſubiectum ſimul ac pre-
dicatum, quod repugnantiam quãdam
implicare nulli dubium eſt.

8 Vlterius omne quod de aliquo
predicatur, eſt in eo de quo predicatur,
ergo ſi indiuiduum de ſe ipſo dicitur,
idem erit in ſeipſo, ſed conſequens eſt
impoſſibile, ſicut Ariſtot. in lib. 4. phyſ.
probat, ergo & illud ex quo ſequitur.

1 Ex altera parte eſt Boetius, qui di-
cit quod nulla predicatio eſt verior il-
la, in qua idem de ſe ipſo dicitur; v. g.
Sortes eſt Sortes: imo non ſolum vera,
ſed naturaliſſima; nam Sorti nihil tam
naturaliter conuenire poteſt, quam Sor
tem eſſe.

2 Pręterea S. Thom. in lib. 7. met. ſu-
per textum ſeptimum loquens de indi-
uiduo ſubſtantiæ, diſtinguit, quod cum
dicitur homo eſt Sortes, hęc predica-
tio eſt per accidens, & indirecta; ſed
cum dicitur Sortes eſt Sortes, talis pre-
dicatio eſt per ſe, ergo indiuiduum per
ſe dicitur.

3 Confirmatur hæc poſitio authori-
tate Ariſtotelis, qui in lib. 2. Peryherm.
c. vlt. inquit, bonum per ſe eſt bonum: &
in lib. 5. met. c. 18. inquit, homo per ſe
eſt homo, ergo predicatio in qua idem
de ſe ipſo dicitur, ab eo approbatur.

Priuſquam ad veritatem dilucidan-
dam accedamus, ſciendum quod aliqua
res particularis; v. g. Socrates, duobus
modis conſiderari poteſt: vno modo ſe-
cundum ſe, & abſolutè, & ſic per nomen
primę intentionis ſignificatur, vt nomi-
ne Socratis & Platonis: alio modo qua-
tenus eſt incommunicabilis, & habet
negationem communicabilitatis reſpe-
ctu plurimorum indiuiduorum, & ſic ſi-
gnificatur per nomen ſecundæ intẽtio-
A nis. ſ. indiuiduum: vnde indiuiduum in
ſua ſignificatione duo repreſentat, pri-
mum eſt illa res particularis, quã mate
rialiter importat, vt illa humana natu-
ra, quę eſt in Socrate, ſub illis materia-
libus conditionibus indiuiduãtibus: ſe-
cundum eſt intentio incommunicabili-
tatis, quã formaliter importat, & à qua
imponitur, & eſt quidam reſpectus com
parationis naturę ad conditiones indi-
uiduantes: non quod natura quę eſt in
ſorte diſtinguatur realiter à Sorte, ſed
B ſolùm ſecundum rationem, tanquã ali-
quid includens, quod aliud nõ includit:
Sortes enim includit naturam humanã
cum his conditionibus indiuiduanti-
bus, cum his carnibus, his oſſibus, quas
tamen conditiones natura in ſe non in-
cludit, imo quodammodo ſecludit, non
ſecundum rem, ſed ſecundum rationẽ,
ſiue modum conſiderandi: intellectus
enim conſiderãdo naturam abſolutè, ab
illis materialibus conditionibus abſtra-
hit: ad rem verò noſtrã cum de indiui-
C duo quæritur, an indiuiduum predice-
tur, ſermo non eſt de illo nomine ſe-
cundę intentionis, indiuiduum: ſed de
re ſubſtrata ſecundæ intẽtioni, videlicet
an res illa particularis, quę indiuiduum
dicitur, de vno ſolo particulari predice-
tur, quemadmodum Porphyrius in tex-
tu affirmat. Circa quod quæſitũ, qua-
tuor pro modulis noſtris examinare co
nabimur: primo quę & quot ad veram
predicationem requirantur: ſecundo
quotuplex ſit predicatio: tertio ſenten-
D tia Porphyrij quomodo intelligatur:
quarto an dictum S. Thomę ſit verum:
cui tandem modum, quo indiuiduum
vagum predicatur, addemus.

Quantum ad primum Auerroes
conſiderans predicationis naturã pro-
pter hoc fuiſſe excogitatam, vt illud
quod eſt ignotum, fieret per eam no-
tum: inquit quod ad proprietatem ve-
ræ predicationis duo requiruntur: pri-
mum eſt quod in ea vnum de altero
predicetur; v. g. predicatum de ſubie-
cto, in quo illud quod eſt ignotũ fit no-
tum: vt ſi dicatur homo eſt Animal,
tunc

tunc id quod ignotum erat, notum fit, scilicet hominem esse Animal: secundũ est, quod predicatum debet esse aliud à subiecto, saltem in modo significandi distinctum; ratio est, quia materia & forma distinguuntur, sed prędicatum in propositione, habet rationem formę, & subiectum materię, quare debent aliquo modo ab inuicem distingui: hinc cum in propositione, in qua idem de se ipso dicitur, nihil noui innotescat, & inter predicatum & subiectum nulla distinctio reperiatur, fit vt illa predicatio sit nulla: quare ipsemet Auerroes pluribus in locis, hanc predicationem, nugatoriam appellauit.

Caietanus in hoc capite, qui inter Auerroem & Porphyrium controuersiam dirimere intendit, atque vtriusque dictum saluare, præcipuè cum sententia Porphyrij à communi schola sustineatur: quamdam distinctionem de predicatione in medium affert, dicens quod predicatio est duplex: vna naturalis, alia artificialis: predicatio naturalis, (inquit) est, quę fini artis non est directè proficua: quod est dicere, cum predicatio ad hoc sit inuenta, vt aliquid de aliquo per illam innotescat; hoc non fit per predicationem naturalem: verũtamẽ ex natura rei significatæ, verissima est, quinimò ipsam naturam ad vnum determinatam imitatur: artificialis autem est illa, quæ ab arte finaliter, & non effectiuè prouenit: quod est dicere, predicatio artificialis dicitur artificialis, non ex eo, quod ab arte efficiatur, (omnis namq; predicatio, quecunque sit, opus est artis, & ab arte efficitur) sed ex eo quod fini artis deseruit, qui in logica est, ea instrumenta comparare, quibus ignota notescant: igitur talis predicatio erit illa, quæ, duo qualitercunque disiuncta coniungit, vt cum dicitur, homo est Animal, vel risibilis, vel albus: posita hac predicationis diuisione; Caietanus subdit, quod cum Aristoteles & Auerroes asserunt indiuiduum substantię nõ prędicari, verum est illorum dictũ, de prædicatione artificiali, in qua distincta adu-

A nantur, & ignota notescunt: sed de predicatione naturali, idem de se ipso dicitur.

1 Contra diuisionem à Caietano positam, insurgunt nonnulli hoc modo arguentes. Auerroes in libro primo priorum, & alibi, illam predicationem vocat naturalem, in qua superius de inferiori predicatur; quam sententiam habet expressam in lib. 7. metaphys. comm. 59. imo lucidissimus Themistius in lib. 1. posteriorum cap. 38. eam exponit: igi-
B tur non potest dici ad mentẽ Auerrois quod illa sit predicatio naturalis, in qua idem de se ipso predicatur.

2 Pręterea illa predicatio vocatur naturalis, in qua predicatum inheret naturaliter subiecto; sed quando superiora de inferioribus dicuntur, vt Animal de homine, & homo de Platone, sunt ibi naturales respectus, & inhęsiones predicatorum ad subiecta, ergo etiã istæ sunt naturales.

3 Pręterea si illa predicatio debet
C appellari naturalis, aut hoc est ratione materię, vel formæ, vel finis, vel agentis, vel conuenientiæ ad rem scibilem, vt scibilis est: sed nullo horum modorum est dicendum, ergo non debet dici predicatio naturalis: minor quo ad singulas partes probatur: non ratione materiæ, quia domus ex naturali materia, scilicet lapidibus & lignis conficitur, & tamen est quoddam artificiale: nõ formæ, quia forma predicationis est semper artificialis: non finis, quia non consequitur
D finem, ad quem predicatio est instituta, scilicet vt per ipsam ignotum innotescat: non agentis, quia etiam paradoxa, & reliqua quę ab agente fiunt, erunt naturalia: non conuenientiæ ad rem scibilem, quatenus scibilis est, quia ad nullam notitiam facit, ergo non est dicenda naturalis.

Verumtamen nos Caietani distinctionem positam defendentes, dicimus, quod hi qui, ipsi aduersantur, Caietani mentem nequaquam attigerunt: non enim Caietanus negabit predicationẽ illam, in qua superiora de inferioribus pre-

predicantur, esse naturalem, sicut duo priora argumenta insinuant: sed distinguendum est, quod nomine predicationis naturalis, duo intelligi possunt: primũ vt naturale significetur illud, quod artificiali opponitur: secundum, illud quod contra predicationem innaturalem distinguitur: non enim artificiale, & innaturale idem sunt, quamuis vtrũque naturali opponatur: dicitur autem in præsenti predicatio innaturalis, illa, in qua inferius de superiori predicatur, vt si dicatur Animal est homo, homo est Sortes: naturalis verò in qua superiora de inferioribus dicuntur; & dicitur naturalis, quatenus naturale contra innaturale distinguitur: etenim quamdam naturalem connexionem eorum, quæ sunt extra animam, significat: at si sit sermo de predicatione naturali, prout artificiali opponitur, tunc Caietanus illam predicationem appellat naturalem per quam nihil nobis innotescit, sed idem de se ipso dicitur, vnde dicebat quod hæc imitatur naturam, quæ ad vnum determinatur: iuxta hunc sensum illa predicatio in qua superius de inferiori predicatur, non debet nuncupari naturalis, eo quod per ipsam disiuncta coniunguntur, & ignota notescunt, quod fini artis logicæ conuenit, vt dictum est; & penès hunc sensum Caietani distinctio est intelligenda.

Sed quid quid sit de Caietani distinctione, quæ abijcienda non est: dicatur nunc cum Soto in cap. speciei q. vnica ad sextum, & cum Toleto in cap. de genere in tractatu de indiuiduo q. prima, quod predicatio indiuidui substantiæ de se ipso, & si sit vera predicatio, nõ tamen propria, sed impropria dicenda est: duo nunc dicta sunt, vnum quod est vera predicatio, alterum quod impropria est nuncupanda: ad quorum dictorum intelligentiam, notat Toletus, quod aliud est, aliquam prędicationem esse veram, & aliud esse impropriam: ad veritatem propositionis, sufficit quod res ita se habeat, sicut ipsa predicatio significat; quoniam ab eo quod res est, vel nõ est, oratio dicitur vera vel falsa vt Aristoteles in capit. de substantia affirmat: modo verissimum est dicere Sortes est Sortes, imo vt Boetius inquit, nihil est verius ea propositione, in qua idem de se ipso dicitur: sed ad proprietatẽ prædicationis, requiritur quod predicatum distinguatur aliquo modo à subiecto, sitque illius forma, sicut Auerroes dicebat; quę conditio non reperitur in illa predicatione, in qua idem de se ipso dicitur: Concludatur igitur, vel cũ Caietano quod sit predicatio naturalis, quatenus artificiali opponitur iuxta expositum sensum; vel quod sit vera, sed non propria, vt dictum est.

Contra hunc modum dicendi, sunt quidam recẽtiores, qui duo asseruerũt: vnum quod huiusmodi predicatio, nullo modo meretur predicationis nomẽ, nec etiam impropriæ, ita vt predicatio impropria dicatur: alterum quod si connexio verborum Porphyrij consideretur, videtur loqui de predicatione nedum propria, sed proprijssima; ac propterea cum incautè sit ipse loquutus, substinendus non est: hinc inferũt quod huiusmodi propositio, Sortes est Sortes, sit quędam oratio, sub specie orationis nugatorię reposita, sicut Auerroes in lib. 10 met. com. 8. affirmat.

1 Primum sic probant; quæcunque predicatio perficitur per propositionẽ, siue enunciationem, in qua subiectum & predicatum reperiuntur: sed de ratione quidditatiua, propositionis est, quod in ea aliquid de aliquo predicetur sicut Aristoteles in lib. 1. peryhermenias docet: ergo cum in hac nõ predicetur aliquid de aliquo, sequitur quod nomine predicationis proprię vel impropriæ non sit digna.

2 Præterea, quod apud Porphyrium sit predicatio propriissima, ex serie con textus apparet: in quo sic dicit: Generalissimum dicitur de omnibus sub se positis generibus & speciebus & indiuiduis: solùm autem species de omnibus indiuiduis: indiuiduum autem de vno solo particulari: ex quibus verbis videtur se-

tur ſecundum Porphyrium, quod indiuiduum eadem prædicatione de vno ſolo predicetur, qua generaliſſimum de ſpeciebus, & ſpecies de indiuiduis, & non diuerſa, alioquin in tam paucis verbis æqui vocaſſet: ſed genus & ſpecies predicantur predicatione propriiſſima, ergo & indiuiduum.

Ad primum horum argumentorum, negatur quod omnis propoſitio requirat diſtinctum predicatum à ſubiecto: nam & ſi hoc ſit verum, de propoſitione cathegorica, & de predicatione propria, fallit tamen de idemptica, ad quã ſatis eſt, quod idem per intellectũ percipiatur, vna vice ſub ratione ſubiecti, & altera ſub ratione predicati: nã vt Phyloſophus in lib. 5. metaph. c. de eodem, & eſt textus 16. ait, quod in relatione idemptica, intellectus bis vtitur eodẽ; ita poteſt dici de idemptica predicatione.

Ad ſecundum negatur quod Porphyrius in illo ordine verborum inſinuet indiuiduum eadem predicatione de ſe ipſo predicari, qua genera de ſpeciebus, & ſpecies de indiuiduis; quamuis verba ibi poſita hunc ſenſum habere videantur, ſicut nos ibi diximus: ſed illius intentio fuit oſtendere qualiter vnumquodque predicatum predicetur modo tamen ſibi competenti: & quia generibus & ſpeciebus conuenit de pluribus predicari; indiuiduo tamen, cum & ipſum ſit quoddam prędicatum de vno ſolo particulari predicari conuenit: reliqua, quę in argumentis principalibus, poſita ſunt examinãda, ad ſubſequentem lectionem differantur.

Dilucidatio 2.

Examinatur opinio D. Thomæ, an hæc propoſitio ſit per ſe, Sortes eſt Sortes. & defenditur.

FOrtaſſe difficile ſit de ſuperioribus rebus vehementer aſſerere, niſi ſæ-A pius pertractentur: dubitare tamen de ſingulis non eſt inutile, aiebat Ariſtoteles phyloſophorum Princeps in fine capitis de ad aliquid: quapropter cum in pertractando quæſito de natura indiuidui, diximus ad mentem diui Thomę in lib. 7. metaphyſ. in expoſitione ſeptimi textus quod indiuiduum ſubſtantiæ per accidens & indirectè de alio predicatur, vt dicendo homo eſt Sortes, album eſt Sortes, aut Animal eſt Sortes, quia id quod eſt homo, aut album, aut B Animal eſt Sortes: tamen de ſe ipſo per ſe predicatur, vt ſi dicatur Sortes eſt Sortes: iurè examinandum occurrit, an hæc prædicatio ſit per ſe, in qua prima ſubſtantia, vel indiuiduum de ſe ipſo dicitur; de hac enim re opiniones ſunt variæ.

Marcus Antonius Zimara, ex verbis D. Thomæ occaſionem nactus, Theorema quoddam, in ordine 34. contra D. Thomam exarauit, atque ipſum redarguendo, probat quod talis predicatio, C nullo modo ſit per ſe: ſed primo diſtinguit ex doctrina Auerrois in lib. 7. metaphyſ. com. 59. quod duplex eſt predicatio, vna naturalis, altera non naturalis: naturalis eſt quando in propoſitione illud quod ſubijci debet, ſubijcitur, & quod debet predicari predicatur: nõ naturalis oppoſito modo ſe habet, videlicet quando in propoſitione quod debet predicari ſubijcitur, & quod ſubijci debet, predicatur: etenim in propoſitionibus, ſubiectum habet modũ ma-D teriæ, & predicatum formæ, à qua propoſitiones ſpecificantur; & reſpectus inferiorum ad ſuperiora, & ſubiectorum ad accidentia eſt reſpectus materiæ ad formam: quam ob rem, quando propoſitiones ſic ordinantur, tunc dicuntur propoſitiones naturales, & oppoſito modo non naturales: his poſitis ſubinfert, igitur cum illa predicatio, in qua idem de ſe ipſo dicitur, non ſit naturalis, quia in ea non eſt diſpoſitio veri ſubiecti, & predicati, ſequitur quod non ſit predicatio per ſe; ſed ſicut Comentator in libro 10. metaphyſ. comm. 8. concludit

contra

contra Auicennam, erit predicatio nugatoria.

At si quis verba D.Thom.fuerit subtiliter contẽplatus, & fundamentũ impugnationis Zimaræ fuerit benè intuitus; fatebitur absq; dubio Zimarã ab intentione D.Th.toto cęlo aberrasse:nam ly per se,non vnã,sed plures significationes habet:quandoq; per se significat aliquẽ vnũ illorũ modorũ perseitatis,quos Arist.in lib. 1.post. c.4.assignat:quãdoq; dicit illud,quod contra per accidẽs, vel per aliud opponitur: ad rẽ nostrã, cũ S. Tho.asserit,quod hęc predicatio,Sortes est Sortes, est per se, nõ intelligit quod sit vel in primo, vel in secundo modo perseitatis: quis.n.nõ verebitur affirmare D. Tho. ignorasse, quæ ad propriam predicationem in primo, vel in secundo modo dicendi per se, requiruntur? sed intelligit, quod ly per se idẽ sonat quod non per aliud: & est sensus, Sortes est Sortes, ista propositio est vera per se.i. non per aliud medium, non per aliam causam, non per accidens, sed ratione sui:qua propter distinctio de duplici predicatione,quam Zimaras affert, ad rem non erit: probat enim ille vir quod hæc predicatio non sit naturalis, & per consequẽs nec predicatio per se:at nec ipse considerat, predicationem naturalem non esse eandem, nec cum predicatione per se conuerti: omnis.n.predicatio naturalis,de qua Auerroes loquebatur, est per se; sed non omnis predicatio per se,est naturalis,cũ ly per se,plures significationes contineat,vt dictum est.

At ne quis existimet, hoc nostrũ dictum voluntarium,ideo ex doctrina Aristot.pluribus in locis confirmatur: nam in lib.5.met.text. 23. inquit, quod & si hominis sunt multę causæ, vt Animal bipes, tamen homo secundum se est homo;quod est idem,quod dicere cum S. Th. Sortes secundum se est Sortes.i.nõ per aliã causam,sed ratione sui, quã interpretationem etiam Zimaras ibidem habet; Confirmatur authoritate eiusdẽ phylosophi in lib.2.peryherm. in c.vltimo,dicentis, quod hæc propositio, Bo-A num est bonum, est vera per se; sed illa bonum non est malum, est vera per accidens:ex quo loco elicitur, illam propositionem, in qua idem de se ipso predicatur,esse veram per se: quod & si Zimaras in calce eiusdem theorematis,dicat quod ly per se,stat pro eo, quod cõtra per accidẽs distinguitur; ex eo quod bonum per propriam naturam est bonum: tunc in eandem sententiam cum D.Thoma concurrit, qui in illa predicatione Sortes per se est Sortes, ly per B se intendit negationem alterius causæ, eo quod Sortes per propriam naturam sit Sortes: quod si etiam, per ly per se, predicationem naturalem intellexisset, (non tamen in primo, vel in secundo modo dicendi per se, sicut Zimara eum interpretari videtur) non est à veritate remotum: nam Boetius, inquirens, quomodo illa propositio sit vera per se, in qua Aristoteles dicit, Bonum est bonum; inquit quod est ve-C ra per se, idest per propriam naturam; quod est dicere, non ab aliqua extranea causa, sed ex sua intrinseca natura, bonum habet,quod sit bonum: & iuxta hunc sensum intelligitur S. Tho. quod hęc prædicatio est per se,Sortes, est Sortes,id est nõ per extraneam causam, sed ex sua intrinseca natura, Sortes habet quod sit Sortes: & hoc modo indiuiduũ substantiæ predicatur de se ipso per se; id est illa predicatio ex sua natura habet quod sit vera: quam quidem interpretationem etiam Toletus in cap. de D genere,in q. 1.de indiuiduo, conclusione secunda sequitur: quę autem de indiuiduo vago examinanda occurrunt, ad sequentem proximam lectionem differantur.

Dilucidatio 3.

Quomodo indiuiduum Vagum de pluribus prædicetur:& principalia argumenta totius propositę quæstionis soluũtur.

De in-

DE indiuiduo vago superest adhuc difficultas, an de vno solo particulari, vel de pluribus predicetur; sed paucis verbis dilucidanda est: est enim indiuiduum vagum, illud quod cum termino communi sub signo particulari significatur, vt quidā homo, aliquis bos, & huiusmodi. de qua quidem difficultate duos modos dicendi apud phylosophos inuenio: sed priori loco, quędā communis distinctio assignatur, videlicet, indiuiduum vagum duobus modis consideratur; vno modo quo ad vocem, & penès hanc considerationem ipsum de pluribus predicari nullum absurdū sub oritur: hęc enim sola vox, aliquis homo, communis est pluribus: alio modo secundum rem, & sic de pluribus nō predicatur: hunc modum dicendi habent quidam, quem his medijs corroborare nituntur.

1 Si indiuiduum vagum predicatur de pluribus secundum rem, ergo datur sextum Vniuersale, nam hęc sunt, quæ secundum rem de pluribus dicuntur; sed consequentia est contra Porphyriū, qui quinque tantùm vniuersalia assignauit, ergo indiuiduum vagum nō predicatur de pluribus secundum rem.

2 Pręterea Porphyrius in capit. de specie, inquit, speciem specialissimam esse proximam indiuiduis: sed si indiuiduum vagum predicatur de pluribus secundum rem, ergo inter speciem specialissimam, & indiuidua, datur medium Pręedicabile.

3 Præterea, Plato iubet post specialissimum non fieri descensum, quia dātur indiuidua, quorum non est ars, neque scientia: sed si indiuiduum vagum est predicabile de pluribus secundum rem, tunc licebit descendere; quia huiusmodi indiuidui vagi, quod ad instar Vniuersalium predicatur, erit ars & scientia.

4 Item Aristoteles in præludiis predicamentorum cap. 2. ita loquitur, quędam sunt, quę neque sunt in subiecto, neque de subiecto dicuntur, vt quidam homo: & in cap. de substātia inquit, substantia est, quę neque in subiecto est, neque de subiecto dicitur, vt quidam homo: ergo indiuiduum vagum non predicatur secundum rem de pluribus: hāc antiquissimam opinionem, ex recētioribus sequuntur Toletus super prologū Porphyrij, q. 3. in responsione ad quartum argumentum: & Magister Emilius Vallimbrosanus in lib. 2. quest. logicalium q. 3. assertione secunda.

Ex altera parte Paulus Venetus, & Caietanus, quorum sententiæ, multi Iuniores libenter subscribunt, asserunt indiuiduum vagum, non solùm nomine, sed etiam re, ad instar quinque predicabilium, de pluribus predicari: quod etiā D. Thomam sensisse in p. p. q. 29. art. 1. ad primum: Caietanus authumat: ad cuius positionis intelligētiam, notat, quod in Sorte, ac cęteris singularibus tria cōsiderantur: primum est natura humana, quæ in ipso est: secundum est modus, quo illa natura in eo est, qui modus est particulariter existere: tertium est principium, quo illa natura ad sortem determinatur, puta materia signata: igitur quia horum trium, natura, & modus quo in singulis ipsa particularizatur, sūt omnibus communia; omnis enim homo, & homo est, & aliquis homo: hinc fit, quod indiuiduum vagum non solum nomine, sed etiam ratione de pluribus predicatur, sed principium quo natura ad hoc determinatur, proprium est ita huic, quod nulli alteri conuenit: Notandum tamen est, indiuiduum vagum in dubous à specie distingui, primo in ratione continentię, quia plures homines sunt in specie vnus homo, at plures homines non sunt in indiuiduo vago aliquis homo; eo quia aliquis homo totā hominis naturam & continentiam euacuare non potest: secundo distinguitur in modo predicandi, quia species predicatur in quid, sed indiuiduum vagum in quale, intelligendo per ly quale, omnem alium modum à quid: nam vt Caietanus dicit, proprium interrogatiuum indiuidui vagi est cuiusmodi: ratio est, quia de sorte, triplex quęstio formatur,

prima

prima de quidditate, quid Socrates ſit ad quam reſpondetur homo: ſecunda cuiuſmodi homo ſit, vniuerſalis, an particularis, ad quam reſpondetur aliquis homo: qua determinata, quæritur quis homo, & reſpondetur Sortes.

Harum opinionum, vtraque probabilis eſt: nec prioris aut poſterioris rationes, tanti roboris ſunt, vt ad vnã magiſquam ad aliam ſuſtinẽdam nos coarctent; qua propter vnuſquiſque de hac re in ſuo ſenſu abundet: & quoniam ad vtriuſque opinionis argumẽta, ſolutionem afferre intendimus: ideo ad faciliorem perceptionem, notetur, quod licet particulare & ſingulare ſint idẽ ſecundum rem, ratione tamen diſtinguuntur; nam particulare ſignificatur termino communi, addito ſigno particulari, vt ſi dicatur, quidam homo aliquis Leo: & dicitur particulare à parte, ex eo ꝙ terminus cõmunis. v. g. homo vel Leo, per illud ſignum, aliquis, vel quidam, ad aliquam partem illius Vniuerſalis contrahatur, ſcilicet ad aliquod indiuiduũ, quod cum non ad hoc, aut illud determinetur, ob hanc cauſam dicitur vagũ: ſed ſingulare duobus modis ſignificatur, aut termino diſcreto, ſiue nomine proprio, vt Socrates, Plato, vel cum termino communi addito pronomine demonſtratiuo, vt hic, vel ille homo, & importat hanc naturam ad hoc ſuppoſitũ determinatam: vnde indiuiduum vagũ & ſignatum, in duobus differunt, primo ſicut res determinata & indeterminata; ſecundo quia indiuiduum vagum, addit exiſtentiam ſuper ſpeciem, non enim homo exiſtit niſi in aliquo homine, ita dicit Ariſtoteles in cap. de ſubſtantia: ſed ſingulare vt Socrates, vel hic homo, addit ſuper exiſtentiam, accidentia, & proprietates tales: his dictis ad argumenta opinionum nunc reſpondeatur.

Ad primum ſunt qui conſequentiam admittunt, videlicet dari ſextum Vniuerſale: ad authoritatem Porphyrij reſpondent, ea tantùm vniuerſalia ipſum pertractaſſe, de quibus in prohemio pollicitus eſt, quare arguendus nõ eſt: ete-

A nim quæ promiſerat, ſeruauit: indiuiduum enim vagum habet alium modũ prædicãdi, quoniam prædicatur in quale, intelligendo per ly quale omnẽ aliũ modum à quid quicunque ſit.

Ad ſecundum dicitur, quod dari aliquod medium inter ſpecialiſſimum & indiuidua, duobus modis intelligitur, primo ſecundum rem, & ſic nullum medium datur, alio modo ſecundum modum, & ſic datur medium: nam indiuiduum vagum, quatenus à ſpecie & à ſin-
B gularibus diſtinguitur, dicit quemdam modum rei, quo hic homo eſt aliquis homo: vel dicatur quod tale medium eſt importare naturam contractam ad ſuppoſitum, ſed indeterminatè; vbi indiuidua ſignata important eandem naturam ad hoc ſuppoſitum determinatã.

Ad tertium reſpondetur, quod præceptum Platonicũ intelligitur de deſcenſu, per diuiſionem formalem, ſecundum quam poſt ſpecialiſſimum deſcendere non licet: ſed aliquis homo nõ di-
C ſtinguitur ab homine, niſi materiali diſtinctione, & à ſingularibus, non niſi ſecundum modum, ſicut dictum eſt.

Ad quartum reſpondetur, quod Ariſtoteles vbique locorum, vel vt plurimum, quando de prima ſubſtantia loquitur, non curando qualitercunque particulare & ſingulare diſtinguantur, præcipuè cum ſint idem ſecundum rẽ, propter hoc vnum pro alio vſurpauit: nam ſub vtriuſque ſignificatione ſem-
D per primam ſubſtantiam denotauit.

Ad argumenta alterius opinionis: reſponderi poteſt, quod & ſi ipſa natura ſit communis; tamen modus quo ipſa particulariter exiſtit in hoc & illo, non eſt communis communitate vniuoca, ſed æquiuoca, quia ſub diuerſa particulari ratione, in hoc & illo exiſtit: & hæc de tota propoſita quæſtione de natura indiuidui ſufficiant: ſupereſt modo vt principalia argumẽta in principio quæſtionis, propoſita ſoluantur.

Ad primum ad authoritatem Auerrois duo dicuntur; primum quando inquit, quod indiuiduum ſubſtantiæ de

ſeipſo

seipso non prædicatur, verum est predicatione propria & artificiali, predicatur tamen prędicatione vera, sed impropria sicut dictum est: quod si ipse intendat nullam predicationē fieri á prima substantia, in hoc Auerroes non teneatur: secundum, quando ipse dicit, quod solū indiuiduum accidentis de vno solo predicatur, quia verum est dicere Socrates est hoc album; dicitur contra Auerroē, quod & si illa prædicatio sit vera, nō tamen est propria: nam Aristotel. in ante predicamentis cap. 2. dicit hoc album est in subiecto, sed de nullo predicatur: & ratio est, quia quando demonstratur accidens indiuiduū, demonstratur ipsū subiectum in quo est, quia ab eo indiuiduatur, vnde per inde est dicere Ioannes est hoc album, ac Ioannes ipse est habens albedinem.

Ad omnes authoritates Aristotelis, in quibus asserit indiuiduum de nullo predicari, respondetur quod Aristoteles intendit quod indiuiduum de nullo inferiori prędicatur: tamen ex hoc non negat, indiuiduum substantiæ de se ipso predicari, predicatione vera, quamuis impropria, vel naturali, iuxta quem sensum nos Caietanum exposuimus.

Ad septimum respondetur ad maiorē, quod illa propositio est vera de predicatione propria & artificiali: at in idēptica satis est quod idem per intellectum bis sumatur.

Ad octauum conceditur quod predicari de aliquo, propria & artificiali predicatione, & esse in eo, & illud notificare per dici de illo: modo indiuiduum substātiæ, predicatione impropria, quāuis vera de se ipso predicatur: ideo non oportet quod Sortes sit in seipso, tanquam predicatum à subiecto quoquo modo distinctum, ipsumque notificans: quod si quis obijciat, quomodo idem de seipso predicetur, nisi idem sit in seipso, respondeatur quod Aristoteles nō negat aliquid esse in seipso per se non primo, ratione partium: nam Sortes est Sortes ratione formę & materiæ, & ratione harum partium dicitur esse in seipso, & per consequens de se ipso predicari.

Ad primum alterius partis, respondetur, quod Boetius non dixit idem de se ipso predicari magis propriè, sed verius: quare illa predicatio est vera, & si non sit propria, & fini artis deseruiens.

Ad secundum quod est D. Thomę, cum dicit, quod hæc predicatio, Sortes est Sortes, est per se: ly per se, non accipitur quatenus importat primum vel secundum modum perseitatis: sed quatenus alterius causę negationem designat: hoc idem dicatur ad illas authoritates Aristotelis, ex lib. 5. metaph. & ex secundo peryherm. bonum est bonum per se, idest non per aliam causam, sicut supra exposuimus: & de presenti questione, satis dicta sint.

De differentia. Capitulum tertium.

Dilucidatio I.

Text. Differentia verò, & cōmuniter, & propriè, & propriissimè dicitur: nam communiter quidem differre alterum ab altero dicitur, quod alteritate differt quocunque modo, vel à se ipso vel ab alio. Differt enim Socrates à Platone alteritate, & ipse a se sene, & puero existente, & viro facto, vel iam faciēte aliquid, vel quiescente: & semper in aliquo modo habendi se, alteritatibus spectatur. propriè autem differre alterum ab altero dicitur, quando inseparabili accidenti, alterum ab altero differt. inseparabile vero acci-

dens est, vt cæcitas oculorum, aut nasi curuitas, aut cicatrix, cũ ex vulnere occaluerit. Proprijssimè autem differre alterũ ab altero dicitur, quando specifica differentia differt: quemadmodum homo ab Equo specifica differentia differt, rationalis qualitate.

NVllus, qui sanum sapit intellectum, nunc ambiget, cur Differentia, Proprio & communi accidẽti anteponatur: benè quidem & meritò in dubium iam reuocatum fuit, an speciem antecedere debuisset; atq; subinde determinatũ est, quod Differentia ordine naturæ ipsam speciem anteire debebat: est enim speciei pars essentialis, quam Aristot. in libro 5. metaph. text. 19. primam qualitatem substantiæ appellat: verumtamẽ ordo doctrinę poposcit, vt prius de specie tractatus conficeretur, tum quia generis correlatiua est, tum ex eo quod species in quid, differentia verò in quale predicatur: quapropter quemadmodum rei quidditas, ac substantia, rei qualitatem, præcedit, eo quod qualitas supra substãtiam fundatur, ita predicatio in quid predicationem in quale antecedit: at quoniam predicari in quale bifariam adhuc contingit, aut in quale (vt ita dicam) essentiale, vel purum accidentale: primoque modo conuenit differentiæ, & altero proprio & communi accidenti, hinc fit vt differentia illis præponatur; cui expositioni doctissimi Ammonius & Boetius consenserunt.

Regulam, quam pluribus in locis, Aristoteles Peripateticorum Princeps docuit, Porphyrius nunc seruat, videlicet æquiuoca prius diuidenda, quàm definienda sunt: igitur quia differentia quoddam ęquiuocum, seu vt alij dicũt, analogum est, ob id prius diuidenda, quàm definienda erat: at scitu dignum est, illud quod recentiorum nonnulli

A adnotarunt, scilicet differentiam duobus modis capi: primò concretè, & sic nihil aliud est, quàm ipsa res, quę differt: alio modo abstractè, & sic est principium, vel forma, qua vnum ab alio differre dicitur: nunc non penès primã, sed secundam acceptionem de differentia agitur: iuxta quam secundam significationem, duobus modis, ipsa differẽtia adhuc considerari potest. primo, secundum se, & absolutè, alio modo quatenus assumitur per intellectum ad pre-
B dicandum de eo, cuius est differentia: & secundum hanc vltimam significationem Porphyrius de illa agit.

Quod si quis obijciat, muneris esse Metaphysici de differentia pertractare, eo quia entis realis naturam participat, ideo Aristoteles in lib. 5. metaphys. text. 9. de ea agit: non displicet solutio Toleti dicentis, quod cum ipsius differentiæ plures actus assignentur, videlicet genus determinare, speciem constituere, & ab alijs eam distinguere: tunc
C hi actus duobus modis considerantur, primo modo fundamentaliter, prout in ipsis rebus sunt: alio modo prout per intellectum assumuntur, & exercentur, quod est dicere, quatenus per illam diuidimus genus, & speciem cõstituimus: & hoc secundo modo agere de ea ad logicum spectat: nam sic est eam secundo intentionaliter considerare: verũtamen quia in ipsis rebus faciliori modo per-
D cipitur, hinc est quod Author cum rebus eam permiscuit.

Totum hoc caput, apud quosdam in tria membra partitur, in quorum primò differentiæ acceptiones quædam ponuntur, & explanantur: in secundo multiplices illius diuisiones assignantur: in tertio quinque eiusdem definitiones constituuntur: quantum ad primum Author tres acceptiones differentiæ insinuat dicens. differentia tribus modis dicitur, videlicet, communiter, propriè & proprijssimè: & est ac si dicat, differentia est triplex, quarum prima appellatur cõmunis, secũda propria, tertia proprijssima: cuius diui-

ſionis rationem, ex his, quę à Boetio dicuntur, ſumere poſſumus: omnis etenim differentia, inquit ipſe, differre facit: igitur vel facit differre eſſentialiter, vel accidentaliter: ſi primo modo eſt differentia propriiſſima; nam res per hanc eſſentialiter & ſpecificè differunt: ſi ſecundo modo, bifariam adhuc illud contingere poteſt, aut facit differre per aliquod accidens, quod ex ſua natura eſt inſeparabile ab illo ſubiecto cui ineſt, & ſic eſt differentia propria: habet itaque huiuſmodi accidens, cauſam permanentem in ſuo ſubiecto, ob quam inſeparabiliter adheret: vel differre facit per accidens ſeparabile, quod ſui eſſe permanentem cauſam in ſubiecto non habet, & ſic eſt differentia communiter dicta. Poſita hac trimembri diuiſione: tunc vniuſcuiuſque membri explanationem Porphyrius aggreditur, & quid vnaquæquæ harum differentiarum, ſit, explanat: hoc tamen vnum ſciendum eſt; quod cum differentiarum effectus, qui ſunt facere differre, ſint nobis notiores, ideo per illos eas declarat: igitur quantum ad differentiam communiter dictam, inquit quod differre per hanc differentiam non eſt aliud, quam vnum ab alio differre quadam alteritate, quocunque modo accidat: imò non ſolum vnum ab alio, ſed idem à ſeipſo per hanc differentiam differre contingit: exemplum primi Socrates differt a Platone, vel quia Sortes eſt albus, & Plato niger; vel quia Socrates mouetur & Plato quieſcit: exemplum ſecundi, Sortes nunc ſenex differt a ſeipſo iam puero exiſtente, vel nunc ambulans à ſeipſo olim quieſcente. Circa quam primam differentię ſignificationem, animaduertendum eſt, quod hęc differentia dicitur communis, & accidens ſeparabile: dicitur accidens ex eo quod alicui ſubiecto ineſt, nam albedo, nigredo, ſeſſio, ambulatio, eo quod ſunt accidentia, ſubiecto inſunt, accidentis enim eſt ineſſe, inquit Ariſtot. in libro 7. metaphyſ. text. ſecundo dicitur ſeparabile,

A quia in illo ſubiecto, cui ineſt, permanentem cauſam ſui eſſe non habet: vocatur Differentia, quia huiuſmodi accidens facit differre ſubiectũ in quo eſt, ab alio quod oppoſitæ formæ ſubſiſtit. Sed quã ob cauſam tale accidens nuncupatur Differétiæ communis? Magnus Albert. Caiet. ac Sotus credunt equidem non ob aliã cauſam, ſic dici, niſi ex eo quod ſit ex rebus, quibus homines, proprijs ſenſibus apprehendunt communiter entium diſſimilitudinem, & quandam di-
B ſtinctionem: nos enim ſenſu percipimus per has accidentarias differentias mundi entia communiter differre: eſt & alia huius appellationis ratio, quam Ammonius & Boetius habent, quibus Caiet. Sotus, & Toletus ſubſcribunt, videlicet, vocari cõmunem differentiam propter hoc quod tale accidens nulli extremorum eſt proprium: ſed quemadmodum núc in vno, ſic deinceps in alio reperitur patet igitur quæ ſit Differentia cõmunis, & ob quã cauſam cõmunis dicatur.
C Deinde ad ſecundam Differentię acceptionem accedens, ait, quod Differre propriè alterum ab altero dicitur, quãdo inſeparabili accidente differt: cuius rei ſubiungens exempla inquit, accidẽs inſeparabile eſt, v.g. oculorum cæcitas, naſi curuitas, aut Carnis cicatrix; cum ex vulnere occaluerit. i. indurata fuerit: hinc quis cæcus dicitur differre differẽtia propriè dicta, ab eo qui nõ eſt cęcus; & habens naſum curuum, ab eo qui nõ habet, & ſic de ſingulis. Circa quã ſigni-
D ficationẽ ſciendum eſt, quod hęc differentia eſt accidens inſeparabile, & dicitur propria: eſt accidens, quia eſt de genere accidentis, qua propter accidentaliter differre facit. eſt inſeparabile, eo ꝙ permanentem cauſam ſui eſſe in ſubiecto habet: vocatur differentia, quia ſubiectũ, cui ineſt, differre facit ab alio, in quo oppoſita forma reperitur; tandem vocatur propria, non ratione ſpeciei, ita vt ſit proprium quarto modo, alioquin vel omnem oculum eſſe cæcũ, vel omnem naſum curuum oporteret, ſed quia appropriato & peculiari ſubiecto ineſt:

cæcitas enim non nisi in oculo, simitas non nisi in naso, & cicatrix non nisi in carne reperiuntur.

Postremum quid differentia propriissima sit, per proprium illius effectũ exponit, dicens, quod Differentia proprijssima est illa, qua vnum ab alio differt essentialiter & specificè, vt homo differt ab asino per rationalitatem: est itaq; specifica differentia quę sub aliquo genere speciem constituit, dans eidem esse, & vnitatem, & ab alijs speciebus sub eodẽ genere constitutis diuersitatem: dicitur enim propriissima, quia in supremo, ac perfectissimo gradu differre facit: nam duæ priores accidentaliter tantùm differre faciunt: sed hæc, remoto quocũq; accidenti, siue proprio, siue cõmuni, tamẽ facit differre hominem à bruto: hęc sola in arbore Porphyriana (quamuis à latere) constituitur: atque de ea tractare Author intendit: quę & si in vltimo diuisionis mẽbro sit posita, hoc pro tanto factum est, vt à dicendis longius distent, quę improprio nomine differẽtiæ nuncupantur: qua de re, Differentię in primo & secundo modo sumptæ indiuiduorum ac singularium tantùm differẽtię à Boetio meritò dicuntur, quia hæc accidentia singularium sunt propria: sed tertio modo sumptæ, generum & specierum Differentiæ sunt: per ipsas etenim genera in suas species diuiduntur, atque species constituuntur, quemadmodum in hoc eodem capite dilucidabitur.

De differentia. Disputatio prima.

Mouentur quinque Dubitationes circa expositum textum.

Dilucidatio I.

Quartum membrum Diuisionis (quæ est diuisio vocis a- A nalogæ) assignare, necessarium non est.

QVONIAM veritas dilucidior, nec non clarior redditur, dilucidatis his dubitationibus, quæ ipsam obscuriorem reddere possunt: ideo postquam verba Porphyrij interpretati sumus: aliquæ dubitationes obmittendę nequaquam sunt, quæ & ipsã veritatem, & nostram intentionem, nec B modicè quidem perturbare possent.

1 Prima igitur dubitatio est hæc: extant nonnulli expositores, qui ipsam rem subtilius fortè quàm opus fuerit, considerantes, suspicati sunt, trimembrem diuisionem Differentiæ, à Porphyrio assignatam, nimis diminutam esse: etenim cum omnis propria passio, quæ ab essentialibus principijs speciei profluit, v. g. risibilitas in homine, nõ minus faciat suũ subiectum differre, quam differentia cõmunis vel propria, ob id au- C thumarunt differentiam quadrifariam diuidendam esse, videlicet in cõmunẽ, propriam, magis propriam, & proprijssimam: ita vt primo, secundo, & quarto diuisionis membro, respondeant tres significationes differentiæ à Porphyrio positę: tertio autem membro, ea differentia, qua proprijs passionibus à natura specifica emanantibus, singula inter se differunt.

2 Secunda dubitatio circa eandem diuisionem ab Authore in initio capitis D positam consistit: an ea diuisio sit generis in species, vel totius in partes; vel vocis in significationes: non enim est diuisio generis in species, quoniam genus æquè primo de suis speciebus dicitur, sed non sic differentia de illis tribus acceptionibus: non diuisio totius in partes, quoniam totum de suis partibus nõ prædicatur, sed diuisum in hoc loco de singulis differentiis dicitur: non vocis in significationes, quia hęc vox Differentia, equè primò illa tria importaret, quod nunc non accidit, eo quia de vltima acceptione primò dicitur: quare, &c.

3 Tertia dubitatio,est,quo nã modo hæ tres significationes differẽtiæ ab inuicem distinguantur,ita vt vel differentes,vel diuersæ vocari debeant: quod si differentes dicantur,ergo quartã à prædictis differentiã assignare, necessarium erit, per quam hæ ab inuicem differant.

4 Quarta dubitatio,nec quidẽ aspernenda est,circa illã propositionẽ, in qua dicitur Sortes senex differt à seipso puero: quęritur quomodo hæc propositio sit vera:ipsa.n. stante,sequitur quod Sortes senex, nõ sit idẽ sibi ipsi olim puero: sed consequens est falsum,ergo & antecedens:probatur primò cõsequentia:nã idẽ & differẽs opponũtur sicut in lib. 5. & 10. met. dicitur,sed ex quolibet opposito sequitur alterius contradictorium, igitur si Sortes à seipso differt, ergo non est idem sibi ipsi: falsitas patet, nam Sortes olim Puer, & nunc senex, idem est.

5 Quinta dubitatio est circa sentẽtiã quorundam affirmantium Differẽtiam in vniuersali sumptam,& vt eã Porphyrius,primò diuidit,tria predicabilia suo ambitu continere:dicunt enim differẽtiam communiter dictam esse accidens, quod quintũ predicabile importat: propriè sumptam à quarto predicabili non distingui: proprijssimam verò tertium predicabile, quod est ipsa differentia significare: hæ sunt dubitationes dilucidandæ.

Ad resolutionem harum dubitationum, eo ordine processuri sumus, quo eas proposuimus: atq; ad primã dilucidandã accedentes,dicimus,nequaquam fuisse necessariũ quartũ membrũ diuisionis differentię assignatæ,quæ proprio quarto predicabili correspõderet: eo quod proprium non minus quam differentia in primo & secundo modo accepta differre faciat: nam Porphyrij intentio erat de duplici differentia tantùm agere, videlicet de illa quę substantialiter differre facit, sicut ea est, quæ proprijssima dicitur: & de illa quæ inter indiuidua tantùm accidentariam

A distinctionem facit, siue separabiliter, siue inseparabiliter, & sic est differentia communiter, & propriè dicta: nam hæc cum sint quædam accidentia, ideo inter indiuidua tantùm differentiam ponunt: quoniam sicut Boetius inquit huiusmodi accidentia sunt indiuiduorum, & singularium: sed proprium quartum predicabile, (dummodo appellari differentia possit) non est indiuidualis differentia, nec indiuidualiter differre facit, quoniam primò competit speciei, & de ea immediatè predi-

B catur, sicut Aristoteles in libro primo posteriorum capit. quinto dicit: neque ipsam speciem constituit, aut distinguit, sed eam iam constitutam & distinctam supponit, quia ab essentialibus principijs ipsius emanat: quod si aliquo modo illam ab alijs distinguat, non principaliter, sed secundariò id facit: sicut in hoc eodem capite explanabitur: & ita ad primam dubitationem solutio habeatur.

C Ad secundam dubitationem, in ordine positam, Auicennas, cuius sententię Burleus, Paulus, Caietanus, ac Sotus consentiunt; respondent illam diuisionem esse vocis analogæ in sua analogata: nam Differentia vt quoddam analogum in illas significationes diuiditur: & prius de differentia proprijssima dicitur, secundo de propria, tertio verò de communi; quamuis respectu nostrę sensitiuæ cognitionis, differentiæ communis & propria, prius

D occurrant: hanc, (nisi mea me fallat opinio) esse Scoti sententiam arbitror: nam ipse in quest. vigesima tertia vniuersalium, huiusmodi verba habet: hęc est diuisio vocis in suas significationes, non vocis æquiuocæ primo modo, quia equiuoca sic id est primo modo, multa important: sed penès secundum modum, quia sic ęquiuoca significant vnum propriè, & ex impositione, aliud transumptiuè: sed quod hæc sit analogi natura: ex libro 4. met. colligitur, in quo Phylosophus docet, sanũ analogicè dici de multis sanis,

sed de Animali propriè, de aliis autem transumptiuè.

Contra hanc resolutionem, aliquis suspicabitur, hanc esse diuisionem generis in species: nam Porphyrius in hoc eodem capite assignans quintam Differentiæ diuisionem, habet hec verba: cū igitur tres species differentiæ considerentur, &c. igitur quia ab Authore vocantur species, videtur quod sub aliquo genere contineantur, & ita sit diuisio generis in species. Ad hoc respondetur quod Porphyrius in illo loco vocat has differentiarum significationes, species, improprio & extenso vocabulo, pro omni eo quod sub aliquo continetur: modo cum hæ differentiarum significationes sub quodam analogo, tanquam sub quodam superiori contineantur: hinc est, quod ab Authore species vocantur. & hæc satis.

Dilucidatio 3.

Tres significationes Differentiæ à Porphyrio assignatæ non dicuntur ab inuicem differētes sed se ipsis primò diuersæ.

Tertia dubitatio in superiori lectione proposita, erat an tres significationes Differentiæ, à Porphyrio assignatæ, sint inter se per aliquam differentiā differentes; aut diuersæ potius vocari debeant: ad huius dubitationis resolutionem duos modos dicendi inuenio: nā quidam asserunt has tres differētiæ acceptiones esse seipsis primò diuersas, ac nullo modo differentes dici posse, alioquin per aliquam differentiam differrent, & ita præter tres assignatas acceptiones, quartum membrum ponendū esset: sed quę diuersa sunt, seipsis primò diuersa sunt, & nullo medio indigent, quo sint diuersa, sicut Aristot. in lib. 10. metaphys. tex. 12. dicit.

Alij verò asserunt has significationes, specifica differentia inter se differentes

A esse, eo quia sub vno communi genere omnes continentur: imo Porphyrius (inquiunt) vocat eas, species: igitur si sūt species sub aliquo communi genere continentur, & per consequens aliqua specifica differentia inter se differunt, genus etenim per specificas differētias in species diuiditur: quod si quis ab eis petat, per quam differentiam differunt? respondent per propriissimam: nam quemadmodum per hanc quæuis species à quacunque alia distinguitur, ita

B per eandem hæ tres species differentię ab inuicem differunt: inquiunt enim sic, Differentia communis differt à propria per propriissimam: pariter illud quod est differentia communis vel propria, differt ab eo quod est differentia proprissima, per differentiam proprissimam.

Sed quidquid hi dicant; nos contra hanc secundam opinionem aliter sentimus: ac dicimus quod Differentes nullo modo dicuntur Differentiæ, sed bene

C diuersę.

Ad cuius nostræ positionis intelligētiam, sciēdū ex Arist. in lib. 10. met. tex. 12. quod inter differens & diuersū magna distinctio reperitur: ad hoc enim ꝙ aliqua dicantur propriè differre, duę cōditiones requirūtur: quarum prima est, quod conueniant in aliquo communi, non analogo, aut proportionali, sed vniuoco, quod sit genus, vel species: altera, debent habere aliquid, quo distinguantur: exempli gratia homo & Equus, di-

D cuntur differentes, quia conueniunt in genere, scilicet Animali, distinguuntur deinde per differentias rationale & irrationale: Similiter Sortes & Plato cōueniunt in specie, scilicet in homine; distinguuntur postea materialibus conditionibus incommunicabilibus: Sed illa dicuntur esse propriè diuersa, quæ in nulla natura conueniunt, quod dictum hoc modo intelligi debet, quod non conueniāt in aliqua natura vniuoca, sed seipsis primo (nullo addito) distinguūtur: hinc Auerroes in lib. 8. metaphys. com. 16. dicebat prima genera, quæ sunt decē predica-

dicamenta, esse primò diuersa, quia & si in ente conueniant, ens tamen vnam naturam non dicit: si quis enim prima entia vocet, æquiuocè nuncupabit inquit Porphyrius: ita ad rem nostram, cum hæ tres significationes differentię in nullo communi vniuoco conueniant, neq; aliquid, quo ab inuicem distinguantur, habeant, ideo non differentes, sed diuersæ vocabuntur: & hoc est, quod ex Aristotele in libro quinto metaphysicę in cap. de eodem, elici consueuit, quod diuersum per suam essentiam est diuersũ, sed differens per aliquid in essentia existens: Concludatur igitur quod differentiæ sunt rationes differẽdi, puta quibus species differunt, sicut albedo non est alba, sed albi forma; & quod nõ alijs differentiis distinguuntur, sed se ipsis primo: & propter hoc non differentes, sed diuersę ab inuicem dicuntur: conclusio clarissima est D. Thomæ in p.p.q.3. art.8. ad 3. & in q.90. art.1. ad 3.

Contra hanc determinationem obijciunt aduersarij. Differentia vniuersalissimè sumpta est genus sub quo omnes significationes differentiæ continentur, tanquam illius species, ergo per aliquam differentiam illæ species distinguuntur, & ita differentes ab inuicem dicentur.

Sed contra hanc obiectionem probatur, Differentiam vniuersalissimè sũptam, non esse genus vniuocum ad illas significationes differentiæ.

1 Omne genus est extra essentiam & quidditatem Differentiæ, sicut Aristoteles in libro 3. metaphys. text. 10. ait; sed differentia Vniuersalissimè sumpta non est extra essentiam & quidditatem cuiuscunque differẽtię, per quam ipse Differentiæ differunt, ergo Differentia vniuersalissimè sumpta, non est illarum genus.

2 Pręterea, omne differens ab alio per aliquam Differentiam differt, sicut Arist. in lib. 10. metaphys. tex. 12. scribit; igitur si hę Differentię differunt, ergo per aliquam differentiam differunt: sed consequens est falsum, ergo & antecedens: falsitas hoc modo manifestatur petendo quæ sit differentia, per quã ipsę Differentiæ differunt: quod si assignetur Differentia propriissima, sicut asserunt qui eam opinionem defendunt.

3 Contra, Differentia propriissima est vnum membrum diuisionis à Porphyrio assignatæ, ergo non est quo Differentiæ differunt: sed esset potius membrum ab alijs differentiis differens.

4 Præterea, Differentia propriissima per prædictam opinionem est vna species ab aliis speciebus differentiæ differens: igitur vel distinguitur ab alijs speciebus per aliam differentiam, vel per se ipsam: si per aliam, cum & hæc sit differentia, ergo & hæc per aliam differet, & illa per aliam, & sic erit processus in infinitum: si vero per se ipsam, ergo non erit differens, sed diuersa: & pari ratione de alijs idem asserendum est: qua propter concludatur, non solùm specificam Differentiam, sed quamcumque aliam scilicet communem & propriam, quatenus sunt differentiæ, esse conceptus simpliciter simplices, & se ipsis primò ab inuicem distingui. Ad authoritatem Porphyrij, qui videtur asserere esse tres Differentiarum species: iam dictum est in superiori lectione quod Porphyrius vocat eas species, improprio & extenso vocabulo, pro omni eo quod sub aliquo continetur: reliquarum autem dubitationum solutiones, breuitatis studio, ad sequentes lectiones differantur.

Dilucidatio 3.

Sortes senex & Puer, est idẽ sibi ipsi simpliciter & substantialiter; differt tamen accidẽtaliter, & secundum quid.

PORPHYRIUS in initio huius capitis, assignans naturam Differẽtiæ communiter dictæ, dixit quod per eam, non solum vnum ab altero, sed etiam idem à se ipso differt, atque huius secundi exẽ-

plum

plum apponens, dixit quod Sortes senex differt à seipso iam puero existente, quærebatur igitur quarto loco, quomodo hæc propositio fit vera ad cuius propositionis intelligentiam, Scotus in q. 24. Vniuersalium, inquit, quod hęc propositio est vera iuxta primam Differentiæ acceptionem, eo quia quodcunque accidens impedit omnimodã identitatem: falsa autem iuxta secundam & tertiam differentię significationem, quia pueritia & senectus non sunt differentiæ neque inseparabiles, neque essentiales. Alij sic distinguunt Socrates duobus modis consideratur, primo secundum suum esse substantiale, & sic est idem Socrates Puer & senex, quia in tota sua etate, secundum suam substantiam non variatur, alio modo secundũ esse accidentale, & sic quia pueritia & senectus sunt accidentia, naturam Socratis accidentaliter diuersificantia, sic secũdum esse accidentale Sortes senex à se ipso puero differt.

1 Sed contra hanc distinctioné, quidam his rationibus obstant: in Socrate fit continua nutritio per appositionem nouæ materię; & fit continua materiæ Socratis deperditio ob consumptioné caloris naturalis: quemadmodum Aristoteles in libro primo de generatione longo processu ostendit: ergo sortes senex, non est idem sibi ipsi substantialiter Puero olim existenti.

2 Confirmatur authoritate eiusdem Aristotelis in eodem libro in textibus 35. 36. & 37. in quibus ostendit quod & si caro secundum speciem maneat, tamen secundum materiam aduenit & recedit, ergo Socrates non est sibi ipsi semper idem.

Ad horum dubitationum resolutionem & si modum, quo viuentium fiat nutritio, & augmentatio, nunc dilucidaturi non sumus: nam de his, multiplex phylosophorum sententia est, sicut apud Aristotelem in libro primo de generatione apparet; tamen paucis verbis reserabimus, qualiter indiuiduum; v.g. Sortes toto vitæ suæ tempore, sit si-

A bi ipsi substantialiter idem; & qualiter varietur.

Sit igitur primum notandũ ex Aristotele in lib. 1. de generatione, quod hominis pars principalis, puta Caro, os, & huiusmodi, duobus modis consideratur: vno modo secundum speciem, alio modo secundum materiam: quę quidé distinctio non est intelligẽda sic, vt quidam intelligunt, scilicet, quod pars secũdum speciem intelligatur illud, quod primo humanam speciem accipit, & à

B generante sumitur: pars verò secundum materiam, illud quod ex alimento generatur: in primo ordine sunt partes spermaticæ, quas virtus formatiua seminis facit, ex ipsa materia seminis: in secundo ordine sunt, quæ ex continuo nutrimento sunt additæ, sic enim Alexander illum locum Aristotelis interpretabatur: sed intelligenda est illa distinctio sicut a D. Thoma in p.p. q. 119. art. 1. ad secundum exponitur ad hunc sensum videlicet, quod eadem pars prin

C cipalis, puta Caro, os, & cætera id genus, dupliciter consideratur; vno modo secundum illud, quod est formale in ipsa, scilicet, quantum ad naturam, & dispositionem Carnis, absolutè, & sic Caro, & quęcunque pars principalis sẽper remanet secundum speciem; nam natura & dispositio carnis semper manet, & nunquam (manente homine) per quamcunque actionem caloris naturalis efficitur quod in homine non sit ca-

D ro: alio modo consideratur secundum id, quod est materiale in ipsa, scilicet secundum particulares partes carnis, ex quibus integratur, quarum tamen quælibet est caro, & hoc modo pars nõ semper manet, quia per actionem caloris naturalis continuè consumitur, & restauratur: nam continuè aliqua pars carnis deperditur, & loco eius alia ex alimento restauratur: & quod de carne dicitur, idem de aliis partibus materialibus etiam intelligatur.

Sit secundum notandum ex eodem Aristotele in eodem primo libro: quod etiam S. Thom. in p.p.q. citata ad quin-

tum & in lib. 2. sentent. dist. 30. adnotauit: quod aliter est dicendum si tota Caro simul deperderetur, & ex alimento alia loco illius substitueretur, & aliter si non tota deperdatur simul, sed paulatim vna pars illius post aliam deperdatur, & loco partis deperditę alia per nutritionem adiungatur: in primo casu, nullo modo remaneret eadem caro numero, ac per consequens nec indiuiduum esset idem: in secundo verò remanet eadem, quia pars addita efficitur vnum cum eo, cui additur, & transit in præexistens: & sic non obstante tali innouatione partium materialium, remanet idem numero indiuiduum, quia remanet eadem numero materia, & forma. exemplum ponitur ab Aristotele ibidem de igne: v. g. si aliqua tota materia ignis, simul ammittat speciem ignis, & alia materia conuertatur in ignem, tunc erit alius ignis numero: si vero paulatim combusto vno ligno, aliud substituatur, & sic deinceps, quousque omnia priora consumantur, semper remanet idem ignis numero, quia quod additur, in pręexistentem semper transit: & similiter est intelligendum in corporibus viuentibus, in quibus ex nutrimento restauratur illud, quod per calorem naturalem consumitur: sicut expositum est. Ex quo notando colligitur hæc conclusio, quod quamuis tota materia, quam Socrates ante quadraginta annos habuit, fuerit per actionem caloris naturalis consumpta; tamen quia in vnoquoque articulo temporis fuit inperceptibiliter variata, & noua ex alimento semper ad pręexistens transiit, hinc fit quod est idem Socrates, & substantialiter, & numero, qui nunc temporis est senex, & olim puer exiterat.

Sit tertium notandum, quod & si a principio vitæ, vsq; ad finē dicatur manere idē numero indiuiduū: tamen hoc non est intelligēdum secūdū omnimodā idemptitatem, quasi nulla sit variatio facta: etenim contradictionem implicat, quod aliquid sit omnibus modis

A idem, & tamen aliquid eius sit variatū: dicitur tamen quod vnus & idē homo, manet simpliciter idem a principio vitę, vsq; ad finē propter vnitatem numeralem formæ: sed non sufficit hoc, sicut Marsilius & Albert. in lib. 1. de generatione in q. 11. existimant; sed etiā propter aliquam idemptitatem materiæ, quia semper aliquid de priori materia manet: tamen est alius secundum quid propter continuam variationem partiū materialium: ex quibus dictis clarissimè

B patet, qualiter indiuiduum; v. g. Sortes in toto vitæ suę tempore sit idem substantialiter, & ęqualiter varietur ita vt idem dici non possit.

Argumenta duo, ex authoritate Arist. in lib. de generatione desumpta, ex his quę dicta sunt, soluta manēt; licet. n. fiat cōtinua partium deperditio, fit etiā ex alimento earundem partium restauratio, & ad præexistens additio: & ita ad aliud, licet partes secundum id, quod in eis est materiale adueniat, & recedat;

C tamen secundum id, quod in eis est de formali, semper remanent; vel vt alij dicunt partes spermaticæ semper remanent, & forma in illis semper manet eadem, & propter hoc manet idem numero indiuiduum, toto vitæ suæ tempore.

Ad argumentū principale, quod erat quarta dubitatio, respondent Scotus, & Paulus negando consequentiam; non. n. valet Sortes senex non est idem sibi ipsi

D puero, ergo non est idem sibi: quoniam in prima consequētia negatur idemptitas respectu termini accidentalis, & in secunda respectu termini substantialis importati per ly sibi. vnde in argumento committitur fallacia consequentis, eo quod ad diuersitatem accidentalem non sequitur diuersitas substantialis, sed benè è contra: hinc etiam conceditur quod Sortes sit vnum & multa, vnum secundum subiectum, multa secundum rationem: hæc sufficiant.

Dilucidatio .4

Differentia cōmuniter dicta, non

non est idem quod accidens quintum prędicabile: neq; Differētia propriè dicta coincidit cū proprio, quod est quartum prędicabile.

DVbitatio, quam in quinto loco posuimus, erat, an illa trimēbris Differentię diuisio, suo ambitu tria predicabilia complecteretur, ita vt Differentia cōmuniter dicta, accidens quintū predicabile designet: quę propria dicitur, quartum predicabile importet: propriissima verò tertium. i. ipsam differentiam significet. huius sententię Assertores sunt Burleus in primis, Paulus Venetus, Iauellus, Caietanus, & tandem nōnulli recentiores in lib. 2. q. logicalium, q. 12. sed ne per singulorum verba nunc vagemur, in Caietanum prouinciam sumamus: atque illius verba in medium proferamus quę ex suis lucidissimis cōmentarijs super Porphyrium à quo vis colligi possunt.

Habet enim hic lucidissimus expositor in fine expositionis primi textus capitis de differentia: Differentia propriè dicitur, quia causatur ex his rebus, quę proprietates sunt aliquarū rerum, vt ridere & mugire, vel partiū eorū, vt cęcitas & surditas: ex his verbis & exēplis, liquido claret quod per differentiā propriè dictam, verum quartū predicabile intellexerit; nā risus homini, & mugitus boui, est proprium quarto modo. Quod autem hęc sit Caietani mens, cōfirmatur ex verbis eiusdem, in eisdem cōmētarijs; etenim in secundi textus expositione, ponens discrimen inter facere, & inferre aliud, innuit quod risibile & rudibile sunt Differentia proprie dicta.

Confirmatur tandem ex verbis eiusdem; dum in tertia expositione asserit cum magno Alberto, quod Porphyrius iterum diuidens differentiam in eā, quę est per se, & in eam quæ est per accidēs: ly per se, intelligitur, (inquit) strictius, quum vult Differētiam magis propriā,

A dumtaxat, dici per se: quoniam Aristot. in lib. 1. posteriorum cap. 4. ipsum proprium vocauit predicatum per se, quod hic à Porphyrio differentia per accidens appellatur: ergo videtur quod Caietanus per Differentiam proprie sumptam, proprium quartum predicabile intellexerit: Paulus verò & Iauellus hanc eorum sententiam clarioribus & expressioribus verbis aperuerunt, sicut in huius textus expositione videre licet.

B Sed quid in hac re sit dicendū, haud facile est determinare: ego quidem existimo (si bona venia ipsorum dixerim) eos in hac sententia à veritate abire, aut fortasse ratione huius nominis differentia, in eo quod propria à Porphyrio vocatur, vel eo quod inseparabilitas eidem inest.

At primò quod differentia propriè dicta, non sit proprium quartum predicabile, neque in eandem rationem cum eo cadat, probatur, tum ex verbis Porphyrij, tum ex eiusdem Caietani senten- C tia: ex verbis Porphyrij sic arguitur.

Porphyrius exponens quid sit propriè differre, ait, propriè autem differre alterum ab altero dicitur, quando inseparabili accidente alterum ab altero dicitur; & exemplificans quale sit huiusmodi accidens inseparabile, inquit, vt nasi curuitas, oculorū cæcitas, cicatrix cum ex vulnere occaluerit: ex quibus sic arguitur: hæc accidentia inseparabilia quorum exempla à Porphyrio po- D nuntur, vel ex principijs essentialibus speciei oriuntur, vel ex materialibus indiuidui originem ducunt: si primo modo, ergo in omnibus indiuiduis illius speciei reperientur, quare omnis oculus erit cæcus, & omnis nasus curuus: si secundo modo, ergo non cadet in eandem rationem cum proprio quarto predicabili: nam proprium quarto modo sumptum oritur ex principijs essentialibus speciei, totamque speciem consequitur, vt risibilitas respectu hominis: hinc ipsemet Caietanus in expositione capitis de proprio, in ini-

in initio inquit, quod rationabiliter hoc predicabile quartum locum ſibi vendicat, quia Propriũ ex principijs ſpeciei, generis ſcilicet & differentiæ, poſt conſtitutam ſpeciem immediatè emanat: quod idem expoſitor in cap. de accidente confirmans ait, proprium eſſe predicatum eſſentiale, quia à principijs eſſentialibus ſubiecti emanat: & ſubdens poſt modum dicit, accidens quintũ predicabile importat accidẽs indiuidui, &c. ex his igitur apparet quod Differentia propriè dicta, non coincidit cum proprio quarto predicabili.

2 Confirmatur hæc poſitio, ex definitione proprij: Proprium enim ſicut in 1. lib. topicorum c. 4. Phyloſophus ſcribit, illud eſt, quod ſoli ſpeciei, & omni contento ſub illa ſpecie, & omni tempore competit; ergo ſi Differentia propriè dicta, eſt idem quod proprium quartum predicabile, tunc neceſſarium eſt, quod oculi cæcitas, & naſi curuitas omnibus hominibus ſemper inſit.

3 Præterea ad eandem concluſionẽ ſic arguitur: omnis Differentia tam cõmunis, quàm propria, (Proprijſſima excepta) illi cui aduenit, per accidens aduenit: ſed proprium quartum predicabile, per ſe ineſt, ergo non eſt idẽ quod Differentia propriè ſumpta: maior nulla probatione eget, minor probatur per Ariſtotelem in lib. 1. poſt. c. 4. in quo modos perſeitatis tractãs, inquit quod proprium predicatur per ſe, & in ſecundo modo perſeitatis de illo, cuius eſt proprium.

4 Præterea Porphyrius conſtituens quoddam diſcrimen inter differentias per ſe, & per accidens, ait quod differentię per accidens ſuſcipiunt magis & minus, ſecundum eas non fiunt definitiones, nec generis diuiſiones, & alteritatẽ quandam tantùm faciunt: ſed proprium quatenus eſt quartum predicabile, non ſuſcipit magis & minus; non enim dicimus riſibilitatem magis vni, & minus alteri competere, (& ſi Albertus & Paulus hoc negent,) quoniam ſicut ex eo quod rei eſſentia eſt inuariabilis, fit vt

A rationale non ſuſcipiat magis & minus, eadem ratione, neque riſibile, quod ex eadem eſſentia emanat, ſuſcipit magis & minus: etenim tam riſibilis fuit Cato, qui fertur nunquam riſiſſe, quã Phylomenes qui (teſte Valerio) per immoderatum riſum vitam obijt: verum eſt tamen, quod quo ad actum ridendi, ob variam complexionis diſpoſitionem, alter altero magis ridet: vlterius per proprium aliquando conſtituuntur definitiones & diuiſiones loco differentiarũ,
B quod & ſi non faciat aliud, tamen ex cõſequenti infert aliud, ſicut ipſe met Caiet. in expoſitione ſecundi textus affirmat, ergo non erit idem quod differentia propriè dicta.

Tandem ipſe Caietanus in ſecunda expoſitione huius capitis, inquit, quod nigredo dicitur differentia propria reſpectu Corui, & Carbonis, & tamen in Capitulo de accidente, agens de accidente inſeparabili, dicit, accidens inſeparabile eſt, vt nigredo reſpectu Corui,
C & Aetiopis; ergo quartum & quintum predicabile apud ipſum erunt vnum & idem, cum in vtroque eodem exemplo vtatur.

Dicatur igitur quantum ad hãc partem, Differentiam propriè dictam, incidere cum proprio, quod eſt quartum predicabile, duobus modis attendi poteſt; primo ſecundum rem, & ſic nullo modo incidit, ſicut prædictę rationes oſtendunt: alio modo quo ad nomen, & quo ad quandam conditionem; quæ eſt
D eſſe accidens inſeparabile, & ſic fortis incidit: & quemadmodum Sotus optime dicit, tum in expoſitione textus, tũ in q. de differentia in ſolutione tertij argumenti, in reſponſione ad ſecundam confirmationem, cuius probabiliorem ſentẽtiam ſequimur: Porphyrius in explanatione differentię propriè dictę, nõ ponit exemplum proprij ſpecifici, quale eſt riſibile, quia non loquitur de proprio, quarto predicabili, quod ad ſpeciẽ refertur; ſed ſolum de illis accidẽtibus, quibus indiuidua ſub eadem ſpecie conſtituta, accidentaliter diſtinguũtur, qua-

lia

lia ſunt oculorum cæcitas, naſi curuitas, carnium cicatrices induratę, quibus indiuidua dignoſcuntur: quę accidentia quia ex indiuiduorum complexione ſuſcipiente magis & minus, dimanãt, hinc eſt, quod & ipſa magis & minus ſuſcipiunt, vnde vnus homo eſt magis cęſus alio, & magis aquilus: hæc de differentia propria.

Quod autem ad aliam partem eiuſdem opinionis ſpectat, videlicet, an Differentia communiter dicta, coincidat quinto predicabili, vt illius Authores aſſerebant, paucis verbis dicendum eſt, diſtinguendo bifariam conſiderari poſſe Differentiam communiter dictam contineri in quinto predicabili; vno modo quo ad rem, & ſic non continetur, quoniam accidens commune, vt ſumitur in quinto predicabili, conſideratur quatenus habet diſtinctum modum predicãdi de ſuo ſubiecto, cui ineſt, à quocunque alio predicabili, quod predicetur ſiue in quid, ſiue in quale: ſed quãdo ponitur in ſignificatione Differentiæ communiter dictæ, tunc ſumitur quatenus facit differre ſuum ſubiectum accidentaliter, prout differre accidentaliter, diſtinguitur contra facere differre ſubſtantialiter: alio modo conſideratur quo ad terminos exemplorum, qui in vtroque ponuntur, & ſic ſub illo contineri poteſt: verumtamen ſi de hac differentia concedatur, minus abſurdum ſequitur, quam de Differentia propriè dicta: & hęc de preſenti lectione ſufficiant.

Dilucidatio 2.

Tex. Vniuerſaliter ergo omnis Differentia addita alicui, alteratum facit: ſed ea quę eſt cõmuniter & propriè alteratũ ſolum facit, illa autem quę eſt magis propriè aliud.

POſtquã Porphyrius in principio huius capitis, primam diuiſionem diffe-
A rentiæ aſſignauit: dixitque differentiam trifariè dici, videlicet, communiter, propriè, & magis propriè: in hoc textu, quẽadmodum Ammonio, & Boetio placet, quibus cęteri expoſitores ſubſcribunt, Author ſubnectit aliam diuiſionem Differentiæ, quæ prioris appoſitæ quodammodo declaratiua & expoſitiua eſt: ſed priuſquam eam explanet, propoſitionẽ quandam proponit, quæ anxam nõ modicam laborandi nonnullis latinis interpretibus preſtitit, & eſt hæc. Vniuer-
B ſaliter omnis Differentia addita alicui, alteratum facit, & eſt ac ſi dicat, omnis differentia, quæcunque illa ſit, ſiue communis, ſiue propria, ſiue magis propria, cuicunque ſubiecto addatur, facit alteratum, id eſt facit illud accidentaliter, diſſimile ab alio ſubiecto, cui oppoſita differentia inſit. ſed antequam vlterius dicatur, hoc vnum eſt animaduertendũ, quod vbi textus Boetij legit alteratum, tranſlatio Argiropoli habet diuerſum, ita vt ſit ſenſus omnis differentia facit
C diuerſum: hinc Sotus quandam Caietani diuiſionem infringens, ait Boetij tranſlationem fuiſſe in cauſa vt multi fingerent, quod ly alteratum duobus modis ſumitur, vno modo generaliter, pro quacunque diuerſitate tam accidentali, quàm ſubſtantiali; ad hoc tantũ vt ſaluent, quomodo differentia propriiſſima, quę facit aliud, faciat etiam alteratum: ac propterea ſubinfert Sotus, quod verba Boetij non tàm clarè mentem Porphyrij explanant, quam ea
D Argiropoli, eo quod diuerſũ eſt quoddam ſuperius tam ad diuerſum per ſe, quam per accidens: ſed pace tanti magiſtri dicimus nos Boetij tranſlationem exactè Porphyrij mentem aperire, quia ſicut quæcunque forma, extenſo vocabulo dicitur qualitas, ex lib. 7. metaph. ita quæcunque variatio, ſiue ſubſtantialis, ſiue accidentalis, vocatur alteratio inquit Auerroes in lib. 1. de phyſico auditu: quapropter conuenienter in litera dicitur quod vniuerſaliter omnis differentia facit alteratum, ideſt in qualitate aliquo modo diuerſificatum: igi-

tur

tur propositio Porphyrij est hęc, omnis differentia addita alicui facit alteratũ, idest facit subiectum, cui inest accidentaliter dissimile ab alio, cui opposita differentia insit: & hæc, inquiunt Paulus & Caietanus, est quędam conuenientia, in qua tres significationes differentię conueniunt: qua conuenientia posita, Author illicò subdit, in quo ipsemet acceptiones differentiæ ab inuicem distinguantur, & est hoc, quod Differentię cõmuniter & propriè sumptę ex vna parte faciunt alteratum tantum, hoc est faciunt differre secundum accidentalem differentiam solùm, nec earum virtus vlterius attingit: sed differẽtia magis propria, vel proprijssima facit aliud, id est substantialiter & essentialiter differre facit illud, cui aduenit, ab alio cui opposita differentia inest: Circa quos terminos Caietanus ad faciliorem intelligentiam digreditur dicẽs, quod ly aliud apud grammaticos est relatiuum substantiæ, & ly alterum relatiuum accidẽtis: quare facere aliud substantialẽ diuersitatem rei importat, quod differentiæ proprijssimæ conuenit, eo quod genus formaliter diuidit, & speciem constituit, vnde homo non alterũ, sed aliud ab Equo dicitur, quia specifica & essentiali differentia ab eo distinguitur: sed ly alterum quia relatiuum diuersitatis accidentis est, sonat quamdam accidentalem diuersitatem; ob quam vnum ab altero distinguitur: & hoc tam Differentiæ communiter, quam propriè dictæ conuenit, vtraque enim accidentaliter tantùm differre facit. Plato etenim siue sit ambulans, siue nasum curuum habens, accidentaliter tantùm à Sorte sedente, aut nasum aquilinum habente distinguitur, quapropter non aliud, sed alter ab eo dicitur: aliud namque substãtiuè sumptum, diuersitatem substantiæ sonat, quare sicut falsum est eos esse alterius speciei, ita falsum est eos esse aliud & aliud substantiuè; dicitur tamen quod Plato est alius homo, vel aliud indiuiduum à Socrate, si ly aliud adiectiuè sumatur.

A Sed dubitatio consideratione digna
super propositionem in principio lite-
ræ positam surgit, scilicet, quomodo ve-
rum sit, quod omnis differentia facit al-
teratum: Differentia si quidem proprijs-
sima facit aliud, quod ad facere alterũ
ex opposito distinguitur: ergo sicut Dif-
ferentiæ communiter & propriè dictæ,
eo quia alteratum faciunt, ideo aliud fa
cere nequeunt, ita differentia proprijssi
ma, ex eo quod facit aliud, videtur
quod nequeat alteratum facere.

B Boetius sic respondet, quod alteratio
est continens, & aliud intra alterationis
spatium continetur: igitur omne quod
est aliud est etiam alteratum, sed non
conuertitur quod omne alteratum, sit
aliud: Caietanus tamen in quadam di-
gressione apertioribus verbis idem de-
clarat: inquit enim quod Differẽtia ma
gis propria duobus modis considera-
tur, primo modo formaliter, & iuxta
hanc considerationem non facit nisi a-
liud: alio modo virtualiter, & sic facit
C alteratum, exempli gratia, inquit ipse,
albedo formaliter considerata facit tan
tum album, sed virtualiter facit disgre-
gationem visus, quoniam talis proprie-
tas ad ipsam naturaliter sequitur: ita dif
ferentia specifica formaliter considera-
ta facit aliud, sed virtualiter facit alte-
ratum, inquantum ex illius virtute se-
quitur, vt quæ ex sua natura sunt aliud,
& aliud substantialiter, habeant etiam
quamdam accidentalem diuersitatem,
quæcunque illa sit: quam accidentalem
D diuersitatem constituere, differentiæ pri
mo & secundo modo dictæ, conuenire,
ex his quæ dicta sunt, liquidò apparet.

Paulus Venetus, quadam distinctione prius assignata, inquit, quod facere aliud etiam differentiis accidentium competit: distinguit namque, quod albedo, & nigredo bifariam considerantur, primo modo quatenus accidentia sunt, & sic solum alteratum faciunt: secũdo modo quatenus sunt species predicamenti qualitatis, & ita cum specificè distinguantur sunt aliud, & aliud per specificas differentias contrahentes ge-

nus

nus coloris ad species albedinis & nigredinis quę quidẽ doctrina verissima est, sed non ad rem, quoniam vt in litera dicitur, sermo est de differẽtia quatenus alicui subiecto additur nam manifestũ est, quod albedo, & nigredo, quatenus sunt coloris species, & per specificã differentiam ab inuicem distinguuntur, sunt aliud, & aliud, sed respectu subiecti, cui insunt, non nisi alteratum faciunt.

Tex. Illæ quidem, quæ faciũt aliud, specificę vocantur: illæ verò quę alteratum, simpliciter differentiæ: Animali enim rationalis differentia adueniẽs, aliud facit: illa verò quæ est moueri, alteratum solum à quiescente fecit: quare illa quid & aliud, hæc verò alteratum solum facit.

POstea in præcedenti textu, differentiæ quadam sub diuisione prioris explanatiua, videlicet, differentiarum alię faciunt alteratum solum, & aliæ aliud: nunc duo, ait Sotus, vel tria, inquit Caietanus, subdit, in quibus prædictę diuisionis membra ab inuicẽ discrepare ostendit: primum est hoc, Differentiæ facientes aliud, cum quadam additione nominantur, nam dicuntur Differentiæ specificæ, & meritò specificæ nominantur, quia aduenientes generi, contrahũt ipsum ad aliquam speciem, & faciunt illud esse aliud; v. g. rationale adueniens Animali, illico ad speciem hominis ipsũ contrahit, & facit hominem esse aliud à brutis: sed Differentiæ, quę alteratũ faciunt, qualiter sunt differentiæ communiter & propriè dictæ, simpliciter differentiæ dicũtur, id est absque aliqua additione, sed simplici nomine Differentiæ nuncupantur.

Circa quæ verba notat Albertus, & post ipsum: D.Thomæ discipuli, Caiet. & Sotus, quod differentiæ per accidens dicuntur tantummodo differentię, id

A est simplici nomine, differentia nominantur non ex hoc quod simpliciter & absolutè sint differentia, sed quia peculiare nomen, quo nominentur, non habent: quemadmodum Differentia proprijssima, quæ vltra commune nomen, etiam specifica nuncupatur, eo quod simpliciter & absolutè est differentia: nam facit aliud, & specifice distinguit illud, cuius est differentia.

Sed contra hunc modum dicendi, sic arguitur, quando aliqua plura sub vno B communi continentur, & vnum illorum sortitur nomen illius communis absque additione, & alterum cum additione, tunc illud quod sine additione tale nomen sortitur, nobiliori modo significatam rationẽ illius nominis participat: ergo si differentię facientes alteratum tantùm, vocantur sine additione differentię, sequitur quod nobiliori modo participent rationem significatã nomine differentię, quam Differentia specifica, quæ cum additione vocatur C differentia: antecedens sic manifestatur, substantia & accidens ambo sub ente, tanquam sub vno communi continentur, vnde eorum vtrunque dicitur ens: tamen substantia quia est natura perfectior, absque additione dicitur simpliciter Ens, accidens autem ob illius imperfectam naturam, appellatur ens secundum quid.

Nisi esset, sicut Caietanus optimè dicit, quod participare aliquod nomẽ absque additione, ex duobus oriri potest, D aliquãdo ex ipsius rei perfectione, ex eo .s. quod illius nominis ratio in illo, & nõ in alijs perfectè seruatur; v. g. Socrates absq; additione dicitur homo, quia hominis ratio in eo perfectè seruatur: sed Socrates pictus cum additione dicitur homo, nẽpe homo pictus: aliquando verò ex imperfectione quia illud mẽbrũ, adeò modicã perfectionẽ respectu alterius membri addit, quod habere speciale nomen haud meretur, sed commune sibi retinet: exempli gratia Brutum absque additione vocatur Animal, sed homo cum additione scilicet

Ani-

Animal rationale, alioquin iniuria sibi fieret si Animal simpliciter diceretur: ad rem quia differentiæ facientes aliud sunt perfectissimæ, ideo vltra commune nomen, additionem meruerunt, vt Differentiæ specificæ dicerentur: reliquę autem quia imperfectę sunt, nomen cõmune tantùm sibi retinuerunt, ita vt differentię simpliciter nuncuparentur. Ad argumentum in oppositum respondetur, quod entis ratio, modo perfectiori seruatur in substantia, quam in accidente, ideo substantia dicitur simpliciter Ens, & accidens dicitur ens secundum quid: ita ex imperfectione contingit differentias facientes alteratum, dici simpliciter differentias, atque nomen commune tantùm sibi reseruasse: facientes verò aliud, vltra commune nomen additione dignæ habitæ sunt, ita vt differentię specificæ vocarentur: hęc satis.

Dilucidatio 3.

Tex. Secundum igitur aliud facientes, diuisiones fiunt à generibus in species, & Definitiones assignantur, quæ sunt ex genere, & huiusmodi differentijs: secundum autem eas, quæ solùm alteratum faciunt, alteritates solùm consistunt, & aliquo modo se habentis permutationes.

IAm quę ad nominis differentiæ participationem, respectu illarum trium significationum, spectare videbantur, in præcedenti lectione expleta sunt: ibiq; dictum est, Differentias facientes alteratum tantùm, ob earum imperfectionem, simpliciter, idest absque additione differentias appellari: sed faciẽtes aliud ob earum perfectam naturam Differentias specificas nuncupari: in præsenti tex-

A tu, quæ ad rem ipsarum pertinent, Author explanare intendit: Duo etenim sunt, quę ad rem ipsarum attinent, & horum vtrunque à Porphyrio dilucidatur: Primum est, Differentiæ facientes aliud sunt, quibus diuisionis à generibus in species fiunt: Animal enim cum sit genus, per rationale & irrationale, tanquam per specificas differentias, in suas species idest in hominem & in brutum partitur: secundum est, ex his differentiis nempe specificis; omnes defini-

B tiones constituuntur: vnaquæquę enim definitio, ex proprio genere, & ex propria differentia conficitur, inquit Arist. in lib. 7. metaphys. text. 43. sed differentię facientes alterum, ab hac duplici proprietate longissimè distant, neq; genus diuidunt, non enim dicitur animalium aliud album, aliud nigrum: neque definitiones constituunt, quia non dicitur quod homo sit Animal album, vel habens nasum aquilinum: sed alteritatẽ quandam, id est diuersitatem acciden-

C talem faciunt, secundum quam, subiecta quibus adduntur, accidentaliter differunt: ex quo textu, inquit Boetius, notum sit illud, quod Porphyrius in initio operis innuerat, scilicet, quod horũ predicabilium notitia, ad definitionum, diuisionumque assignationem erat necessaria: & iam quibus differentijs ad diuidendum & definiendum, vtamur, docuit, illis nempe quæ aliud faciunt: atque ad ea, quę sint inutiles explicuit, illæ videlicet, quæ alteratum cõstituũt,

D siue separabiles, siue inseparabiles sint: Sciendum ex Paulo veneto, differentiã facientem aliud, quadrifariam considerari posse: primo secundum se, & sic est quędam substantia vel natura: secundo per comparationem ad subiectum, cui inest, & sic est actus materiam perficiẽs: tertio per comparationem ad speciem, quam constituit, & sic est forma denominans essentiam, dans speciei per eam constitutæ, nomẽ & definitionem: quarto per comparationem ad illa, quæ ab ipsa specie constituta distinguuntur, & sic est differẽtia specifica, quia iam speciem,

ciem, quam indiuidua cōtenta sub ipsa specie, facit differre essentialiter, & specificè a quolibet alio: similiter differentiæ facientes alterum, quadrupliciter considerantur, primo secundum se, & sic sunt accidens: secundo per comparationem ad subiectum, cui insunt; & sic sunt accidens propriū, vel cōmune, modo præexposito: tertio respectu ipsius constituti per eas, & sic sunt quædā dispositio dans nomen, & definitionē accidentalem: quarto per comparationem ad ea, quę per ipsas distinguuntur, & sic sunt Differentia.

Sed consideratio non abijcienda nūc oritur: nam cum Porphyrius assignauerit multas significationes differentiæ: tandem quę harum significationum deseruiat definitioni & diuisioni explanauit: qua propter idem de genere, ac de specie explanare debebat, cum tam generis, quàm speciei plures significationes posuerit: genus etenim & species, non minus quàm Differentia diuisioni, & definitioni deseruiunt: fit enim diuisio generis in species, ex genere etiā definitio conficitur, & species est, cui definitio propriā conuenit: vel ergo in singulo prędicabili illud explanare, vel forte tanquā manifestum in omnibus pertransire debuisset: tamen non semel, sed pluries, ipsius specificę differentię actus & proprietates, in hoc capite assignat.

Nisi esset, (ni proprio iudicio fallor) quod non omnes generis, vel speciei significationes logicam considerationem subeunt, sed vna dumtaxat, est, quę vniuerso logicæ negocio deseruit, qua propter in ipsarum explanatione, non opus erat ostendere, quæ ipsarum significationum, diuisioni, & definitioni deseruiret; sub intelligebatur enim quod tam generis, quam speciei logica dumtaxat significatio ei muneri deseruiret. Præterquam quod conuenienter dici potest, Porphyriū insinuasse tam generis, quam speciei, eam significationem, quæ diuisioni & Definitioni apta erat: de genere etenim dixit, tripliciter igitur cum genus dicatur, de tertio apud phyloso-

A phos sermo est: pariterque illam speciei acceptionem insinuauit definitionē subituram, quæ sub genere collocatur: sed de Differentia specialiter dicēdum est, quod cum quælibet differentiæ significatio, logicam considerationem ineat, non immeritò quispiam dubitasset, quæ illarum significationum, diuisioni & definitioni deseruiant, omnes pariter vel vnam tantùm, qua propter ad hanc dubitationem auferendam, quæ illa esset, assignare & explanare necessarium fuit:
B vnde dicens quod secundum differentias facientes aliud fiunt diuisiones à generibus in species, & definitiones assignantur, ex hoc duplicis actus exercitio ostendit, quod & si omnes significationes differentiæ sint logicę considerationis, tamen non omnes diuisioni & definitioni deseruire aptæ sunt.

Sed iterum instabit aliquis, Porphyrius in initio huius tractatus exposuit prædicabilium notitiam non tantùm ad diuisionem & definitionem conficien-
C das, sed etiam ad demonstrationem cōstruendam, maximè proficuam esse: cur igitur in præsenti dum ostendit differentias facientes aliud ad diuisionē & definitionem esse necessarias, etiam ad demonstrationem componēdam, illarum differentiarum necessitatem iterum nō exponit? Respondetur, hoc necessariū non fuisse, quoniam cognito, quod definitioni conferat differentia, quod pariter definitioni sit vtilis, nemo profectò dubitabit, quando quidem ipsa demon-
D stratio definitione conficitur: quia in libro primo posteriorum Aristoteles passim affirmat quod definitio sit demonstrationis principium, & medium, imo tota demonstratio sola positione differens.

At quispiam rursus obijciet, dicens quod etiam Proprij & accidentis, multiplices acceptiones sunt, nullaque ipsarum logicam considerationem aufugit, imo diuisioni & definitioni quodāmodo deseruiunt nam Aristoteles in libro primo de anima textu 11. inquit, quod accidentia magnam partem conferunt ad co-

ad co-

ad cognoscendum quod quid est; imo Porphyrius in prohemio asserere videtur hęc duo vltima prędicabilia nō minus quàm priora huic muneri deseruire: verumtamen quæ proprij, aut accidentis significatio prędictis accomodetur, Porphyrius in litera minimè explanat: sed respondetur quod tàm proprij, quam accidentis communis omnes significationes logicam considerationem non aufugiunt, tamen quod illorū mēbrorum huic muneri deseruiret, assignare necessarium non fuit: tùm quia proprium à posteriori & ad bene esse Definitioni deseruit, quatenus ex proprietatis cognitione, in essentialem cognitionem differentiæ rei venimus, & sic intelligitur authoritas ex primo libro de anima desumpta; vnde in primo phys. dicitur quod proprium arguit formam: accidens autem commune ab omni definitione prorsus excluditur: ambo tamen conferunt ad eam diuisionem, quę est subiecti in accidentia; quemadmodum in prohemio diximus: & de his hactenus.

Dilucidatio 4.

Tex. A superioribus ergo rursus inchoanti, dicendum Differentiarum alias quidem separabiles, alias verò inseparabiles: moueri enim & quiescere, & sanum esse & egrum, & quęcunque his proxima sunt, separabilia sunt: at aquilinum esse, vel simum, vel rationale vel irrationale inseparabilia sunt.

QVemadmodum Ammonius inquit, perfectiorem diuisionem Porphyrius exorditur, & aliud quoddam initiū sumit, vt omnes differentię inter se distinctę sint: vsque modo binas diuisiones differentię assignauit: primam in initio

A Capitis, quando dixit differentiam in communem, & propriam, & proprijssimam partiri; secundam cum subdit, differentiarum quędam alteratum, & quædam aliud faciunt: in præsenti autem & si apud Iauellum & Caietanum, hęc sit secunda diuisio, apud tamen Ammonium & Boetium, & alios expositores in ordine est tertia: nec mirum si vnius rei, multis modis cōsideratę multę partitiones assignentur ait Boetius: neque hæc est alicuius superioris membri di-

B uisio, vt nonnullis placet; sed est quędā principalis diuisio, qua differentia generaliter sumpta diuiditur: imo verba literæ eam insinuant, quæ sunt, à superioribus ergo rursus inchoanti, &c. atque in hoc textu Author tria facit, primo diuisionem ponit, quę in ordine erit tertia: secundo alterius membri sub diuisionem infert, & in ordine erit quarta Diuisio: tertio quædam discrimina quo ad ipsarum actus inter membra sub diuisionis docet: diuisio igitur est hæc; dif-

C ferentiarum quædam sunt separabiles, & quędam inseparabiles: separabiles differentiæ sunt, quę nec constantem, nec firmam causam sui esse in subiecto habent, vt moueri, quiescere, sanum vel egrum esse, & his similia; nam hæc sunt separabilia, ab illo subiecto, cui insunt: at inseparabiles sunt tā differentię proprię, quàm proprijssimæ: & de proprijs exempla assignans ait, aquilinum vel simum habere nasum differentię inseparabiles sunt, similiter rationale ab ho-

D mine, & irrationale à bruto separari nequeunt; igitur hæ inseparabiles dicūtur.

1 Sed contra hanc diuisionem sic arguitur, & primo probatur quod Differentiæ propriæ dictæ non sint inseparabiles: illud proprium solum est à suo subiecto inseparabile, quod ab essentia speciei emanat, sicut patet de risibili respectu hominis, & de hinnibili respectu Equi: sed aquilinum & simum ab essentia speciei non emanant, alioquin omnibus indiuidujs inessent, sed emanant à principijs indiuidui, ergo non sunt differentię inseparabiles.

Quod

Quod ſi dicatur non ſolum accidentia propria, quæ ſpeciem conſequuntur, ſed etiam indiuiduorum quædam accidentia eſſe inſeparabilia, eo quod ex peculiari complexione ipſorum dimanant; vt ſimum & curuum reſpectu naſi.

2 Contra hanc ſolutionem arguitur, ergo albedo in Cigno, & nigredo in Coruo, inter differentias inſeparabiles reponentur; etenim ex peculiari complexione indiuiduorum, huiuſmodi accidentia ſunt inſeparabilia.

3 Præterea probatur quod differentiæ ſpecificæ non ſint inſeparabiles: ſicut forma ſe habet ad materiam, ita differentia ad ſpeciem, per conuenientem ſimilitudinem poſitam ab Authore infra in hoc capite: ſed forma eſt à materia ſeparabilis, alioquin nulla eſſet naturalis corruptio & generatio, ergo & Differentia à ſua ſpecie ſeparabilis eſt.

Ad primũ ſolutio patet ex iam dictis: ſunt.n. quædam accidentia, quæ ex indiuiduorum naturali complexione habẽt quod inſeparabilia ſint, ſicut de ſimo reſpectu naſi ſepius dictum eſt: nec tenet cõſequẽtia, ergo albedo reſpectu Cigni, & nigredo reſpectu Corui, inter differẽtias propriè dictas connumerabuntur: quoniam eſſe inſeparabile etiam quibuſdam accidentibus communibus ineſt: quæ tamen accidentia inter differentias propriè dictas, reponenda non ſunt, ſicut iam dictum eſt: & de curuitate & ſimitate reſpectu naſi, quomodo ſint propria paſſio iam dictum eſt, & rurſus infra dicetur.

Ad ſecundum reſpõdetur quod ſubiectum Differentiæ eſt duplex: vnum quod ſubiectum inheſionis dicitur; alterum quod ſubiectum denominationis vocatur: primum eſt genus, ſecundum eſt ſpecies: a primo differentia ſeparatur; nam Animal abſtrahit à rationali & irrationali: a ſecundo ſeparari nequit; non enim eſt homo qui non ſit rationalis: pari ratione forma à materia ſeparatur, ſed non à compoſito: eſt enim forma compoſiti, & non materiæ, ſicut

A ſpecifica differentia, eſt ſpeciei, & non generis differentia.

Text. Inſeparabilium autem, aliæ quidem ſunt per ſe, aliæ per accidens: nam rationale per ſe ineſt homini, & mortale, & diſciplinæ capax: at aquilinum, vel ſimum eſſe, per accidens, & non per ſe.

B QVartam diuiſionem in ordine aſſignat, quæ non eſt principalis differentia diuiſio, ſed alterius membri ſuperioris diuiſionis, ſubdiuiſio: dixerat enim quod differentiarum quædã ſunt ſeparabiles, quædam inſeparabiles: nunc autem ſumit hoc membrum & dicit, differentiarum inſeparabilium, aliæ ſunt per ſe, aliæ per accidens: & eſt ac ſi dicat, quædam ex ſua natura habent, quod differentiæ per ſe, & quædam quod differentiæ per accidens nuncu-
C pentur: quæ autẽ ſint differentiæ per ſe, explanat dicens rationale eſt Differẽtia per ſe, ita mortale, & diſciplinæ ſuſceptiuum, quia per ſe homini inſunt: ſed differentiæ per accidens, inſeparabiles tamen, ſunt vt aquilinum, vel ſimum eſſe: hæc itaque accidentaliter inſunt.

1 Circa quem textum, duo dubia inſurgunt: & primo dubitatur quomodo eſſe diſciplinę ſuſceptiuum, inter differentias per ſe à Porphyrio reponatur: Differentiæ per ſe ingrediuntur defini-
D tionem rei, vt author infra teſtabitur: ſed eſſe Diſciplinę ſuſceptiuum eſt proprium hominis in quarto modo; neque hominẽ conſtituit; ſed tãquã proprietas ab illius eſſentialibus principijs emanãs ipſũ iã in eſſe conſtitutũ ſupponit, ergo inter differẽtias per ſe reponi nõ debet.

2 Præterea arguitur quod ſimum & aquilinũ ſint differẽtiæ per ſe: Ariſtot. in lib. 1. poſteriorum, in text. decimo, tractans modos dicendi per ſe, inquit quod illa propoſitio eſt in ſecundo modo dicẽdi per ſe, in qua ſubiectũ eſt de ratione predicati: ſed in his propoſitionibus,

nasus est simus,vel aquilinus,subiectum est de ratione predicati, sicut dicitur in lib.7. met.quoniam simus est nasus curuus, & simitas est nasi cauitas; aquilus est nasus curuus euersus, & aquilitas est nasi curuitas euersa, ergo sunt differentiæ per se.

Ad primum respondetur, intentionẽ Porphyrij non esse, quod ly disciplinæ susceptiuum, sit differentia per se, sed vel gratia exempli illud nunc apposuit, vel ob maximam conformitatem,quam Proprium quarto modo sumptum habet cum specifica differentia, quia ab hac, tanquam ab essentiali principio originem ducit.

Ad secundum est communis solutio magni Alberti,Pauli, Caietani, & Soti, quod Porphyrius in hoc loco accipit ly per se,strictius quam Arist.in lib.1.post. acceperit: etenim Arist.diuisit per se, in quatuor modos perseitatis;sed Porphyrius accipit per se,vno modo dumtaxat, quando.s.predicatum est de essentia subiecti, quod ad primum modũ dicendi per se spectat:quare per differentias per se, intendit specificas differentias, quæ predicãtur de specie in primo modo dicendi per se, vt si dicatur homo est rationalis:sed si ad genus comparentur,dicuntur etiã per se, non quia de illo predicentur, sed quia per se illud diuidunt: aliæ autem differẽtię,siue communiter, siuè propriè dictę, dicuntur Differentiæ per accidens, quia non sunt de essentia eorum, quæ differunt: hoc tamen non impedit quin propositiones illę, sint in secundo modo dicendi per se: nõ tamen sunt Differentiæ per se, sicut declaratum est:& de his hactenus.

Disputatio secunda. de differentia.

An suscipere magis & minus, conueniat omnibus Differentijs per se, constituentibus aliquam speciem; tam in genere substantiæ,
A *quàm accidentis.*

Dilucidatio I.

*Tex.*Illę ergo,quæ per se sunt in ratione substantiæ accipiuntur, & faciunt aliud: illæ verò quæ secundum accidens,nec in substantię ratione accipiuntur, nec faciunt aliud, sed alteratũ:
B quæ quidem igitur per se sunt, non suscipiunt magis & minus: quæ verò per accidens,(& si inseparabiles sint) intẽsionem accipiunt, & remissionem: nam neque genus aut magis vel minus prædicatur de eo,cuius fuerit genus, neque generis Differentię, secundum quas diuiditur: ipsæ enim sunt, quæ vnius-
C cuiusque rationem complent: esse autem vnicuique vnum & idem, neque intensionem, neque remissionem suscipiẽs est: aquilinum autem esse, vel simũ, vel coloratum aliquo modo intenditur, & remittitur.

TRIA, pertractari à Porphy-
D rio,in eadem serie textus, dictũ est in superiori lectione: atque primis duobus expletis,nunc ad tertium explanãdum accedit, in quo quędã discrimina inter differentias per se ex vna parte, & differentias per accidens ex altera parte assignat,& in duobus has differentias ab inuicem distingui ostendit; quorum primum est, quod Differentiæ per se in ratione substantiæ accipiuntur,quod est dicere definitionem rei ingrediuntur: etenim si homo definiatur, dicetur ꝙ est Animal rationale, ecce quod rationale,specifica hominis Differentia,in illius

lius definitione ponitur: vera n. ac propria rei definitio, ex proprio genere, & ex propria differentia conficitur, inquit Aristotel. in libro septimo metaphys. text. 43. sed Differentię per accidens, siue separabiles, siue inseparabiles sint, rei definitionē haud ingrediuntur, non. n. dicitur quod homo sit Animal coloratū, vel habēs nasum aquilinum, aut curuū: ex quo sequitur illud, quod sepe dictū est. s. quod Differentiæ per se faciunt aliud. i. essentialem differentiā cōstituūt: sed quæ per accidens sunt, & si inseparabiles sint, non plus faciunt, quā alteratū, quod est accidentalem Differentiā constituere: Aliud discrimen inter has differentias est hoc, Differentiæ per se, non suscipiunt magis & minus: at differētię per accidens (& si inseparabiles sint) tamen intensionē accipiunt, & remissionē: sed quoniam quis ambigere quiuisset, de differenrijs per se, an magis & minus suscipiant, ideo hoc idem explanare hac ratione elaborat: genus non predicatur de eo, cuius est genus. i. de suis speciebus secundum magis & minus, ergo neque Differentiæ per se, predicantur secundum magis & minus, de eo, idest de specie, cuius est differentia: antecedens probatur, non enim dicitur quod homo sit magis Animal quam Equus: neque quod pulex sit minus Animal, quàm Elephans, quia genus quo ad totam suam essentiam, quod est esse substantia animata sensitiua, in qualibet suarum specierum reperitur: consequentiam deinde sic exponit: Differentiæ per se, sunt diuisiuæ generis, & specierū constitutiuæ, contrahunt namque genus secundum totam suam essentiam ad quālibet suarum specierum, atque ipsas cōstituentes non faciunt quod homo sit magis homo, quam Equus sit Equus: neque in eadem specie vnus homo est magis homo, quam alter homo: Confirmatur, nullum completiuum essentiæ rei, suscipit magis & minus, sed Differentiæ per se, sunt completiuæ essentiæ rei, ergo non suscipiunt magis & minus: minor nulla probatione indiget,

A maior sic probatur esse vniuscuiusque rei est semper vnum & idem, ita vt nullam essentialem variationem patiatur, ergo neque differentiæ per se, quæ huius esse sunt completiuæ, suscipiunt magis & minus, alioquin ipsum esse à Differentiis cōpletum variaretur: sed differentię per accidens, magis & minus suscipiunt, nam vnum Corpus est altero corpore magis & minus coloratum; nasus est altero magis & minus aquilus, aut curuus; & vnus homo est altero B homine magis & minus cæcus, & similia.

1 Sed contra predicta arguitur, & primò probatur quod genus suscipiat magis & minus: nam Author sex principiorum inquit, quod Animalia sunt magis animata, quàm plantæ igitur cum Animatum sit genus, videtur quod genus suscipiat magis & minus.

2 Præterea probatur quod Differētiæ per se, suscipiant magis & minus: luce etenim meridiana clarius est, quod aliqui homines, magis vtuntur ratione, C quam alij, & per consequens rationabiliores apparent: imo Arist. in lib. 10. etic. appellat aliquos homines bestiales, quia à ratione multum distāt, ergo differentię per se, suscipiunt magis & minus.

3 Confirmatur, Differentiæ, quibus colores ab inuicem distinguuntur, sunt differentiæ per se, quia genus diuidunt, & species constituunt: sed hæ suscipiunt magis & minus, ergo differentiæ per se, suscipiunt magis & minus: minor habetur clarissima ex Aristot. in libro D decimo metaphys. tex. 23. de congregatiuo, & disgregatiuo visus.

4 Præterea probatur quod differentia per accidens non suscipiat magis & minus: nam cęcitas est differentia per accidens, vt ait Porphyrius in initio huius capitis: & hæc non suscipit magis & minus: non enim dicitur magis vel minus cæcitas, imo nec in concreto, alter altero, magis aut minus cæcus dicitur, ergo &c.

5 Vlterius nec simum, nec aquilinū intenduntur, & remittuntur, quia intensio, & remissio fit per additionē qualitatis

litatis ad qualitatem in subiecto, cui insunt: sed talis additio non potest fieri ad simitatem, & curuitatem, igitur non suscipiunt magis, &c.

6 Confirmatur, nam simitas & curuitas predicantur de naso, in secundo modo dicendi per se, ergo non suscipiũt magis & minus: antecedens est Aristotelis in libro primo posteriorum textu decimo: consequens probatur quia proprium quarto modo non suscipit magis & minus.

Ad solutionem horum argumentorum sit primum notandum, quid significet suscipere magis, & minus: dicitur ergo, prout ad præsens negocium spectat, quod suscipere magis & minus, nihil aliud sonat, quàm rem illam, quæ dicitur suscipere magis & minus: magis & minus participari, vel ab eodem in diuersis temporibus, vel à diuersis simul & successiuè; v. g. Calor dicitur suscipere magis & minus, (non quod ipse calor sit magis vel minus calor) sed quia magis & minus intensatur in subiecto quod actuat, & perficit, vnde eadem aqua, modo magis, vel minus calida est: modo si Differentiæ specificæ, & genus susciperent magis & minus, nihil aliud sonaret, nisi quod magis & minus participarentur ab illis, quorum sunt genus & differentiæ, vel in eodem tempore, vel successiuè: & vt facilius hæc percipiantur, optime Caietanus inquit, quod cum differentiæ per se, non dicantur Differẽtię, nisi per comparationem ad genus, quod diuidunt, & ad species, quas cõstituunt; ideo si Differentiæ per se suscipiũt magis & minus, aliud non esset, quã nũc magis, nũc verò minus ipsas species cõstituere, vel ipsum genus diuidere, aut vnã speciẽ ab alijs distinguere.

Sit secundũ notandũ, suscipere magis & minus, dupliciter adhuc intelligi potest: vno modo pro eo, quod est esse perfectius & imperfectius: & hoc modo, genera, cuiusq; predicamẽti, species & differentiæ suscipiunt magis & minus: nã Arist in lib. 8. met. tex. 10. inquit quod species sunt sicut numeri; quamobrem

A sicut in numeris, datur vna species perfectior alia; ita in speciebus rerũ oportet vnã esse perfectiorem, & alteram minus perfectam; non ideo solũ quia differẽtia constitutiua vnius, est perfectior differẽtia constitutiua alterius, sed quia etiam natura ipsius generis perfectiori modo seruatur in nobiliori specie, quam in minus nobili, vnde Auerroes in lib. 12. metaph. com. 2. dixit quod genus predicatur per prius & posterius secũdum esse.

B Alio modo potest intelligi, pro eo ꝙ est intendi, & remitti, quod est idem, ꝙ suum esse profici, seu augeri, & diminui, seu minus perfectionis acquirere; vel in vno & eodem successiuè, vel in pluribus simul, vt supra declaratum est.

Sit tertium notandum, Differentiæ per se, siue proprijssime, siue specificæ, de quibus nunc fit sermo, sunt duplices, quædã sunt de genere substantiæ, vt quę constituunt speciẽ in genere substantię, vt differentiæ cõstitutiuæ hominis, Leonis, Equi, ligni, lapidis, & huiusmodi. &

C quædam de genere accidentis, quæ constituunt speciem in genere accidentis: quemadmodum. v. g. sunt differentiæ constitutiuæ colorum, saporum, figurarum, & similium: etenim horum differentiæ, sunt differentię per se, proprijssimę, ac specificę: non enim minus & essentialiter, albedo & triangulus constituuntur inesse, & ab alijs speciebus sub eodem genere distinguuntur per suas specificas differentias, quàm homo, Leo, Equus, per suas essentiales dif-

D ferentias constituantur, & sub eodem genere distinguantur.

Sit quartum notandũ cum Porphyr. dicit in litera, quod Differentię per se, non suscipiunt magis & minus: Circa hanc propositionẽ sunt duę opiniones: Marcus Antonius Zimara in theoremate (& inquit hanc sententiam esse Auerrois in libro octauo metaphys. tex. comment. 10) ait quod propositio Porphyrij est intelligenda & limitanda in substantijs, fallit verò in accidentibus: quod est dicere, vltimę differentię quę sunt de genere substantię non suscipiunt

magis & minus : ſed Differentiæ vltimæ
ſpecierum de genere accidentis ſuſci-
piunt magis & minus: hęc etiam eſt ex-
preſſiſſima ſententia Burlei in hoc lo-
co, vbi inquit quod Porphyrius non eſt
loquutus vniuerſaliter de omnibus dif-
ferentijs conſtituẽtibus ſpeciem, ſed ſo-
lùm de differentijs predicamenti ſubſtã
tiæ: quoniam differentiæ per ſe acciden-
tium bene ſuſcipiunt magis & minus :
ideo diſgregatiuum viſus, quod eſt diffe
rentia, ſuſcipit magis & minus, quia ali-
quis color magis, & aliquis color mi-
nus viſum diſgregat.

Sed Auicennas in ſua logica, Paulus
Venetus ſuper hunc textum ad ſecundũ
Sotus in hoc capite q. vnica in ſolutione
tertij argumenti, ad tertiam confirma-
tionem, & etiã videtur opinio, in 2. not.
oppoſitam ſententiam habent: atq; affir
mant Porphyrij, Propoſitionem eſſe ve-
ram de omnibus differentijs per ſe con-
ſtituẽtibus ſpeciem tam in genere ſub-
ſtantiæ, quàm accidentis : etenim ſicut
vnus homo non eſt magis homo, quam
alius, vel ipſe metà ſe ipſo : ita nec vna
albedo eſt magis albedo quàm alia ; li-
cet ſit intenſior : veruntamen quia Ari-
ſtot. & Porphyr. videntur aſſerere quod
accidentia recipiant magis & minus, di-
citur. n. magis aut minus album, calidũ,
vel iuſtũ : ideo Auicennas reſpondet, ꝙ
accidentia duobus modis conſiderãtur,
vel quatenus ſunt ſpecies alicuius gene
ris, per ſpecificas differentias ſub illo cõ
ſtitutę & diſtinctæ, & ſic non ſuſcipiunt
magis & minus: vel quatenus ſunt acci-
dentia alicuius ſubiecti, in quo intenſan
tur & remittuntur, & ſic dicuntur ſuſci-
pere magis & minus, ratione ipſius ſub-
iecti, quod magis & minus album, vel
calidum dicitur.

Nos autem circa hoc quęſitum, dici-
mus in primis, quod Propoſitio Porphy
rij verificatur de omnibus differentijs
per ſe, tam in genere ſubſtantiæ, quàm
accidentis : & primo de genere ſubſtan-
tię confirmatur eadem ratione, qua Au
thor in litera arguit ; quia differentiæ
per ſe, ſunt rationis vniuſcuiuſque com-

A pletiuæ: eſſe autem vniuſcuiuſque vnũ
& idem eſt nec intenſionem, nec remiſ-
ſionem ſuſcipiens: quę ſententia eſt Ari
ſtotelis tum in lib. 8. metaphyſ. text. 10.
vbi ſcribit quod ſpecies entium ſunt ſi-
cut numeri, & eſt propoſitio de mente
Platonis, vt ibi S. Thomas dicit ; tùm
etiam in libro 5. metaphyſ. textu 19. vbi
inquit, ſex ſemel eſt ſex, non eſt bis tria,
neque ter duo, ſubſtantia enim vniuſ-
cuiuſque quod ſemel : vnde inde colli-
gitur quod ſpecies rerum conſiſtunt in
B indiuiſibili, ſicut ſpecies numerorum: li-
cet Scotus in lib. 8. metaphyſ. queſt. 3. &
Antonius Andreas ibidem queſt. 7. vi-
deantur aſſerere formas ac differentias
ſubſtantiales recipere aliquo modo ma
gis & minus : de qua quidem poſitione
ſuper librum ſecundum ſentent. ſcripſi-
mus. De differentijs per ſe in genere
accidentis, dicimus verificari propoſi-
tionem Porphyrij : quia ſicut Porphy-
rius in hoc ſuo tractatu, loquutus eſt de
genere & de ſpecie vniuerſaliter ſecun-
C dum omnia predicamenta, ita etiam
loquitur vniuerſaliter de differẽtia per
ſe; & nõ magis de differẽtia predicamẽ-
ti ſubſtantię, quàm alterius predica-
menti : qua propter concludendum
eſt, quod ſicut differentię predicamen-
ti ſubſtantiæ, ita differentiæ predica-
menti accidentis non ſuſcipiunt magis
& minus : nam eſſe ſpecierum in gene-
re accidentis, quatenus ſunt ſpecies, in
indiuiſibili conſiſtit, ſemperque vnum
& idem eſt : quod ſi variationem ali-
D quam patiantur, hoc non prouenit ra-
tione ſui, ſed quidem ratione ſubiecti,
cui inſunt: vnde Ariſt. in predicamento
qualitatis inquit, quod homo dicitur ha
bere magis & minus iuſtitiam, albedi-
nem, vel ſanitatem, vnde dicitur iuſtior,
albior, ſanior; ipſa tamen iuſtitia, albe-
do, & ſanitas non dicuntur magis & mi-
nus : quod dictum eſſet falſum, ſi diffe-
rentię per ſe, conſtitutiuæ harum for-
marum accidentalium ſuſciperent ma-
gis & minus : quæ ſententia habetur
etiam apud Authorem ſex principiorũ
capite primo ; vbi quærens an aliqua

forma sit variabilis, arguit de albedine, quæ sit claritatis & obscuritatis receptiua, & soluendo inquit, sed non est ita; nam nihil differt albedinem claram dicere, quàm suscipiens clarum dicere: his dictis ad argumenta nunc respõdeatur.

Ad primum negatur quod genera suscipiant magis & minus: ad authoritatẽ Authoris sex principiorũ: dicitur quod eius intentio est ostendere, quod cum natura generis non sit alia à natura speciei. v. g. natura Animalis à natura hominis in quo est, & vna species sit alia perfectior, vt supra in secundo not. dictum est, inde euenit quod natura generis perfectiori modo seruatur in nobiliori specie, quàm in minus nobili: etenim quamuis Animal significet vnum gradum perfectionis, puta vitam sẽsitiuam: tamen gradus ille inequaliter descendit ad suas species, ratione differentiarum contrahentium, quę sunt inęqualiter perfectæ: non enim solum homo est perfectior Equo, sed esse Animal, puta sensitiuum, est perfectius in homine quã in Equo: ita esse animatum, perfectiori modo est in Animali, quàm in planta, ob perfectiorem animam, à qua vnumquodque dicitur Animatum.

Ad secundum distinguitur, quod Differentiæ per se bifariam considerantur, vno modo absolutè & secundum se, scilicet quatenus sunt formæ & differentiæ specificæ, & sic non suscipiunt magis & minus, vt dictum est: alio modo ratione subiecti indiuidualis in quo sunt, quatenus vnus homo, ob indiuidualem complexionem, & propter meliora instrumenta, & sensus, & alia organa corporea, quę illi contingunt ex meliori dispositione corporis, est aptior ad vtendum ratione: & sic suscipiunt magis & minus; vnde Aristot. in lib. 2. de anima textu 64. dicebat, molles carne, mente sunt aptiores: & hoc, (ni fallar) intendebat Auerroes in libro 8. metaphys. in textu comm. 10 vbi inquit, quod forma substantialis non recipit magis neque minus: homo enim non est maioris humanitatis quam homo, & si fuerit, erit

A secundum quod est forma in materia & S. Thomas in prima secundę q. 52. art. 1. exponens authoritatem Aristotel. in libro 8. metaphys. species rerum sunt, sicut numeri, inquit quod sicut numerus non habet magis, neque minus, sic nec substantia quę est secundum speciem, id est quantum ad participationem formæ specificę: sed si quid, quæ cum materia, id est secundum materiales dispositiones inuenitur magis & minus in substantia.

B Ad tertium duobus modis respondetur: primo quod intentio Aristotelis in 10. metaphys. text. 23. non est asserere, quod Differentiæ per se colorum suscipiant magis & minus: sed ibi quærit an mediæ qualitates secundum formã, vt pallidum & rubeum componantur ex extremis ex albo videlicet, & nigro: atque ostendit conditionali sermone, quod si media ex extremis componantur, oportet quod alterum eis insit secundum magis, & alterum secundum

C minus: quoniam vt ibi Auerroes inquit, impossibile est quod in composito ex contrarijs formaliter, sint duæ partes ęquales, sed oportet quod altera sit dominans, cui attribuitur forma, &c. secũdo negatur quod congregatiuum, & disgregatiuum visus, sint differentię per se & essentiales colorum, aut ad eorum quidditatem pertinentes, vt meminit S. Thomas in opusculo 42. cap. 19. sed quia specificæ differentiæ accidentium ignorantur, ideo per ipsorum colorum

D effectus explicantur: & quia inter colores albedo præcipue recipit lucem, ideo dicitur disgregare visum, & ob id, quæ intensior est, magis est disgregatiua.

Ad quartum D. Thomas de potentia dei, q. 1. art. 3. ad quartum in oppositũ: & in lib. 2. sent. dist. 25. art. 4. ad tertiũ. & Egidius ibidem ad secundum distinguũt, quod huiusmodi priuationes; v. g. cæcitas, surditas, & similes, dupliciter considerantur, vno modo secundum se, & sic non suscipiunt magis, neque minus: alio modo secundum causam, seu subiectum cui insunt, & sic suscipiunt magis

magis & minus: nam quando quis habet oculum erutum, dicitur magis cæcus, quàm qui per superfluum humorem in pupilla, cæcus factus est.

Ad quintum obmisso nunc quomodo fiant intensio & remissio, dicatur ad argumentum quod nasus dicitur magis & minus aquilus aut curuus, ob maiorem & minorem dispositionem subiecti & dispositionem superficiei nasi, cuius sunt proprietates.

Ad sextum dicitur quod proprietatum, aliæ consequuntur materiam, vt simum & aquilum, & hæ suscipiunt magis & minus: aliç formam, vt risibilitas, & hæ non suscipiunt magis & minus: de quibus suo loco dicetur: hæc pro præsenti lectione sufficiant.

Dilucidatio 5.

Tex. Cum igitur tres species differentiæ considerentur: & hæ quidem sint separabiles, illæ verò inseparabiles: & rursus inseparabilium hæ quidem sint per se, illç verò per accidens: rursus earum quç per se sunt differentiarum, aliæ quidem sunt, secundum quas diuidimus genera in species, aliæ verò secundum quas, ea quæ diuisa sunt, specificantur. vt cum per se differentię omnes huiusmodi, Animalis sint, animatum & sensitiuum, rationale & irrationale, mortale & immortale: animati quidem & sensitiui differentia, constitutiua est substantię Animalis, (est enim Animal, substantia animata sensitiua) mortalis verò & immortalis differentiæ; rationalis & irrationalis

A diuisiuç sunt Animalis differentiæ: per eas enim, genera in species diuidimus.

FIt nunc, inquit Boetius, differentiarū plena ac suprema diuisio; & fortè illud verum est, quod Ammonius ait, videlicet, quod Porphyrius magna ratione ductus, de eis differere voluit, præsertim, cum ea quæ ad diuisionem & definitionem pertinent, in medium afB ferre intendat: sed priusquam ad supremam diuisionem Author perueniat, diuisiones iam supra explanatas epilogat dicens: igitur cum tres species differentiæ considerentur, scilicet, communis, propria, & proprijssima: & harum aliæ sint separabiles, aliæ inseparabiles: rursus inseparabilium aliæ sint differentię per se, aliç per accidens, &c. nunc sumit vltimæ diuisionis alterum membrum, videlicet, differentiarum per se, & hoc sub diuidens dicit, quod Differentię per C se, sunt in duplici differentia, quia earū aliæ sunt, secundum quas diuidimus genera in suas species: aliç verò secundum quas, ea quç diuisa sunt specificantur, id est in esse constituuntur: atque summatim, diuisio talis est, differentiarum per se aliæ sunt diuisiuç, & aliæ constitutiuç: sed quoniam hic textus verborum prolixitate completur, pluraque à Porphyrio in eo intenduntur, quç sine quadam speciali explanatione non ita facilè perciperentur, ideo ad faciliorem inD telligētiam, quædam notatu digna proponantur.

Sit igitur hoc notandum ex Caietano & Soto, quod cum Porphyrius diuidit differentias per se in diuisiuas & constitutiuas: hęc diuisio duobus modis cōsiderari potest: primo respectu vnius generis subalterni; v. g respectu Animalis, & tunc non sunt eędem differentiæ cōstitutiuę & diuisiuæ illius, sed sunt aliç & aliæ secundum rem: Etenim Animal, per alias differentias constituitur in esse, & per alias in suas species diuiditur: constituitur namque per has duas, sci-

licet, animatum, & sẽſitiuum: cum enim hę duę ordinem ad inuicem habeant, ita vt ſenſitiuum ſine animato eſſe nequeat, & nullam inter ſe oppoſitionem ſentiant; ſunt ſubſtantiæ Animalis conſtitutiuæ: eſt.n. Animal ſubſtãtia animata ſenſitiua: ſed quando diuiditur, tunc per alias diuiditur.ſ. per rationale & irrationale, mortale & immortale, quæ inuicem opponũtur: & cũ hę diuiſiuæ ſint alię à conſtitutiuis, ideo diuiſio differentiarum per ſe in conſtitutiuas & diuiſiuas reſpectu vnius & eiuſdem generis ſubalterni erit diuiſio rerum: quem ſenſum expreſſum in litera Porphyrius habet: Verum eſt tamen, quod Differentiæ conſtitutiuæ vnius generis ſubalterni, ſunt generis ſuperioris diuiſiuæ; v.g. animatum & ſenſitiuum, ſi comparãtur ad Animal, tunc ſunt ſubſtantiæ illius conſtitutiuæ: at ſi ad genus ſuperius cõparantur, tunc ſunt illius diuiſiuæ, quia verum eſt dicere, corporum aliud animatum, aliud inanimatum: ſenſitiuum vlterius diuidit corpus animatum, quia verum eſt dicere corporum animatorum, aliud inſenſitiuum vt plãta, aliud ſenſitiuum vt Animal: & ſic ſi fiat deſcenſio, tandẽ ad ſpeciem ſpecialiſſimam deuenerimus, quæ ſolas differentias conſtitutiuas habet: & ſi aſcendamus, ad genus generaliſſimum tandẽ pertingemus, quod ſolas differentias diuiſiuas, & non conſtitutiuas habet, eo quod ſuperiori genere caret: & ex his liquidò apparet, quę ſit in hoc textu Porphyrij intentio.

Text. Sed hæ, quæ diuiſiuæ ſunt differentiæ generum, completiuæ fiunt, & cõſtitutiuæ ſpecierum: diuiditur enim Animal rationalis & irrationalis Differentia, & rurſus mortalis & immortalis differentia; ſed rationalis & mortalis differentiæ, cõſtitutiuæ fiunt hominis: rationalis verò & immortalis, Dei: ir-

A **rationalis autem & mortalis, irrationalium Animalium.**

BInas eſſe differentias alicuius generis ſubalterni, conſtitutiuas nempe, & diuiſiuas iam explanauit: & vt paulò ſuperius diximus, Differentiæ conſtitutiuæ generis ſub lterni, ſunt alię ſecundum rem à diuiſiuis eiuſdem: nunc de his diuiſiuis agit, & qualiter reſpectu ſpecierum ſub eodem genere contẽtarum, ſe habeant, explanat: dicit igitur, B quod illæmet differentiæ, quę ſunt generum diuiſiuę, ſunt etiam ſpecierum completiuę & conſtitutiuæ. v.g. Animal quod eſt genus, diuiditur per has differentias rationale irrationale, mortale & immortale, nam verum eſt dicere, Animalium aliud rationale, aliud irrationale; aliud mortale aliud immortale: ſed hæ duæ differentię ſimul iunctæ rationale mortale Animali aduenientes conſtituunt ſpeciem hominis, quoniam homo eſt Animal rationale mortale; C aliæ duæ rationale immortale eidem generi aduenientes conſtituunt ſpeciem intelligentiarum, quę ſunt Animalia rationalia immortalia: reliquę verò ſcilicet irrationale mortale Animali iunctæ ſpecies brutorum, vt Canis, Equi, ac cæterorum conſtituunt.

Circa hunc textũ meminiſſe oportet ea, quę in precedenti cap. adnotauimus: quod Porphyrius fuit ſtoicus & Platonicus, magis quàm Ariſtotelicus: quapropter illo errore detinebatur, quod D cœleſtes intelligentię eſſent Animalia rationalia, ſicut Apuleius de Deo Socratis refert, vbi Demones, inquit, ſunt Animalia corpore aerea, mente rationalia, tempore æterna, animo paſſiua: & ideo opinatus eſt Animal rationale eſſe genus, quod per mortale contractum conſtituit definitionem hominis: atque iterum per immortale contractum, intelligentiarum definitionem facit.

Præterea notetur quod Differentiæ generis diuiſiuæ, & ſpecierũ contentarũ ſub eo conſtitutiuæ, ſunt æedem ſecundum rẽ, & ſola ratione diuerſæ: quapro-

pter

pter iuxta tres actus, quos vnaquæque specifica differentia habet. s. diuidere genus, cõstituere speciem, & vnam ab alia distinguere, appellatur modo diuisiua, modo constitutiua, modo Differentia: quare diuisio differentiarum in diuisiuas generis, & constitutiuas specierum est diuisio secundum rationem, vel secundum diuersos actus eiusdem differentiæ: secus autem est de constitutiuis generis subalterni, & de diuisiuis eiusdem, vt supra dictum est.

Præterea notetur quod omnes Differentiæ tàm constitutiuæ, quàm diuisiuæ superiorum, sunt etiam inferiorum cõstitutiuæ: sed non è contra, non enim illæ differentiæ quæ inferiora constituũt, constituunt etiam superiora: Animal etenim, quod est genus, constituitur per animatum & sensitiuum: & hæ duæ differentiæ etiam hominem constituũt; sed præter has genericas differentias, requiritur ad hominis constitutionem, etiam rationale, est enim homo substantia, animata, sensitiua, rationalis: tamen rationale non constituit Animal, sed benè cum suo opposito scilicet irrationali, ipsum diuidit, quemadmodum iam dilucidatum est.

Tex. Sic verò & supremæ substantiæ, cum diuisiuæ sint animati & inanimati differentiæ. & sensitiui & insensitiui: animata quidem & sẽsitiua iuxta substantiam sumptæ Animal perfecerunt: animata verò & insensitiua perfecerunt plantam.

POsset quis, & non immeritò ambigere, vtrum quemadmodum differentiæ per se, quę genus subalternum diuidunt, & species sub illo positas constituunt, sunt eędem secundum rem, & sola ratione distinguuntur; v. g. rationale, quod diuidit Animal, & hominem sub eo constituit, est vnamet differentia secundum substantiam, & sola

A ratione à se ipsa distinguitur, vt dictũ est: ita illę differentiæ quę aliquod supremũ genus. s. generalissimum diuidunt; ipsæmet deinde cõstituant species, quæ sub illo continentur: & ad partem affirmatiuam Porphyrius respondet. s. quod sunt ædem: quam positionem exẽplis manifestat: v. g. Differentiæ diuisiuę substantiæ, quæ est supremum, ac generalissimum genus, sunt animatum & inanimatum, sensitiuum & insensitiuum: igitur si animatum & sensitiuum substantiæ adueniant, constituunt Animal,

B quod est substãtiæ species; est enim Animal substantia animata sensitiua: si verò animatum & insensitiuum eidem substantię accedant, tunc constituunt plantam, quę est substantia animata insensitiua: iterum si eidem substantiæ coniungantur differentię inanimatum & insensitiuum, tunc constituitur species corporis inanimati. s. lapidis, ferri, plũbi, & similiũ: nam horũ quodlibet est substantia inanimata, insensitiua: & ita est

C manifestũ, quod differẽtię, quę supremi generis sunt diuisiuæ, ipsæmet sunt inferiorum specierum constitutiuæ.

Text. Quoniam ergo eædem aliquo modo quidem acceptæ fiunt constitutiuæ, aliquo modo autem diuisiuę, omnes specificæ vocantur: & his maximè opus est ad diuisiones generum

D & ad definitiones: sed non his, quæ secundum accidens inseparabiles sunt: neque etiam magis ijs, quæ sunt separabiles.

TAndem Porphyrius concludit, quo nomine, differẽtię generis diuisiuę, ac specierum constitutiuę nominandæ sint: & dicit ꝙ cum ędẽ Differẽtiæ alio & alio modo cõsideratæ sint diuisiuæ & cõstitutiuæ, diuisiuæ quidẽ generis, cõstitutiuæ specierũ: tñ omnes eodẽ nomine nominandæ sũt, videlicet drię specificę: cuius

cuius denominationis rationẽ assignat Paulus sic dicens; vnumquodque a fine potius, quàm a principio denominandũ est; sed in constitutione rei, genus est principium tanquam materia, & species est finis tanquam compositum, ergo à specie, & non à genere denominandæ sunt, & per consequens specificæ, & non genericæ dicuntur: vel vt Sotus ait, à nobiliori actu, qui est speciem constituere, denominantur, eò enim differentia diuidit genus, vt speciem constituat: quod & si subalternum genus constituit, non tamen quatenus genus, sed quatenus speciem, ipsum constituit, quemadmodum nec illud diuidit, nisi quatenus est genus: at quomodo genus habeat constitutiuas differentias, & quomodo non, infra elucidabitur. Postremum harũ differentiarum geminum vsum inferendo Author concludit, quod his maximè opus est ad diuisiones generũ, eo quod sint ipsorum diuisiuæ, & ad definitiones specierum: nam ex hoc quod eas constituunt, definitiones earum ingrediuntur: quoniam vt in hoc loco Boetius dicit, ex quibus vnumquodque constituitur, ex eisdem etiam definitur, sed species constituitur per specificas differentias, ergo per eas definitur: iurè igitur solæ differentię specificæ, & generis diuisioni, & specierum definitioni coaptãtur: reliquæ autem quę sunt differentiæ per accidens, siue inseparabiles, siue separabiles sint, ad hæc munera perficienda nequaquam coassumuntur: & minus illæ quę separabiles sunt: & benè inquit quod separabiles minus coassumũtur; quoniam fortassis aliquando continget inseparabilibus vti, licet per accidens, quando scilicet specificę ignorantur, & rerum proprietates haud clarescunt: & huic finis imponatur.

Disputatio tertia. De differentia.

An Differentiarum diuisiuarum

A *Generis; & speciei constitutiuarum; quas Porphyrius in textu assignauit; detur quarta combinatio, nempe irrationale & immortale, alicuius speciei constitutiua.*

Dilucidatio I.

Non datur quarta combina-
B tio Differentiarum, vt Boetius authumat.

SCRIBITVR ab Aristotele in libro primo Eticorum cap. 6. rectius esse, ac oportere videretur vt pro veritatis salute, vnusquisque, & præsertim Phylosophi, sua quoque propria refutarent: nam licet amici sint, sanctum est veritatẽ ipsis in honore anteponere: quod si verũ est,
C nec non à Phylosopho rectè dictum; ne vereamur in præsentiarum, ipsam veritatem, etiam doctissimorum virorũ sententiæ in honore anteponere: & ad rem nostram accedẽtes, dicamus quod cum Porphyrius de Differẽtijs diuisiuis Animalis generis loqueretur, asseruisse videtur quatuor esse eiusdem Animalis Differentias diuisiuas, rationale irrationale, mortale & immortale: quibus positis illico subintulit, eas inter se sic se habere, quod cum ipsemet sint specierũ
D sub eodem genere positarum constitutiuę: tunc rationale & mortale Animali aduenientes, hominis speciem constituunt: rationale & immortale Deorum, hoc est intelligentiarum speciem faciunt: irrationale & mortale brutorum naturam in esse ponunt: nunc meritò quis dubitabit an earundem Differentiarum detur quarta combinatio, ita scilicet quod ex irrationali & immortali differentia, aliqua species resultet, ita vt sit aliquod Animal, quod irrationale pariterque immortale sit; de hac quidem combinatione, Porphyrius nullam men-

tionem

tionem habuit: nihilominus alicui videri posset, dari hanc quartam combinationé, ita vt aliqua species sub Animali sit; quæ ex irrationalitate & immortalitate, tanquam ex per se differentijs con stituatur.

1 Oppositorum est eadem ratio, sed rationale cũ mortali & immortali apud Porphyrium duas species constituit, hominis nempè & intelligentiarum; ergo irrationale (quod rationali opponitur) cum mortali & immortali, duas species constituere debuisset: quare sicut datur Animal rationale mortale & immortale, pari modo Animal irrationale, mortale & immortale dari debuisset: & hæc sola ratio pro vna opinione sufficiat.

Ammonius vir equidé Doctissimus, in commentarijs superioris textus opinionem quorundam refert, asserentium quoddam genus Demoniorum immortalium, ac ratione carentium reperiri: quod genus, quia infimum ordinem sortitum est, infimas partes terrę inhabitat, meritasque illic Animarum penas luit: Verùm hęc opinio ab eodem Phylosopho, tanquam falsa, ex multis capitibus ibidem reijcitur. tùm primò quia nullum Animal, quod sit rationis expers, æternum esse queit: tùm secundò quod si rationis compos non est, quo nam pacto labi, ac deinde meritas animarũ penas sumere poterit? hæc igitur opinio, ad mentem omnium Phylosophorum, qui sanum sapiunt intellectum, protinus abijcienda est. quod & si Demonũ, alij boni sint, quos ipsi Eudemones appellant, & alij mali, quos Cacodemones vocitant; tamen quod eorum, aliqui irrationales & immortales sint, nullus phylosophorum admittet: hinc Apuleius, demoniorum naturam describens, inquit, Demones sunt genere Animalia, animo passiua, mente rationalia, corpore aerea, tempore æterna: igitur præfata opinio omnino reijciatur.

Boetius non minus in supranaturali, quàm naturali facultate versatus, prętactam difficultatem hic peragens, existimat omnia illarum differentiarum qua- A tripartita membra, etiam ad aures Aristotelis, propriam speciem constituere: ita vt aliquod Animal reperiatur, quod & irrationale, pariterque immortale sit: & si quis petat, quod nam sit hoc? respondet hoc esse corpus cęleste, quippe quod, secundum omnium Peripateticorum placita, licet seclusa intelligentia, inanimatum sit (quidquid Plato, eiusque Asseclæ dicant,) irrationale, atque immortale est.

B Sed huius tanti talisque viri sententia, nec quidem veritati consona est, nec literæ Porphyrij in minimis alludit, quorum vtrunq; manifestare haud multum difficile sit: & primò quatenus ad literam spectat, clarum vnicuiq; sit, quod Porphyrius in illa differentiarum diuisione, de differentijs diuisiuis loquens, ostendit quod earum tres combinationes Animali aduenientes, propriã speciem sub eo constituunt; de quarta autem nullam mentionem fecit: ac pręterea cum corpus cęleste etiam ad men- C tem Boetij eo in loco, sit inanimatum, Animal esse nequit, ergo sub aliquo mẽbro illarum combinationum non cadit, & ideo huiusmodi opinio nullo modo literę alludit.

Pręterea aliud notandum Cõtra Boetium occurrit, quod loquendo propriè, maximum discrimen inter incorruptibile, & immortale reperitur: immortale etenim cum mortis priuationẽ arguat, de illis tantùm dicitur, quę aliqua vita viuunt: sed corpora cælestia, cum inani- D matã sint, & per consequens nullo modo viuant, ideo immortalia propriè appellari nequeunt: benè autem incorruptibilia: incorruptibile etenim tàm de viuentibus, quàm de non viuentibus dici potest.

Præterea aliud notatu dignum in eũdem proponitur, videlicet, aliud est aliquod esse irrationale, & aliud est, esse non rationale: qua propter & si corpora cœlestia, non sint rationalia, tamen irrationalia dici nequeunt: nam si dicatur non rationale, tunc negatio rationalitatis significatur: at irrationale, eiusdem ratio-

rationis priuationem designat: negatio animalitatem omnino excludit; priuatio verò sine animalitate intelligi nequit: & ita cum dicimus corpora cœlestia esse non rationalia, verum dicimus; cum autem eadem esse irrationalia asserimus, falsum fatemur, ex eo quod talis modus loquendi, priuationem importat, quæ vt Aristot. in post predicamentis docet, potentiam, siue aptitudinem arguit ad rationis formam suscipiendam: sed talis aptitudo, à cœlestibus corporibus, quippe quę inanimata sunt, protinus remouetur.

1 Sed fortè dubitabit aliquis dicens, si irrationalitas priuationem rationis importat, cum aptitudine tamen ad rationis formam suscipiendam, ergo bruta Animalia, quę sunt irrationalia, aptitudinem habebunt ad rationis formam suscipiendam: quod assertum, eorum naturæ repugnare, omnibus notum est.

Ad hoc respondetur, quod Animalia bruta, duobus modis considerantur, vno modo secundum genus, quatenus scilicet Animal sunt, & sic talis aptitudo eis non repugnat: etenim Animal, cum ab vtraque differentia abstrahat, per vtranque est contrahibile, nec magis ad vnã, quam ad aliam speciem ex sua natura refertur: alio modo considerantur secũdum speciem, & tunc talis aptitudo eis omnino repugnat: sicut talpę secũdum genus non repugnat videre, alioquin omni Animali repugnaret: benè quidẽ secundum speciem.

2 Contra hanc solutionem, sic arguitur: omnis aptitudo, nisi sit frustra, reducetur, aliquando ad propriũ actum: ergo si brutis secundum genus non repugnat aptitudo ad rationis formam suscipiendam, ergo huiusmodi aptitudo ad actum reducetur.

Ad hoc argumentum, multis modis respondetur: primò conceditur quod talis aptitudo Animalis secundum genus reducitur ad actum: nam satis est quod in rerum natura sit Animal rationale, quemadmodum est: Secundò respondetur, reperiri discrimen inter potentiã

A & aptitudinem: nam aptitudo importat inclinationem alicuius in aliquid, aut non repugnantiam; sed potentia dicit ordinem ad actum: ad propositum, quod huiusmodi aptitudo sit in brutis secundum genus consideratis, nullũ inconueniens sibi oritur; non tamen oportet quod ad actum reducatur, quia aptitudo non importat ordinem ad actum, sicut facit potentia; sed dicit simplicem non repugnantiam secundum genus, hanc solutionem insinuauit Scot. in q.

B 29. Vniuersalium, vbi distinguit quod opposita priuatiuè sunt duplicia: nam quędam sunt priuatiuè opposita vel actui, vel alicui significanti actum; & tunc hęc priuant actum, & relinquunt aptitudinem: alia sunt priuatiuè opposita alicui significanti aptitudinem, & si quid relinquitur, hoc est tantum secundum genus: ad propositum rationale significat tantùm aptitudinem, & irrationale hoc priuat: tamen irrationale est aptum habere rationem secundum ge-

C nus, quia inquantum Animal sibi non repugnat, sicut nec talpę videre, & sic soluitur dubitatio.

Sed ad principale quæsitum quæret aliquis, quam ob causam irrationalitas & immortalitas quarta cõbinatio, propriam speciem non constituat? Ad hoc dicitur quod illarum quatuor differentiarum generis Animalis diuisiuarum, & à Porphyrio in litera assignatarum, non omnes diuidũt Animal; sed earum duę tantùm scilicet rationale & irra-

D tionale, sunt Animalis diuisiue: duę verò alię, mortale scilicet, & immortale, non diuidunt Animal; sed potius alterius generis subalterni, Animalis videlicet rationalis à Porphyrio in arbore positi, diuisiuæ sunt: modo quia immortalitas, quę apud Porphyriũ, est diuisiua generis subalterni, Animalis scilicet rationalis; & irrationalitas, quæ superioris generis, scilicet Animalis, verè diuisiua est, combinari nequeunt, quia diuersorum generum sunt diuisiuæ, vt dictum est, hinc fit, vt propriam speciem non cõstituant: & propter hoc Porphy-

phyrius hanc quartam combinationem A
ſub ſilentio pertranſijt: quaſi innueret
nullam ſpeciem ex eis conſtrui poſſe,
cum ex diuerſorum generum differen-
tijs combinatio formari nequeat.

3 Sed contra hanc ſolutionẽ, poſſet
aliquis rurſus ſic obijcere: ſi mortale &
immortale,non ſuperioris generis ſ. Ani
malis,ſed inferioris dumtaxat, videlicet
Animalis rationalis ſunt differentiæ di-
uiſiuæ,& hoc ad mẽtẽ Porphyrij, qui in
ſua arbore conſtituit Animal rationale
quoddã genus: igitur quare rationale & B
mortale ſimul iuncta,propriam ſpeciem
nẽpè hominis conſtituunt: & tamen ra-
tionale eſt differẽtia diuiſiua generis ſu
perioris,& mortale diuiſiua generis infe
rioris:ergo ex diuerſorũ generũ differen
tijs fit combinatio:pariter ex irrationali
& immortali, quamuis ſint differentiæ
diuerſorum generum, combinatio fieri
poteſt: & per conſequens propria ſpe-
cies ex illis conſtituetur.

Soluitur ſecundum rei veritatẽ,quod
neq; mortale rationalitati adiunctum, C
neque immortale propriam ſpeciem
conſtituunt: ſed ex alia cauſa prouenit,
quod homo ſit mortalis, & intelligen-
tia immortalis; cuius rei determinatio
præſentis negocij non eſt: præterquam
quod vt dicebamus, ex ſuppoſitione fa-
cta à Porphyrio, nempè quod Ani-
mal rationale ſit genus ad hominem &
ad intelligentias concurrunt mortale
& immortale ad munus illud peragen-
dum: vnde ipſe dicebat, ſumus enim
rationales nos & Dij, ſed mortale ad- D
ditum nobis diſiungit nos ab illis: quæ
tamen ſuppoſitio, vt ſuo loco diximus,
falſa eſt: tùm quia nullum Animal ra-
tionale reperitur, niſi homo, qui eſt
Animalis ſpecies: tùm quia intelligen-
tiæ non ſunt Animalia, alioqui ſub-
ſtantiæ corporeę eſſent: neque etiam
propriè rationales ſunt,vnde Scotus,(ne
logicam facultatem excedamus) in q.
29. Vniuerſalium, benè inquit,quod ra-
tionale eſt æquiuocum nobis & intelli-
gentijs: ipſæ enim intelligũt per ſpecies
innatas,nos per acquiſitas; ipſæ nõ egẽt
ſenſibus ad ſcientias conquirendas, nos
autem eo indigemus, quia omnis no-
ſtra cognitio ortum habet à ſenſu, vt in
libro primo poſteriorum cap. primo di-
citur: ipſæ intelligunt complexa ſine di-
ſcurſu, nos verò cum diſcurſu,quia om-
ne noſtrum intelligere eſt cum conti-
nuo tempore,ſicut Ariſtotel.in lib.3.de
anima ſcribit.

4 At iterum quis quęret, vnde pro-
ueniat, quod hæ differentiæ, nempe ir-
rationale & immortale, ex eo quod di-
uerſorum generum ſunt diuiſiuę, com-
binari nequeant: Solutio ex prędictis
haberi poteſt; dummodo conſideretur,
quod illa differentia, quæ ſuperioris
generis eſt diuiſiua, nulla ex parte infe-
riori differentiæ adiuncta, genus infe-
rius conſtituere poteſt: exempli gratia
irrationalitas, quæ eſt Animalis diffe-
rentia diuiſiua, nullo modo poteſt eſ-
ſe inferioris generis, ſcilicet Animalis
rationalis differentia conſtitutiua: ac
propterea irrationalitas coniuncta, ſeu
cõbinata nullam ſpeciem erigere valet:
imò non ſolum Animal rationale non
conſtituit,ſed ei omnino aduerſatur, eo
quod ſimul cum rationali differentia ſi-
bi oppoſita,ipſum Animal diuidit,& ta-
men dictum eſt, quod differentię ſupe-
rioris diuiſiuę,ſunt inferioris conſtituti-
uę: At quę diximus, quod veritati ſint
conſona, exemplo in eadem arbore po-
ſito clareſcere quæunt: nam ibidem pro
vno generum aſſignatur Corpus, cuius
differentiæ diuiſiuæ ſunt animatum &
inanimatum: ſub corpore ponitur aliud
genus ſubalternum. ſ. Corpus animatũ,
cuius differentiæ diuiſiuę ſunt ſenſiti-
uum & inſenſitiuum: quam ob rem ad
imitationem Porphyrij aſſerere poſſu-
mus,quatuor eſſe Corporis differentias,
nempè animatum inanimatũ, ſenſitiuũ
inſenſitiuum: tamen hæ quatuor diffe-
rentię combinari nequeunt, ita vt di-
uerſas naturas conſtituant: quia ex illo
membro, inanimato, quod eſt corpo-
ris differentia diuiſiua, & ex illo alio
membro inſenſitiuo, quod eſt Ani-
mati corporis differentia diuiſiua alia;
quę-

quędam natura constitui non est possibile: ex eo quod ly inanimatum opponitur animato, cui in diuisione corporis contra distinguitur: & animatum est differentia constitutiua illius subalterni generis, corpus animatum, cuius tandem insensitiuum est diuisiua differētia: quare ex his contrarijs principijs, quorum vnum negationem alterius importat, aliquam speciem constitui; impossibile est; quod de irrationali & immortali diuersorum generum differentiis diuisiuis affirmatur: his dictis, ad argumentū alterius opinionis respondetur, verum esse, quod rationale & irrationale opponuntur, & ambo propriam speciem constituunt: sed rationale cum mortali adiunctum, nullam propriam oppositionē habet ad irrationale & immortale: quia vt dictum est, non sunt vnius generis differentiæ diuisiuæ, sed diuersorum generum: etenim rationale & irrationale diuidunt Animal: mortale verò & immortale Animalis rationalis sunt differentiæ diuisiuæ: qua propter quarta combinatio ad aliam naturam construendam, ex ipsis confici non potest: & his finis imponatur.

Disputatio quarta de differentia.

An Differentię priuatiuæ diuidāt propriè genus, & speciem sub eodem genere verè constituant.

Dilucidatio I.

Differentiæ priuatiuę nec genus propriè diuidunt, nec speciem verè constituunt, vt Boetius existimat. necessitate tamē loco positiuarum assumuntur.

A NON satis est ad completam doctrinam Differētiarum à Porphyrio traditam, dilucidasse non dari quartam cōbinationem differentiarum diuisiuarum generis Animalis, scilicet irrationalitatis & immortalitatis simul; quæ sub eodem Animali, aliquam speciem constituerent: sed superest explanare, an Differentię priuatiuę, videlicet irrationale, inanimatum, insensitiuum, immortale, & huiusmodi, quas Porphy-B rius in litera assignat, possint ex sua natura propriam speciem constituere: & ad partem affirmatiuam sic arguitur.

1 Primò authoritate Porphyrij asserentis in litera, quod Differentiæ diuisiuæ generis fiunt complectiuæ & constitutiuę specierum: sed inter differentias diuisiuas generis connumerat prędictas differentias priuatiuas, ergo constituunt speciem.

2 Confirmatur authoritate Aristotelis asserentis in libro 6. topic. c. 3. quod-C libet genus diuidi per duas oppositas differentias, sed rationale & irrationale: animatum & inanimatum opponuntur, ergo diuidunt genus: tunc subditur, Differentiam diuidere genus, non est aliud, quàm generis naturam, ad aliquam speciem contrahere, & determinare; ergo differentiæ priuatiuæ constituunt, &c.

Ad propositam disputationem, duos modos respondendi inuenio: Etenim Boetius, in hoc fortassis, Platonis sententiam sequutus, arbitratur Differen-D tias priuatiuas, propriam speciem constituere: inquit enim maximum discrimen inter meram negationem & priuationem reperiri: nam mera negatio, vt non esse rationale, ita remouet aliquid, quod nihil relinquit, ac per consequens nullam perfectionem designat: sed priuatio, & si priuet aliquid, relinquit tamen subiectum, imo aliquam perfectionem importat, vnde irrationale, aliquā perfectionem Equi importat, ac per cōsequens dicere quod Differentia priuatiua constituat, nullum absurdum suboritur: hic est primus modus dicendi:

Con-

Confirmatur, omnis forma est in suo genere constitutiua: sed priuatio est quædam forma; ergo priuatio in suo genere constituit: quod si sit in genere substantię, tunc substantialiter; & si in genere accidentis, tunc accidentaliter constituet: minor est Aristotel. in lib. 2. phys. text. 15. vbi dicit, etenim priuatio forma quodammodo est: & idem asserit in libro 5. metaph. text. 17.

Ex altera parte Auicenna, & Albertus cognomento magnus: quibus deinde subscribunt Paulus Venetus in not. super hanc literam: Sotus q. vnica ad quartum, Toletus in dubitationibus motis in hoc capite, dubitatione quinta; & ferè huius literæ omnes interpetres, dicunt quod huiusmodi differentię priuatiuę, nullo modo propriam speciem constituunt; quę positio his medijs con firmari potest.

1 Primo authoritate Arist. in lib. 1. de partibus Animalium cap. 3. vbi habet hęc verba apertum iam est, impossibile esse vt priuatio sit differentia.

2 Illud quod non est natura, neque forma, sed naturæ & formæ mera absentia, non potest aliquam speciem constituere: sed differentię priuatiuę, non sunt natura, neque forma sed formę & naturę mera absentia, ergo non constituunt aliquam speciem: maior propositio nulla probatione eget, cum ex secundo libro physicorum sit notum per formam, vnumquodque in esse constitui: minor elicitur ex Themistio in lib. 1. phys. super textum 69.

3 Pręterea ad eandem conclusionem sic arguitur: Quando differentia constituit speciem tunc addit generi nouũ gradum perfectionis: sed differentiæ priuatiuæ nullum gradũ perfectionis addunt ipsi generi, ergo speciem non constituunt: maior propositio ex eo fit manifesta quod Animal abstrahit à rationalitate, & irrationalitate, sed rationalitas adueniens Animali constituit speciem hominis, facitque ipsum Animal rationale: minor, quia a Boetio negatur, vt ex sua positione liquidò patet, sic

A probatur; gradus cuiuscunque perfectionis dicit aliquid positiuum, alioquin gradum non constitueret: sed differẽtia priuatiua non dicit aliquid positiuum, alioquin non est priuatiua differentia, igitur, &c. hinc Aristotel. in libro primo physic. text. 75. & 79. dixit priuationem non esse ens per se: concludatur ergo Differentias priuatiuas, non esse constitutiuas.

Sed dicet aliquis: si differentię priuatiuæ non diuidunt verè genus, neque

B verè species constituunt, cur igitur Porphyrius vtitur illis, ad diuisiones generum assignandas, & ad constitutiones specierum conficiendas? inquit enim in litera quod animatum & inanimatum diuidunt corpus: sensitiuum & insensitiuum diuidunt corpus animatum; rationale & irrationale diuidunt Animal: & subdit quod irrationale & mortale cõstituunt Animalia irrationalia; animatũ & insensitiuum perfecerunt plantam: clarum est igitur quod hę differentię di

C uidunt genus, & speciem constituunt.

Ad hoc dubium respondet Aristoteles, in libro primo de partibus animalium, in initio tertij capitis, vbi habet hæc verba, priuatione item diuidere, ita necesse est: & quidem id faciunt, qui seorsum in duo secant: in quibus verbis ostendit, quod necessitas nos cogit vti differentijs priuatiuis: cuius necessitatis duplex ratio colligitur ex dictis eiusdẽ phylosophi in lib. 6. topic. vna quia vltimæ rerum differentię sunt ignotæ, ideo

D loco positiuarum vtimur priuatiuis, ac pręcipuè cũ quodlibet genus per duas oppositas differentias diuidatur: altera, quia cum sub vno genere plures species contineantur, quarum numerus nobis incognitus est; ideo in ipsarum enunciatione, vel nimis prolixus sermo fieret, vel tota generis continentia hauriri non posset: ideo quibusdam priuatiuis, & communibus differentijs vtimur; v.g. irrationale respectu omnium Animalium ratione carentium: inanimatum & insensitiuum respectu omnium, quæ vel anima, vel sensu carent.

Hinc

Hinc duo notanda occurrunt; vnum ex Soto, quod Differentia priuatiua, duobus modis ponitur: nam aliquando vna priuatiua, ponitur loco vnius positiuę, quæ tantam amplitudinem, quantā illa priuatiua habet: exēpli gratia, substantia diuiditur per corporeum & incorporeum, tunc ly incorporeum ponitur loco spiritualis, vel intellectualis, quæ constituit per se vnum genus contra Corpus distinctum: interdum verò vna differentia priuatiua ponitur loco plurium; v.g. irrationale non ponitur loco vnius differentię positiuæ, quę constituat genus commune omnium irrationalium: sed loco plurimarum differentiarum; & hoc aut quia vltimæ Differentię ignorantur; aut quia nimis prolixus sermo fieret, vt dictum est. Secundum notandum est ex Paulo Veneto: qui inquit quod Porphyrius volēs ostēdere differentias priuatiuas non esse differentias per se, neque per se diuidere genus, neque speciem constituere, sed loco positiuarum ignotarum apponi, ideo vtitur hoc modo dicendi; Differentię animati & inanimati, sensitiui & insensitiui, differentię rationalis & irrationalis, diuidunt genus, & fiunt specierum completiuę & constitutiuæ: & hoc ad denotandum, quod si hæ non sunt differentię per se, tamen illæ quę per has importantur, & loco quarum istæ priuatiuæ ponuntur, sunt differentię per se: ex quo fit manifestum, quod cū Porphyrius in actu diuidendi vel constituēdi, quem huiusmodi differentiæ habent, non ponat eas in recto, sed vt plurimum in obliquo: quod Differentię saltē priuatiuæ, loco positiuarum assignantur.

1 Sed duo dubia scitu digna in hoc loco sub oriuntur; quorum primum est hoc: mortale est differentia positiua, & generis diuisiua apud Porphyrium, & secundum eundem est etiam speciei cōstitutiua: inquit enim sumus rationales nos & dij, sed mortale additum nobis, separat nos ab illis: Contra hoc dictum arguitur: tùm primo quia differentia sumitur á forma, sed mortale inest à materia, per quam res potest esse & non esse, vt longo processu probatur in libro primo phys. & in lib. septimo metaphys. tum secundo quia differentia est prior specie, inquit Arist. in 6. topic. sed mortale est posterius homine secundum naturam, quia prius natura est homo, quā sit aptus ad dissolutionem: tum tertio, quia Aristoteles in sexto topicorū vult quod mortale sit hominis passio, & non differentia: ergo non constituit.

2 Alterum dubium est, an Animal sit immediatum & proximum genus ad hominem, & ad omnia Animalia irrationalia: aut sub Animali sint plura genera subalterna: nam Aristotel. in lib. 7. metaphys. tex. 28. inquit, quod enim est commune Equo & Asino, non est nominatum propinquissimum genus: ex quo sumitur vulgata propositio, multa esse genera innominata.

Ad primum solutio satis patet ex dictis in pręcedenti questione, quod mortale & immortale secundum veritatem non sunt differentiæ, neque diuisiuæ, neque constitutiuę nisi secundum suppositionem à Porphyrio factam, nempè quod Animal rationale sit genus ad hominum, & ad intelligentias; quæ suppositio est falsa, siue sit ad mentem Platonis, siue ad mentem vulgi concipientis intelligentias ad instar substantiarū corporearum, inquit Scotus q. 29. Vniuersalium: Ad argumentum licet Albertus distinguat, quod mortale duobus modis sumitur, vno modo vt dicit actū in materia connotantem potentiam ad moriendum, & sic est differentia per se, diuidens genus, & constituens speciem, quia sumitur à forma: alio modo vt dicit priuationem potentię ad vitā æternam, & sic non est differentia per se, nec à forma sumitur, sed à materia: tamen dicatur quod mortale secundum veritatem non est differentia nec diuisiua, nec constitutiua: sed hominis vt Aristoteles in libro sexto topic. scribit, materiam consequens.

Ad secundum duplex modus dicendi habetur: sunt qui velint Animal esse imme-

immediatum, ac proximum genus ad omnia Animalia, tam ratione prædicta, quàm rationis expertia: Alijs autem ob authoritatem Aristotelis placet, quod Animal non sit omnium Animalium proximum genus: licet enim Animal sit proximum genus ad hominem, & ad multas alias species Animalium, nō tamen ad omnes: nec est dicendum quod sit vnum commune genus omnium irrationalium; sed sub Animali sunt plura genera subalterna; vnde sicut Equo & Asino est vnum proximum genus, licet sit innominatum: ita Canis forsan est vnum genus commune ad plures species Canum: & Ceruus forsan est commune genus ad plures species cæruorum: & multa alia genera subalterna sunt, innominata tamen: Scotus autem in calce quæstionis vigesima nona: videtur concedere quod Animal irrationale (dato quod irrationale sit vera differentia) sit genus inter medium: & ita si rationale cum suo genere constituit speciem, ita irrationale cum genere cōstituit speciē, quāuis ita sit species subalterna; & illa specialissima: sed quia iam dictum est, quod differentiæ priuatiuæ non sunt differentiæ per se, vnde nec verè diuidunt, nec verè constituunt, imo & Scotus sub conditione loquitur; ideo concedatur quod sub Animali plura genera subalterna constituantur, quæ sunt innominata.

Ad argumenta principalia solutio patet ex dictis: procedunt ex suppositione facta à Porphyrio quo ad quasdam differentias: vel dicatur quod ponuntur priuatiuæ differentię loco positiuarum, rationibus supra dictis: quare quemadmodum nec verè diuidunt, ita nec verè constituunt.

Ad authoritatē Boetij, dicitur quod Boetius fuit illius sententiæ, cuius quidem sententia, non est communiter recepta: Ad authoritatem Aristotelis qui in libro secundo physicorum vocat priuationem formam: dicitur quod Aristoteles seipsum exponit dū dicit quod priuatio est quodammodo forma, id est

A secundum quamdam similitudinē, quia denominat subiectum, cui inest, priuatum: & hæc quę dicta sunt, sufficiant ad prędictorum intelligentiam.

Dilucidatio 6.

Text. Quas etiam determinantes dicunt: Differentia est,
B qua species abundat à genere: homo enim plus habet quàm Animal rationale & mortale: Animal enim nihil horum est.

PRæsens Capitulum, quemadmodum in sui initio insinuauimus, in duas partes principales secabatur; in quarum prima Author plures diuisiones Differentiæ assignabat: qua completa, ac singulis, quo ad fieri potuit; à nobis dilucidatis:
C nunc secundam partem principalē eiusdem capitis explanandam aggreditur: in qua plures differentię definitiones ponit: & vt in litera apparet, sunt numero quinque: nec mirum, si differentia, cum quid vnum sit, pluribus definitionibus definiatur: etenim quia varias considerationes sortitur, ideo plures definitiones habet: quod si ad rem deuenerimus, cum de differentia per se, & specifica sermo fiat, inuenerimus eam quinque proprios actus sortiri, nempe spe-
D ciem constituere, pluribus communicari, genus diuidere, singula ab inuicem distinguere, generis naturam ad esse conducere: hinc iuxta singulos actus, singulæ definitiones à Porphyrio constituuntur. igitur quantum ad primam illius definitionem, iuxta primum illius actum, qui est, speciem constituere, ac per consequens speciei actualiter inesse, quia omne principium formale actu constituens, est actu in re ab ipso cōstituta: ita Porphyrius eam explanat: Differentia est qua species abūdat à genere: & est ac si dicat, differentia est

quædam forma ad inſtar qualitatis ſe habens, quam ſpecies in actu continet, ac propterea ſpecies plus continet, quã genus contineat: cum enim Animal ſit genus, & homo ſit ſpecies: tunc homo habet actu differẽtias, nempe rationale & mortale, ſuæ humanæ naturæ conſtitutiuas; quas tamen differentias genus non habet: & hoc eſt ſpeciem abundare à genere, habere aliquid, quo genus caret: Circa quæ verba Caietanus animaduertit, quod illa particula, qua, non ſolum deſignat illud plus, quod ſpecies habet, & quo genus caret, eſſe ipſammet differentiam: ſed etiam denotat, ipſam eſſe cauſam, quare ſpecies plus habeat, quam genus: vnde ſenſus eſt, Differentia eſt, qua & vt cauſa abundantię, & vt re habita, ſpecies abundat à genere: quia ſpecies includit actu differentiam, quę à natura generis, tanquam extranea diſtat.

Ad huius definitionis pleniorem intellectum, ſciendum quod ſpecies, non ſolum actu, ſed intellectu quoque differentiam in ſe includit: ratio eſt, quia vt Ariſtoteles in lib. 6. topic. in explicatione loci 31. & Porphyrius, infra, dicũt, vnaquæque ſpecies ex proprio genere, & ex propria differentia, tanquã ex principijs eſſentialibus conficitur: ſed omne compoſitum includit actu ſua componentia, ergo ſpecies includit actu ſuam differentiam: imo ſi homo ſecundum ſuam naturam aliquid eſt, illud eſt rationale mortale: Vlterius ſpecies non ſolum actu, ſed etiam intellectu differentiam includit, cum homo ne vtiquam intelligi poſſit, quin rationale mortale intelligatur: ratio ex eo elicitur, quia eadem ſunt principia eſſendi & intelligendi, vt Ariſtotel. in libro ſecundo metaphyſ. dicit, ſed differentia eſt principium eſſendi ſpeciei, ergo & intelligendi. Genus autem neque actu, neque intellectu differentias includit; non actu quia oppoſita eidem ineſſent; non intellectu quia Animal nequiret intelligi abſque rationalitate, vel irrationalitate: differentia igitur eſt, qua

A ſpecies abundat à genere, ad ſenſum iam explanatum.

Tex. Nam vnde ſpecies haberent differentias? neque verò omnes oppoſitas habet, quoniã idem ſimul habebit oppoſita.

DVbitationem in hoc textu ex allata definitione differentię Porphyrius mouet: quę ex duabus per ſe notis pro- B poſitionibus, inquiũt Ammonius & Boetius principium habet: prima propoſitio eſt, Contraria eidẽ ſubiecto ſimul ineſſe nequeunt, & elicitur ex Ariſtot in lib. 5. met. text. 16. ſecunda eſt hæc, ex nihilo nihil fit, & eſt omnium Phyloſophorum commune placitum, ſicut Ariſtot. in libro primo de phyſico auditu textatur, quoniam omne quod fit, habet aliquid vnde effici, ac formari poſſit: ex quibus propoſitionibus ſic formatur ratio: ſi ſpecies includit actu differentiã, qua C genus caret, iurè quæritur vnde & à quò ſpecies recipiat differentias: ſi dicatur quod recipit eas à genere, Contra, ergo ſequitur quod vni & eidem inſint oppoſita ſimul & actu, quod eſt contra primam propoſitionem: conſequentia hoc modo probatur, differentiæ diuiſiuæ generis, verbigratia rationale, & irrationale ſunt oppoſitæ, cum ex oppoſito genus diuidant; ergo ſi ſpecies per differentiam conſtituta, recipiat ipſam à genere, tunc ipſę differentiæ oppoſitæ D erunt ſimul in ipſo genere, cum nulla ratio poſſit aſſignari, ob quam vna magis quàm altera inſit: ſi vero dicatur quod ſpecies à nullo ipſam differentiam recipiat, ergo ſequitur quod ex nihilo aliquid fiat, quod eſt contra ſecundam propoſitionem, quia vt dictum eſt, omne quod fit, habet aliquid vnde effici, atque formari poſſit.

Text. Sed quemadmodũ probant phyloſophi, poteſtate quidem habet omnes differentias

ſub

sub se, actu verò nullam, ac sic, A neque ex ijs quæ non sunt, aliquid fit, neque opposita circa idem erunt.

AD propositam dubitationem, Author adducit solutionem, simulque insinuat, quod species recipiat differentias à genere: verumtamen ad faciliorem intellectum distinguit, quod genus continere in se differentias, duobus modis intelligi potest; vno modo actu, & B hoc est impossibile, quoniam tũc opposita eidem simul inessent, quod est contra primam propositionem: non enim, inquit Boetius, sicut in corpore euenit, quod vna pars sit alba, & alia nigra, ita fieri in genere potest: genus n. per se cõsideratum partes non habet, nisi ad suas species referatur: nam quidquid genus habet, non partibus, sed tota sua magnitudine retinebit: alio modo potestate, & sic genus continet differentias: ex qua quidem distinctione, vtrunque absurdũ C in dubitatione diluitur: tunc enim Differentiæ ex nihilo non fient, quoniam ex potestate generis educuntur: neq; opposita eidem inerunt simul, quoniã non actu, sed potentia ei insunt: & in hũc modum Porphyrius propositam dubitationem soluit. ad cuius solutionis intelligentiam, sciendum quod genus ex se sonat quandam naturam vniuersalem, & pluribus communem, quod ex illius assignata definitione notum fit, in qua dicitur Genus de pluribus specie differẽtibus D prædicari: verumtamen hæc generica natura Vniuersalis, de se est imperfecta & indeterminata, per aduenientem tamen differentiam determinabilis, & ad suas species contrahibilis est: & huiusmodi aptitudo, qua genus ad suas species contrahitur, consueuit potestas generis appellari: igitur quia ipsum genus de sui natura ab omni specifica differentia abstrahit, & non magis per vnã, quam per aliam determinatur, sed æquè pariter ad omnes se habet; hinc est quod nullã differentiam actu habet, ac propterea Animal non magis rationale quàm irrationale dici queit: species autem quia natura determinata est, & per differentiam inesse completa, hinc euenit quod dicitur à genere abundare. i. plus continere, ipsam nẽpe differẽtiam, qua genus caret, cum actu & intellectu eam includat: quod si quis obijciat, si species abundat à genere, ergo est in plus quàm genus, quod est falsum, dicente Porphyrio quod genus plura cõplectitur, quàm species: respondet Scotus in q. 25. vniuersalium, quod esse in plus contingit duobus modis, vel secundum continentiam actualem, vel potentialé, in primo modo species est in plus, in secũdo modo genus: & quia cõtinere actu vel potentia, importat aliquod genus causę, ideo determinare in quo genere causę genus contineat differentias, ad futuram lectionem differatur.

Disputatio quinta de differentia.

An Genus contineat Differentias in genere causæ materialis, vel formalis.

Dilucidatio I.

Genus continet Differentias, in genere causæ materialis.

QVONIAM ab Aristot. tum in libro secundo de physico auditu textu 28 tum in libro quinto metaphys. textu secundo quatuor genera causarum assignantur, videlicet, materialis, formalis, finalis, & efficientis: & cõtinere, aliquod genus causæ designat, vt passim fertur: ideo cum in præcedenti lectione sit determinatum, genus continere, & si non actu, potestate tamen differentias, ideo vidẽdum superest in quo

nam genere causæ eas contineat: non enim facile est hoc dubium determinare, etenim variæ sunt de hac re expositorum sententię: Albertus cognomento magnus, sequens opinionem Auerrois in lib. 5. metaphys. arbitratur quod genus contineat differentias in genere causæ formalis, confusè tamen, & eo modo quo confusum continet indeterminatum: sed distinguit, quod duplex est forma, vna quæ forma partis dicitur, & hoc modo genus non est forma, quoniã tunc non prædicaretur de specie, quemadmodum neque forma de materia siue de composito non predicatur: altera est forma totius, quę adhuc duplex est, vna existens in actu, & huiusmodi non est genus, alioquin in quale & non in quid predicaretur: altera est in potentia, & sic genus est forma totius: & hoc modo dicitur quod genus continet potestate differentias, quia est quædam forma totius in potentia, quæ confusè & indistinctè continet omnia, quę sub eo inferiora continentur.

Scotus in questione vigesima quinta Vniuersalium, & Burleus super hunc textum, distinguunt de duplici potentia, videlicet, vna est potentia ordinis, qualis est illa, qua materia ordinatur ad formas recipiendas: altera est potentia indeterminationis, secundum quam genus neque hanc, neque illam differentiam includit: & hac potentia indeterminationis inquiunt quod genus continet differentias: sed hæc distinctio non exponit, in quo genere causæ, genus contineat differentias, quæ sunt illius diuisiuę, & specierum constitutiuæ nam de his nunc est sermo: quæ sit Scoti sententia infra dicetur: quod autem Burleus per potentiam indeterminationis, non intelligat causam materialem ex ipsius verbis constat, dum ibidem dicit quod genus non habet differentiam in potentia, eo modo quo materia est in potentia ad formam, quam non habet, &c.

Ammonius, Caietanus super hunc textum: Sotus in quest. vnica huius

A capitis, in responsione ad quintum; Toletus in expositione literæ, Gratiadeus, & ferè omnes recentiores asserunt genus continere differentias in genere causæ materialis: imo nisi mea me fallat intelligentia, hęc est vera Scoti opinio, qui in prefata questione ad secũdum argumẽtum principale habet hęc verba, quod sicut compositum naturale habet formam in potentia à materia, inquantum ipsa per se est in potentia ad formam, & ideo quando materia est,

B etiam est forma compositi in potentia, in actu verò compositum habet formã ab agente, quod actu inducit formam in materiam: ita species habet differentiam in potentia a genere, quod est materię proportionale: inquiunt igitur hi, quod genus continet differentias in genere causę materialis: Sotus quodam artificiali exemplo illud sic explanat: sicut scannum, inquit, non ex quacũque materia fit, quia illius materia non est butirum, sed lignum: ita rationale non

C informat quodcunque genus immediatè, sed Animal: & hoc est quod antiqui dicebant differentiam educi de potentia generis, quemadmodum forma compositi de potẽtia materiæ educitur: vel vt alio exemplo Toletus declarat, Differentiæ sunt in genere in potentia, quia illo fiunt, sicut ex Cera extrahitur forma alicuius imaginis: nec inconuenit quod multæ differentię sint in genere in potentia, sicut multę figurę ceræ sunt ibi in potentia.

D Igitur cum his expositoribus concludamus etiam nos, quod genus ad duo comparari potest, ad species videlicet, & ad differẽtias: si ad species comparetur, tũc cõtinet eas in genere causæ formalis, confusè tamẽ, & indistinctè, eo quod species in suo genere, tãquã in quodã toto cõfusè & indistinctè cõtinẽtur: ex quo patet error quorũdã asserentium genus significare suas species, non sub ratione generis, sed sub ratione specierum, idest quatenus species sunt; quod dictum si esset verũ tunc genus contineret species actu & distinctè; si verò ad differentias com-

comparetur, tunc continet eas in genere causæ materialis, secundum quamdam proportionem, quę in quatuor cōsistit: primo sicut materia ex sua natura, est imperfecta, ac per formam in composito perficitur, ita genus de se est imperfectum ac per differentiam in specie perficitur: secundo sicut materia de se non magis ad hanc, quàm ad illam formam determinatur, sed indifferenter ad omnes se habet, ita genus non magis ad hanc, quàm ad illam differentiam; sed indifferenter ad omnes se habet: Tertio sicut materia est in potentia ad formā, priusquam per actionem agentis ad illam determinetur, sic genus priusquam per actionem intellectus, vel rationis ipsum diuidentis, ad differentiam determinetur, est ad ipsam in potentia: Quarto quemadmodum ad hoc quod formatum dicatur habere formam ab aliquo sicut à materia, satis est, quod ipsum sit de se ad illam in potentia: ita ad hoc quod species dicatur habere differentias à genere, sicut à materia, satis est quod genus non actu, sed potestate eas contineat: quod autem genus contineat differentias in genere causę materialis, satis superque manifestari potest Authoritate commentatoris in libro secundo de Anima comment. octauo, vbi inquit genus demonstrat materiam, & differentia formam: sed vt rectè Alexander in libro secundo naturalium questionum demonstratiuè scribit; non est intelligendum genus esse materiam; quod etiam sentit Auerr. in lib. 1. met. com. 17. sed intelligitur secundum quādam proportionem; vnde etiam Porphyrius infra dicet genus esse proportionale materię, & differentia formæ: ita pariter cum dicitur genus continere differentias in genere causę materialis, nō est intelligendum quod genus sit propriè causa materialis, sed quod habet proportionem ad causam materialem, sicut infra apertius elucidabimus.

Potest etiam dici cum Paulo Veneto, differentias contineri in genere secundum quatuor genera causarum: nā

A genus quatenus per differentiam determinatur habet rationem materiæ: quatenus de specie predicatur habet rationem formæ: & quia forma & finis coincidunt, sic habet rationem finis, & præcipuè in ascensu, in quo motus ad genus terminatur: habet rationem efficientis, quatenus per descensum ad inferiora patri assimilatur: ipse tamen intellectus & ratio est causa efficiens differentiæ, & qui genus cum differentia in compositione speciei coniungit:
B sed hęc ad huius doctrinę complementum sint dicta: & de hac lectione satis.

Disputatio sexta de differentia.

C *An Genus habeat differentias, potentia, vel actu.*

Dilucidatio I.

Argumenta ad partem affirmatiuam, & non nulla notanda proponuntur.

D DISPVTATIO, nec quidem minimi ponderis, nec facilis intelligentię, ad dilucidandum se se offert, nempe de continentia generis respectu differentiarum: Etenim dum Author inquireret, quo nam pacto species abundaret differētia à genere, & à quo, aut vnde species reciperet differentias, respondit à genere; quod genus & si non actu, potestate tamen eas habet: ob quā allatam responsionem, quæritur, an genus actu vel potestate differentias habeat: & quod actu eas contineat, Contra Porphyrium sic arguitur.

1 Primò authoritatè Aristotel. in libro 4. cœli in text. 35. vbi inquit, genus quodlibet habet differentias oppositas secundum perfectum & imperfectum: igitur &c.

2 Illud quod est de ratione cõstitutiua alicuius, in eo actu reperitur: sed aliquæ differentiæ sunt constitutiuę generis, ergo hæ in eo, actu sunt: maior propositio nulla probatione eget, cum sit notum, quod nullum constitutum, sine constituentibus principijs intelligi non possit: minor habetur a Porphyrio in hoc capite, in vltima diuisione, vbi inquit, quod differentiarum per se, quædã constituunt genus; etenim animatum sensitiuum, differentiæ sunt animalis substantię, constitutiuæ.

3 Omne quod actu continet aliquod suum inferius, cõtinet etiam actu quidquid est, de ratione illius inferioris; sed genus continet actu speciem, in cuius natura, differentia actu & intellectu includitur, ergo genus cõtinet actu etiam differentiam.

4 Illud quod verè predicatur de aliquo, cum hoc verbo est, inest ei actu: sed differentia verè preditatur de genere cum hoc verbo est, ergo actu ei inest: minor probatur, nam verissimum est dicere, Animal est rationale: maior ex eo fit nota, quod illud verbum est, actualem vnionem extremorum designat.

5 Natura Animalis non reperitur realiter, nisi actu contracta ad esse hominis vel bruti, sed Animal in esse hominis continet actu rationalitatem, & in esse bruti, irrationalitatem, ergo genus continet actu differentias.

Quod si dicatur tunc non esse idem Animal, ad hominem, & ad Equum contractum: Contra Definitio Animalis in homine & Equo, est vna & eadem, imo Animal de illis vniuocè predicatur, ergo Animal in eis, est vnum & idem.

6 Nulla res potest dare aliquid alicui veriori modo, quo ipsum illud habet, sed per te Genus habet differentias

A in potentia, ergo dat eas speciebus in potentia tantùm, & per consequens species habet differentias in potentia, & sic non abundat à genere, vt dicebatur.

7 Omnis potentia est reducibilis ad actum, sicut in lib. 9. metaphys. scribitur: ergo si genus habet oppositas differentias in potentia, ergo aliquando ad actũ reducetur, vt scilicet eas actu habeat; alioquin frustra esset illa potentia.

8 Quando aliqua forma determinat materiam, atque eam ad determinatũ

B compositum contrahit, tunc ipsa forma necessario inest ipsi materiæ: sed differentia determinat genus, atque ipsum ad determinatam speciem contrahit, igitur differentia actu inest generi: minor est Porphyrij dicentis infra, quod Differentia conducit genus ad esse.

9 Si Differentiæ non sunt actu in genere, hoc pro tanto est; quia tunc opposita eidem actualiter inessent; quod est impossibile, vt dicitur in post pręd. & in lib. 5. metaphys. sed contra hanc ratio-

C nem arguitur, & duo probantur, primo quod differentiæ diuisiuæ generis non opponantur: secundo esto quod opponantur, hoc tamen non prohibet, quin actu insint.

Primum sic probatur, accipiantur hę differentię diuisiuæ generis, nempe rationale irrationale, mortale & immortale, & quod hę non opponatur, sic probatur.

Ea sunt verè opposita, quę se se vicissim interimunt, mutuoque se expellunt;

D sed hæ iam prefatę differentię, non solũ se non interimunt, imo se se conseruãt, ergo non opponuntur: minor sic probatur: nam à rationali & immortali, illud quod est mortale & irrationale conseruatur: Deus enim cum rationalis, immortalisque sit, mortalia omnia custodit: homo preterea qui rationalis est, ratione carentium curator est: sic etiã immortales Angeli, mortales homines custodiunt; ergo non se perimunt.

10 Secundum sic probatur, illa contraria nequeunt esse simul in subiecto, quorum subiectũ est corporeum; idem

enim Corpus non potest esse simul calidum & frigidum, album & nigrum: sed subiectum differentiarum est incorporeum, nimirũ ipsum genus, ergo ei actu inesse possunt.

11 Si genus habet differentias in potentia, & species in actu, ergo species est perfectior genere: sed hoc est falsum, ergo &c. probatur primo consequentia, nam illud quod est in actu, est perfectius eo, quod est in potentia, quia actus ipsi esse, & potentia ipsi non esse assimilatur: falsitas sic manifestatur, nulla pars est perfectior suo toto, sed species est pars, & genus totum, sicut in fine precedentis capitis dictum est, ergo, &c.

Ad solutionem horum argumentorum, & omnium eorum, quæ in hac questione, dicenda sunt, aliqua notanda occurrũt, ex quibus facilis erit totius questionis intellectus.

Sit igitur primum notandum: Genus est duplex, vnum quod genus generalissimum dicitur, & est illud, quod cum sit genus, nunquam potest esse species, & cum sit genus, non habet supra se aliud superueniens genus: exempli gratia in arbore Porphyriana ponitur substantia tanquam genus generalissimum, vt ibidem explanatum est: Aliud est, quod genus subalternum nuncupatur, & est illud quod cum sit genus, potest esse etiam species, ad aliud tamẽ, & ad aliud sumptum, id est secundum aliam, & aliã considerationem: inter hæc duo genera hoc discrimen reperitur, quod genus generalissimum caret protinus differẽtijs constitutiuis: ratio est, quia vt ait Arist. in lib. 6. topic. in explicatione loci 31. dicit, differentia specifica, siue constitutiua, non constituit, nisi generi coniuncta: igitur si genus generalissimum per differentias constitutiuas constitueretur, tunc necessario haberet supra se aliud genus, ex quo simul cum differentia constitueretur, & sic non esset genus generalissimum: hinc Auerroes in lib. 8. metaphys. comm. 16. loquens de his generalissimis dixit, quòd genera altissima sunt simplicia, quia non habent genera:

A & Aristot. in lib. 5. metaphys. text. 4. inquit cuicunque enim differentia inest, genus quoque sequitur illud, cui verò genus, non vtique differentia: & vt ibi Auerroes exponit, intelligitur de generibus generalissimis, quæ non habẽt differentias, nempe constitutiuas: tamen ipsum genus generalissimum habet differentias diuisiuas, quibus in suas species diuiditur, sicut in eadem arbore manifestum est: sed genus subalternum duplices differentias habet, constituti-
B uas videlicet, & diuisiuas: exempli gratia Animal, cum sit Genus subalternũ, per differentias animatum, & sensitiuũ constituitur; est enim Animal substantia animata sensitiua, inquit Porphyrius: habet etiam differentias diuisiuas; diuiditur namque per rationale, & irrationale, vt iam dictum est.

Sit secundum notandum: Genus subalternum habere actu differentias constitutiuas, dupliciter intelligi potest: primo modo quatenus genus est; & hoc
C est falsum, quoniam si genus subalternum quatenus genus, differentias constitutiuas haberet; non est, cur genus generalissimum, quatenus genus differentijs constitutiuis careat, cum non maior ratio sit de vno, quàm de alio: secundo consideratur quatenus species, & hoc modo sibi conuenit habere constitutiuas differentias: etenim cum differentia non constituat, nisi quatenus est generi adiuncta, & genus subalternum habet supra se aliud genus: ideo quemadmo-
D dum non quatenus genus, sed quatenus species habet supra se genus; ita quatenus species constitutiuas differentias habet: hinc Burleus dum propter secundũ argumentũ affirmat genus habere actu differentias, ex eo quod constitutiuas habet; si intelligat de genere quatenus genus, decipitur: si autẽ de genere subalterno, iam dictum est, quod non vt genus, sed vt species differẽtias habet: quare extra Porphyrij intentionem, ne nimis dicatur extra propositum, Burleus imaginatus est, genus habere actu differentias.

Sit tertium notandũ Genus vt genus, sicut sepe dictum est, naturam quamdã illimitatã & indeterminatã dicit, respectu suarum specierum, ita vt ex se, non magis ad hominem, quã ad Equũ, neque magis per differentiam rationale, quam per irrationale, limitatur, & determinatur: Verũtamen per ipsas differentias essentialiter cõtrahitur & determinatur: non quod ipsę differentię sint de essentia & de quidditate generis, sed quia in diuersas species sub eo contentas ipsum specificant: genus n. per additionẽ vnius differentię ad vnam speciẽ, & per additionẽ alterius, ad aliã speciem cõtrahitur, de quibus essentialiter predicatur: sed si genus haberet actu differentias sui ipsius diuisiuas, tũc multa absurda subotirentur primum opposita eidem inessent, quoniam vt in lib. 3. met in tex. 43. Aristot. dicit, si genus participaret actu differentias, tunc contrarijs participaret: secundũ Differentiæ essent de quidditatiua ratione generis, contra Aristot. in lib. 2. metaphys. & tamen differentia predicatur per se, de eo, cuius est differentia: tertium genus vt genus esset species, cuius solius proprium est, actu & intellectu constitutiuas differentias in se includere: & tamen de genere, vt genus, sit nunc quęsitum.

Sit quartum notandum aliquid esse in genere tribus modis contingit: primo per prędicationem, & hoc modo illud continetur in genere per predicationẽ, de quo genus essentialiter predicatur, & sic species & indiuidua sunt in genere, quia genus predicatur de illis essentialiter, licet de specie immediatè, & mediatè de indiuiduo dicatur: secundo aliquid est in genere per reductionem, quando scilicet est illius generis ptincipium, vel via ad rem eiusdem generis: sic materia & forma sunt in genere substantiæ, tanquam illius generis principia: punctus & vnitas in genere quantitatis, veluti illius principia: motus verò in genere quantitatis, qualitatis, & vbi, sicut Aristoteles in lib. 5. physicorum scribit, quia est via perue-

A niendi ad aliquam speciem horum generum: iuxta quem sensum phylosophus in libro tertio de physico auditu dicebat motum esse eiusdem generis cum termino ad quem: tertio aliquid est in genere per determinationem, eo quod est illius generis determinatio, & hoc modo dicitur differentiam esse in genere, quia illius indeterminatam naturam, ad aliquam speciem contrahit: etenim sicut ex potentia materiæ forma emanat, atque in ea esse dicitur,

B quia eam determinat, ita differentia dicitur esse in genere, quia ex illius potentia emanat, ipsumque ad speciem contrahendo determinat: sic Paulus Venetus super hunc textum, ad secundum argumentum.

Sit quintum notandum ex Caietano: opposita inesse alicui actu, ac simul, duobus modis intelligi potest, vno modo per modum coniunctionis, quod contingit quando opposita alicui coniunguntur, sicut accidentia subiecto, vel

C forma materiæ, vel quo vis alio modo informandi & determinandi, & sic opposita nequeunt esse actu simul in vno & eodem subiecto numero: fieri etenim nequaquam poterit, quod vnum, & idem numero subiectum sit simul actu calidum & frigidum, vel album & nigrum: sed idem vel genere, vel specie potest simul actu habere opposita: nam idem homo specie simul actu est albus & niger, quia tunc pro distinctis suppositis supponit: similiter idem

D Animal genere, est simul rationale, & irrationale, quia pro diuersis speciebus supponit: alio modo per modum inclusionis, quod contingeret quandocunque in quidditate & ratione alicuius opposita includerentur: & hoc modo impossibile est, quod idem numero, siue specie siue genere, actu & simul opposita includat, ex eo quod non se compatiuntur: & iuxta hunc sensum, Porphyrius intelligit, genus non habere actu differentias, quia in sua quidditate & ratione eas nequaquam includit: quoniam continere differen-

ferentias actu, est continere eas tanquam partem suæ definitionis, & quidditatis.

Sit sextum notandum. Ammonius in commentarijs super hunc textum, ex dogmatibus platonicis, nonnullas rationes adducit, quibus contra Aristotelem probat genus non solum potestate, sed actu differentias continere: & sunt illæ, quas supra in nono, & decimo, & vndecimo argumento retulimus: ac propterea idem Ammonius, ad hoc vt Platonicos cum Aristotelicis concordet, distinguit triplex esse Vniuersale: quorum primum ante multa; secũdum in multis; tertium post multa dicitur: primum est Deus, qui omnia antecedit: secundum est illud quod de multis prædicatur, ac multis inest; vt Animal, substantia, &c. tertium est illud quod opere intellectus perficitur, cuiusmodi est genus, species, & omnes intentiones secundæ: his positis ad conclusiones dilucidandas, nunc deueniendum esset: sed ne sermonis prolixitate lectores tedio afficiantur, ideo ad subsequentem dilucidationem differantur.

Dilucidatio 2.

Genus non actu, sed potestate continet differentias: quod si aliquando dicitur. Genus habere differentias constitutiuas, nõ habet eas vt genus, sicut censet Burleus, sed vt species: & argumenta in initio disputationis apposita resoluuntur.

MOs est Aristotelis, priusquam propriam sententiam in medium afferat, antiquorum Phylosophorum placita recensere, vt si quid boni dixerint, ab eis sumat, si vero quid mali, reprehensione eos dignos ostendat: aliorum etenim placita, ad propriam sententiam & veritatem indagandam, multum conferunt, inquit Aristot. in lib. 1. de Anima

A in textu 19. hunc eundem ordinem, nos in hoc nostro tractatu seruauimus, neque in hac, quam præ manibus questionem habemus, ab eodem nos metipsos longè fecimus: etenim in superiori lectione, dum querebatur an genus potestate vel actu differentias haberet, duo dumtaxat expleuimus: argumenta ad partem aduersam retulimus, & conclusionum fundamenta posuimus: in quibus phylosophorum placita partim reseruauimus: superest modo ad doctrinæ

B complementum, conclusiones elucidare, & argumenta soluere.

Sit igitur prima conclusio cõtra Burleum: nullum genus, vt genus, habet differentias constitutiuas: probatur sic: si genus vt genus, habet differentias sui ipsius constitutiuas, ergo genus generalissimum haberet huiusmodi differentias: sed consequens est fallum, ergo & antecedens: consequentia ex eo patet, quia generalissimum est genus, & nõ est maior ratio de vno genere, quã de alio:

C falsitas fiat nota ex dictis in 1. notando.

1 Contra hanc conclusionem duplex dubitatio oritur: prima est ex authoritate Auerrois qui in lib. 5. met. com. 4. videtur asserere, quod genera generalissima habeant genus, & per consequens habebunt differentias constitutiuas, ergo, &c.

2 Secunda est hæc, si genus generalissimum caret differentijs cõstitutiuis, ergo nullam compositionem habebit: quod non videtur intelligibile.

D Ad primum respondetur quod Authoritas Auerrois non benè citatur ab adducentibus eam: quoniã verba Auerrois sunt hæc, genera generalissima non habent genus, nisi multipliciter dictum; quod sic exponitur habent ens, quod Equiuocè dicitur de illis, sicut dixit Porphyrius, si quis entia vocet, æquiuocè nuncupabit, &c.

Ad secundum dicitur, quod duplex est compositio, vna a priori, quæ ex proprio genere, & ex propria differentia cõficitur, & hac cõpositione generalissimũ caret, alioquin haberet aliud genus

supra

supra se, quod est falsum : alia compositio est à posteriori, quæ ex partibus subiectiuis constat: & hac compositione genus generalissimum componitur : nam differentia ipsi addita facit cum eo cõpositionem, sicut forma cum materia: & species ipsum componunt, ac si partes materiales eius essent: nec mirum de hoc modo compositionis, generalissimum namque est, & superiori genere caret.

Sit secunda conclusio, genus subalternum, non vt genus, sed vt species habet differentias constitutiuas: quæ conclusio sic probatur.

1 Si genus subalternum, quatenus genus haberet constitutiuas differẽtias, tunc omne genus eas haberet, quod est falsum, vt dictum est.

2 Præterea genus subalternum ea ratione habet differentias cõstitutiuas, qua habet supra se genus, quo cũ adiunctis differentijs constituitur : sed genus subalternum quatenus species, habet supra se genus, ergo quatenus species habet differentias constitutiuas: minor est nota: maior habetur ex lib. quinto metaphys. tex. 4. vbi Arist. dicit, quod enim habet differentiam, habet genus etiam, sed non conuertitur.

Sit tertia conclusio: Genus non actu, sed potestate tantum differẽtias habet: probatur primò authoritate Aristot. in lib. 7. metaphys. text. 43. dicentis, genus non videtur particeps esse differentiarũ, simul namque contrariorum idem participaret, differentiæ namque contrariȩ, quibus genus differt: Confirmatur authoritate Auerrois in libro destructionum, disputatione septima, in initio solutionis tertij dubij, dicentis naturam generis numquam in actu reperiri, sed si contineret actu differentias, tunc actu esset: igitur, &c.

Ad has authoritates quidam distinguunt de duplici actu, distincto. s. & confuso, & dicunt genus non habere differentias in actu distincto, sed confuso.

2 Contra hanc solutionem, probatur genus neque actu confuso habere diffe-

A rentias: Si genus habet differentias saltem in actu confuso, ergo Porphyrius, non benè dicit, differentiam esse, qua species abundat á genere: quoniam tam genus, quã species per ipsos, habet actu differentias, & non distinguuntur nisi per habere eas cõfusè & distinctè, quod non est vnum abundare simpliciter ab alio, idest plus habere, iuxta sensum iam expositum.

3 Præterea sicut forma se habet ad materiam, ita differentia ad genus, sed

B forma inest materiæ in potentia, ita vt ipsa materia nullam formam actu habet, sed modo hanc, modo illam, sed soli composito actu inest, ergo differentia inest generi in potẽtia, & in specie actu: minor nulla probatione indiget; maior quo ad similitudinẽ, est Porphyrij, qui in secunda definitione differentiȩ loquitur proportionaliter de materia & de genere, de forma & de differentia, & omnia ex tertio notando clara sunt.

4 Preterea Genus continere actu dif

C ferentias, est continere eas, tanquam partem suæ definitionis, & quidditatis, sicut in fine quinti notandi dictum est: igitur si genus habet actu differentias, sequitur quod nulla definitio generica sit perfecta, nisi differentiæ in illa ponãtur; quod tamen à nullo phylosophorum, vnquam seruatum fuit.

Sit quarta conclusio, nulla controuersia inter dicta Platonicorum, & Aristotelicorum reperitur: probatur per interpretationem Ammonij, quam nos in

D sexto notando retulimus: quoniam de alio Vniuersali intelligebant Platonici, & de alio Aristotelici. Platonici etenim loquuti sunt de Vniuersali ante multa, qui est prima intelligentia, in qua omnium rerum Ideæ, ac rationes, modo eminentissimo reperiuntur: vnde & Auerroes in lib. 12. metaph. com. 18. dicebat quod omnes proportiones & formæ sunt in potentia in prima materia, & in actu in primo motore: & in com. 24. inquit quod forma primi mouentis, aliquo modo est omnes formȩ, quod dictum Philoponus etiam in libro

bro primo de anima in fine expositionis textus sexti comprobare videtur: sed quando Aristotelici asserunt, genus non actu, sed potestate differentias continere, loquũtur de genere quod est in multis, ac de multis predicatur: cõtra quod & si quędam eorumdem argumenta pugnare videantur; ex illorum afferendis nunc solutionibus veritas ipsa clarior reddetur: his igitur determinatis ad solutiones argumentorum principalium veniamus.

Ad primum, quod procedit ex authoritate Arist. in lib. 4. cœli, text. 35. respõdetur quod Aristot. eo in loco non dicit quod quodlibet genus habeat illas oppositas differentias in actu: sed ostendit quod in quolibet genere sunt oppositæ differentiæ, quarum vna habet rationẽ perfecti, altera rationem imperfecti, vt in genere loci, sursum & deorsum: sicut etiam in Animali, est rationale perfectum, irrationale imperfectum, stat tamen quod huiusmodi Differentiæ sint in eo potestate, & non actu, vt dictũ est.

Ad secundum negatur minor, ad cuius probationem iam dictum est, quod genus subalternum, non vt genus, sed vt species habet differentias constitutiuas.

Ad tertium respondetur primo ad maiorem propositionem, omne quod actu continet aliquod inferius, continet actu quidquid est de ratione illius inferioris. quod hæc propositio est simpliciter intelligenda: sed deinde negatur minor, quod genus contineat actu species; quoniam continet eas confusè & indeterminatè, quod est potestate eas continere, quousque per aduenientem differentiam ad aliquam illarum actu determinetur.

Ad quartum dicitur ad minorem, quod non est vera vniuersaliter, sed con tractè ad aliquam speciem: vel cũ Scoto dicatur, nullum inconueniens esse, aliquid predicari verè de aliquo, quod est in potentia ad ipsum: vnde hæc propositio est vera, Animal est rationale, quia est in potentia vt per rationalitatem determinetur.

A Ad quintum dicitur ex doctrina Scoti, & Caietani, & sumitur ex Boetio, nullum absurdum dari, si opposita, insint in vno & eodem, vel genere, vel specie, benè autem in eodem numero: modo Animal ad hominem, & ad Equum contractum, est idem Animal genere, & nõ numero: & hoc est quod Boetius dicit, scilicet, nec illud dubium est, quod in partibus genus habet contrarietates, vt Animal in homine habet rationalitatem, in boue contrarium, id est irratio-

B nalitatem: & sub infert, itaque si ipsum genus per se ipsum consideretur, differentijs caret, quod si ad species referatur, per distributas species in partibus suis contraria retinebit.

Quod si quis obijciat, apud Porphyrium pro absurdo haberi, quod idẽ genus habeat actu opposita: respondetur quod aliud est dicere idem genus, & aliud idem genere: nam idem genus simpliciter sumptum, siue suppositaliter nõ potest habere actu opposita: sed quando

C dicitur idem genere, vt argumentum procedebat, tunc accipitur distributiue per suas species: vel cum Caietano dicatur intentionem Porphyrij esse, quod idem siue numero, siue specie, siue genere, non posse habere opposita simul & actu, per modum inclusionis, ita vt de illius quidditate & ratione sint: iuxta quem sensum dictum est à Porphyrio genus non continere actu differentias, quia in sua ratione eas non includit, vt supra expositum est.

D Ad sextum conceditur, quod species recipit differentiam à genere in potentia; sed argumentum deinde non valet, scilicet, ergo species non habet eã actu, quoniam per virtutem agentis reducitur de potentia generis ad actum specificum.

Ad septimum respondetur à Scoto, quod maior propositio est vera de potentia quæ ordinem ad actum importat: modo potentia generis importat quamdam indeterminationem, quæ per actum aduenientem determinatur: vel dicatur satis esse, quod potentia, qua

genus

genus continet differentias reducatur ad actum, per distributioné ad species; in quas genus per differétias diuiditur.

Ad octauum negatur maior si intelligatur de inexistentia actuali; nam satis est quod potentia inexistat, & virtute naturalis agentis educatur de potentia ad actum, & tunc ipsam materiam ad determinatum compositum contrahit: vel dicatur cum Paulo Veneto quod Differentiam esse actu in genere, duobus modis intelligi potest, vno modo actualitate generis, & hoc modo non est, quia genus nullam differentiam sibi determinat, quia qua ratione haberet vnam, haberet etiam aliam, & sic opposita eidem actu inessent: secundo modo actualitate differentiæ, quod est ipsam differentiam determinare sibi certum genus: & hoc modo conceditur differentiam esse actu in genere, pro quanto certum genus sibi determinat, v. g. rationale & irrationale, non cuiuscunque generis, sed solius Animalis sunt diuisiuæ: quémadmodum forma est per se in materia, quia quælibet forma, certam materiam determinat.

Ad nonum dicitur, maiorem propositionem ita esse intelligendam, contraria se mutuo interimunt, id est in codé subiecto non se compatiuntur: & tunc ad argumentum negatur minor, quia in eodem subiecto non se compatiūtur rationale & irrationale: ad probationé verò dicitur, quod ea, quæ argumentum infert, non sunt simul in eodem subiecto, sed in diuersis, sicut in argumento euidenter cognoscitur.

Ad decimum negatur quod opposita possint esse simul in natura incorporea; etenim virtus & vitium animæ inesse simul nequeunt: non enim esse corporeum, vel incorporeum; sed natura ipsorum oppositorum in causa est, quod simul esse nequeant, quia mutuo se expellunt: modo quæcunque natura sit genus, oppositæ differentiæ ei inesse nequeunt, vt dictum est.

Contra hanc solutionem, arguitur quod opposita possint esse simul; nam A experimento cognoscitur exurientes dum commedunt, simul & semel tristitiam pati, & letitiam: exuries enim tristitiam habet annexam, commestio verò letitiam: Nisi esset, vt scribit Alexander in primo libro naturalium quæstionum, quod delectatio & tristitia sunt cótraria ad idem comparata, sed non ad diuersa: non enim cuilibet delectationi opponitur quælibet tristitia, sed determinata: in exuriente est tristitia respectu indigentiæ nutrimenti, sed letitia est B ex assumptione cibi remouentis illam indigentiam.

Ad vndecimum cóceditur quod species sit nobilior, & perfectior genere: neque obstat quod tunc causatum, sit sua causa nobilius: quoniam non quoduis causarum genus, est suo causato nobilius: materialis namque causa, longè ignobilior est, quolibet suo causato: genus enim respectu speciei, vicem materiæ tenet, differentia verò formæ: vt in sequenti dilucidatione videbitur.

C

Dilucidatio 7.

Tex. Definiunt autem eam, & hoc modo: Differentia est, quæ de pluribus, & differétibus specie, in eo quod quale quid est, prædicatur.

D QVemadmodum in precedentibus dilucidationibus insinuauimus, plures actus differentiæ à Porphyrio assignabantur: inter quos secūdus erat de pluribus predicari, ac per consequés pluribus communicari, quia vnumquodq; sicut se habet ad esse, ita ad dici: quapropter penes hunc secundum actum illius, secundam definitionem differentię Author in hoc textu explanat: at priusquàm ad eam explanādam accedamus; hoc vnum notandum occurrit, quod ex Aristot. in lib. 7. metaphys. elicitur, videlicet, quod sicut genus per comparationem

tionem ad ſpeciem, deſignat potentiam, & materiã, ita differentia eius vltimum actum importat, eo quia ab alijs ſpeciebus ſub eodẽ genere poſitis, eſſentialiter illã diſtinguit: verũ enim verò huiuſmodi actus, triplici conſideratione conſiderari poteſt, primo ſimpliciter & abſolutè, & ſic per nomen primę intentionis. ſ. per rationale, & irrationale deſignatur: ſecundo prout pluribus communicabilis eſt, & ſic nomen ſecundæ intentionis illi tribuitur: tertio quatenus vnam ſpeciem ab alia diſtinguit, & ſic nomen differentiæ ſuſcipit quę differentia, quo ad ſuum materiale, cui nomen attribuitur, vltimum actum ſpeciei importat; & quo ad ſuum formale, à quo imponitur, quẽdam reſpectum ad illud, à quo facit differre, deſignat: ſed cum in hoc loco definitur, non pro ſecunda intentione, ſed pro re, ſecundę intentioni ſubiecta definitur: nec ab rè dicitur, pro re intentioni ſubiecta; quoniam agere de differentia, vt res eſt, non ad logicum negocium ſpectat: igitur Porphyrius definiens differentiam ſic dicit, Differentia eſt, quod predicatur de pluribus, & differentibus ſpecie, in eo quod quale quid: & eſt ac ſi dicat, differentia eſt quędam forma per modum qualitatis ſe habẽs, quæ de pluribus ſpecie differẽtibus predicatur. multę particulę in hac definitione ponũtur, quę aliquantula explanatione indigent: in primis ponitur ly predicatur, quod verbum, & ſi ex virtute vocis actum deſignet, tamen aptitudinem deſignat, quæ vniuerſalium naturam reſpicit: ly de pluribus ponitur ad differẽtiam indiuidui, quod de vno ſolo predicari, haud ignotum eſt: ly differentibus ſpecie, ad differentiam ſpeciei, cui de pluribus differentibus numero, predicari conuenit: ly in quale, vt oſtendatur, quod à genere & à ſpecie diſtinguitur, quibus prædicari in quid à natura ineſt: & tandem additur ly in quid, vt inſinuetur, quod ſi predicari in quale, etiam proprio, & communi accidenti conueniat, non tamen eo modo, quo differentiæ: illa etenim in quale ſimpliciter accidentale dicuntur:

A hæc verò in quale ſubſtantiale predicatur: ex his particulis liquet hanc definitionẽ alteri à differentia non cõuenire.

Tex. Rationale enim & mortale de homine predicatum, in eo quod quale quid eſt homo dicitur: ſed nõ in eo quod quid eſt: quid eſt enim homo? nobis interrogatis, conueniens dicere

B Animal: quale autem Animal? inquiſitis, quod rationale, & mortale eſt, conuenienter aſſignabitur.

TRes interrogationes, inquit Boetius, ſunt, ad quas quinque predicabilia reſpondetur. ſ. quid ſit, quale ſit, quomodo ſe habet: etenim interroganti quid ſit Socrates, conuenienter reſpõdebitur per genus, aut per ſpeciẽ, quod eſt Ani-

C mal, vel homo: querenti vlterius Socrates quomodo ſe habet? tunc iurè reſpondetur accidẽs, vt ſedet aut legit: at qualis ſit Socrates petenti, tunc differentia, vel proprium merito profertur, rationalis, aut riſibilis: hactenus quid differentia ſit, in ſuperiori textu explanatũ eſt: & quia Author dixit Differentiam predicari in quale de illo, cuius eſt differentia, ideo quod predicetur in quale, duplici modo, a ſigno videlicet, & ab exemplo manifeſtare nititur: ſignum etenim

D ab interrogatione ſumit: dicit itaq; Porphyrius quod ſi quis interroget, quid eſt homo, tunc abſque dubio genus reſpondetur. ſ. Animal: quod ſi iterum petatur quale Animal, iurè dicitur rationale mortale: & cum rationale ſit differẽtia, hinc manifeſtatur differentiam in quale predicari. vnde ratio hoc modo formetur, illud predicatur in quale, quod conuenienter reſpondetur ad interrogationem factam, quale eſt hoc: ſed ad interrogationem factã de aliqua ſpecie, qualis ſit reſpondetur differentia, ergo differentia in quale predicatur.

Circa

Circa quod dictum animaduertendũ est, quod si ad interrogationem factam per quale, etiam proprium respondeatur; non tamen principaliter, sed secundario: quia proprium supponit speciem, per differentiam in esse constitutã, quoniam ex illius principijs essentialibus emanat: & nunc de principali interrogatione, & responsione factis per quale, tractatur.

Tex. **Rebus enim ex materia & forma constantibus, vel secũdum proportionem ad materiã & formam, constitutionem habentibus: quemadmodum statua ex materia quidem ex ære, ex forma autem figura: sic & homo communis & specialis: ex materia quidem proportionaliter consistit ex genere, ex forma autem differentia; totum autem hoc, Animal rationale mortale, homo est, quemadmodum illic statua.**

RVrsus per exemplum, ex artificialibus sumptum (& fortè quia artificialia prę sto sunt sensibus & rem opportunius exponunt) declarat illud, quod supra dicebat, videlicet genus in quid, & differentiam in quale predicari, & sic procedit: sicut se habet materia & forma, vel aliqua habentia similitudinem cum materia & forma, ad illud, quod ex eis componitur, sic proportionaliter se habent genus & differentia, ad hominẽ communem & specialem, id est ad speciem & ad indiuiduum: sed sic est, quod in composito ex materia & forma, vel ex habentibus proportionem ad materiam & formam, materia dicit quid, & forma designat quale, ergo à simili genus & differentia, ex quibus species cõponitur, sic se habent, quod genus de specie dicit quid, & differentia quale: A minor in artificialibus sic exponitur, cõficiatur. v. g. statua Cæsaris: hæc ex duobus conficitur ex ære & figura, ex ęre tãquam ex materia, ex figura tanquam ex forma: sed interroganti quid illa statua sit, respondetur materia, nempe æs, lapis, lignum; iterum querenti quale æs, respondetur, tali figura, scilicet Cæsaris figuratum: maior ex eo manifestatur quod genus respectu speciei habet proportionaliter rationem materię, & differentia rationem formæ: species verò B quoddam totum est, quod ex genere & differentia cõficitur: quapropter si quæratur quid sit homo, conuenienter respondetur Animal, & quale Animal? dicitur rationale mortale; ergo genus in quid, & differentia in quale predicatur: sed multa, quæ ad horum textuum dilucidationem necessaria sunt, infra in singulis lectionibus explanabuntur. hęc nunc satis sint.

C Disputatio septima de differentia.

An prædicari de pluribus specie differentibus; conueniat specificæ differentiæ.

Dilucidatio I.

D Magni Alberti, Scoti, & Burlei opiniones examinantur.

DIFFICVLTAS non modica, nec quidem obmittenda, sed scitu digna, in hoc loco occurrit; & ab omnibus ferè expositoribus examinata, sed non vniformi consensu elucidata: Etenim Porphyrius secundam definitionem differentiæ assignans, dixit Differentiam esse, quod de pluribus & specie differentibus predicatur: modo dubita-

bitatur de vltima differentia, quæ ſpeciem conſtituit, & cum ea conuertitur, quomodo de pluribus ſpecie differentibus prędicatur.

Albertus cognomento, magnus, in tractatu de differentia cap. 6. nonnullis alienis ſolutionibus ſpretis, propriam ſentētiam in medium affert, & eſt, quod Porphyrius in hac ſecunda definitione, nullo modo comprehendit vltimas differentias rerum, quæ ſpecificæ vocantur: ratio eſt, quia vltimę differentię non habent rationem veræ & propriæ differentiæ: & ad ſuę poſitionis intellectum, ſupponit de ratione veræ differentię, eſſe duos actus producere, quorum primus eſt genus diuidere, ſecundus ſpeciē conſtituere, & in his duobus natura totius differentiæ conſiſtit, & terminatur: ſed differētia vltima præter hos duos actus, habet etiam tertium, qui eſt ipſam ſpeciem ad quandam athomam & indiuiſibilem naturam reducere, & eam alijs incommunicabilem reddere; quod eſt dicere ſpeciem ſpecialiſſimam conſtituere; qui tertius actus non conuenit differentiæ, prout eſt differentia, alioquin omnis differentia, ſicut duos primos actus habet, etiam hunc tertium haberet, quod eſt falſum, ſed ei accidit huiuſmodi actus, ex eo quod aliqua res denominata differentia, ex ſua ratione habet, quod non ſit, niſi in vna natura, & formaliter ſit indiuiſibilis: ex his Albertus ſubinfert, vltimas differentias, à definitione, quam nunc Porphyrius aſſignat, alienas eſſe: quoniam nūc aſſignatur definitio differentiæ, ſecundum ea quæ per ſe & non per accidens ei conueniunt: differentia autem vltima habet illum tertium actum, per accidens ei conueniens, vnde eſt in cauſa, quod ab hac definitione data, ſit aliena: & hāc doctrinam ab Auicenna, Alpharabio, & Auerroe, ſe accepiſſe fatetur.

1 Sed contra Alberti poſitionē, Caietanus ſic arguit: vltima differentia habet omnes illos actus, qui verę differentiæ conueniunt, nempe diuidere genus, & conſtituere ſpeciem, & hoc ab Alber-A to conceditur, ergo vltima differentia, ſaltem quo ad illos actus, definitionem differentiæ aufugere, nequaquam debebat.

2 Præterea ille tertius actus, qui eſt reducere ſpeciem ad naturam athomā, & reddere illam incommunicabilē alijs non eſt conditio diminuens naturā differentiæ: ergo definitio veræ differentiæ, ſibi repugnare non debet: antecedēs ex eo probatur, quia hic tertius actus cō patitur ſecum, & ſimul omnes alios

B actus veræ differentiæ: igitur &c.

3 Pręterea Contra eandem poſitionem arguit Sotus q vnica ad ſextum: de ratione differentiæ non eſt conſtituere ſpeciem ſpecialiſſimam, ſed hoc per accidens eſt, ad rationem differentiæ: ergo neque de ratione differentiæ eſt cōſtituere ſpeciem ſubalternam: ſed ſolū de ratione illius eſt cōſtituere ſpeciem, abſtrahendo ab hac, & ab illa: ergo definitio debuit aſſignari communis, & indifferens ad vtranque differentiam.

C 4 Pręterea, ad idem ſic arguitur: eſto quod ille tertius actus, ſit ſufficiens cauſa, quæ definitio verę differentiæ à Porphyrio aſſignata, non conueniat vltimæ differentiæ: ſequitur ergo quod eadem aſſignata definitio, non conueniat etiam differentijs non vltimis: conſequentia ſic probatur, Differentiæ non vltimæ habent, illum tertium actum, cum duobus primis, vnde diuidunt, conſtituunt, & reducunt ea quorum ſunt differentiæ ad naturam athomam, & alijs incommu-

D nicabilem, non minus quam vltimæ Differentiæ idipſum faciant: ergo &c. hoc totum ſic probatur: accipiatur nunc rationalitas, & ſupponatur quod ſit vltima hominis differentia: nam hæc habet ſuum primum actum, quo Animal diuidit: habet etiam ſecundum, quo hominem conſtituit; & tertium etiam, quo hominem ad quandam naturam cęteris incommunicabilem reducit, vnde athoma & indiuiſibilis nuncupatur: eodem pacto (cęteris paribus) ſenſitiuum, quod non vltima differentia dicitur; primum actum habet, quo animatum corpus

pus diuidit; secundum, quo Animal constituit; & tertium quo idipsum Animal, ad quamdam naturam alijs incommunicabilem determinat: etenim quemadmodum rationalitas est in causa, quod natura hominis, non ab alijs, quàm ab hominibus participatur, ita sensitiuum hoc munus in Animali exercet, ita vt nulla alia natura ab Animali, sensationem, siue sensitiuum participat; quapropter eam naturam, athomam facit, ac cęteris, quę non sunt Animal, incommunicabilem reddit.

Quod si quis obijciat, hanc rationem contra Albertum non pugnare: quoniã omnis vltima differentia reducit illam naturam ad esse specificum, & per consequens solis indiuiduis sub illa positis, communicabilem: sed sensitiuum reducit Animal ad esse genericum, licet subalternum; quod in plures species deinde per vltimas specificas differentias diuiditur.

Respondetur hoc contingere vltimę differentię, non sub ratione qua vel differentia, vel vltima differentia est, sed per accidens, quia scilicet est speciei cõstitutiua: nam veritas hæc est, quod differentia ipsa absolutè, tres iam præfatos actus habet, videlicet, diuidit, constituit, & ipsum constitutum ad quamdam naturam alijs non communicabilem contrahit: modo si tale constitutum sit species, tunc illa differentiæ ad esse solum specificum contrahit, atque illis dumtaxat, quæ sub illa specie ponuntur, cõmunicabile ipsum reddit: si autem huiusmodi constitutum sit species subalterna, quæ potest fieri genus: tunc ipsa differentia reducit illud genus ad esse tale genericum, & illis solis speciebus communicabile, quę sub illo genere cõstituuntur: quare seruata puritate circa constitutorum naturas, comparatio currit in illis tribus actibus, vt dictum est: ex his fit satis manifestum rationẽ magni Alberti non valere, qua asserit vltimas differentias, non sortiri allatam definitionem differentiæ, ex eo quod præter duos actus, cęteris differentiis cõmunes, sortitur & tertium, quo constitutã naturam ad athomum reducit: ac si hic tertius actus sit in causa, quod vltima differentia verę differentię naturam nõ sortiatur: & hæc sunt quæ contra positionem Alberti, nunc dicenda intendebantur.

Secunda opinio, circa propositũ quæsitum, est quorundam, (eodem Alberto referente) asserẽtium quod Porphyrius in hoc loco definit differentias genericas, siue specierum subalternarum, quæ sunt nobis notæ: vltimas autẽ reliquit, quia nobis ignotę sunt: igitur quia differentias genericas cognoscimus, atque in definitionibus, eisdem vtimur, ideo illas dumtaxat Porphyrius in hoc loco definit: qua propter cum dicitur differentiam de pluribus specie differentibus predicari, non ita definitur, quia omnis differentia sit talis; sed quia omnis differentia nobis nota, qualis est differentia generica, de pluribus specie differentibus predicatur: hunc modum dicendi sequuntur deinde Scotus in q. 27. vniuersalium, Marsilius, Burleus, Iauellus, & multi alij: imo Scotus ibidem distinguit, quod quemadmodum species est duplex, vna, quæ specialissima dicitur, & altera quæ subalterna nuncupatur, vnde Porphyrius in eodem capite, binas speciei definitiones assignauit, & quæ solùm speciei specialissime competit, & quæ huic & alijs cõmunes sunt: ita in pręsenti cum duplex sit differentia, quædam vltima, & quædam intermedia, ideo binas differentię definitiones assignauit & quę inter medijs tantũ cõpetit, & hæc est, qua dicitur Differentia est, quod de pluribus specie differentibus predicatur; & quę inter medijs & vltimis simul conueniunt, & sunt aliæ allatæ definitiones: hinc quidam illorum subdunt, quod differentia in communi sic definiri debet, Differentia est Vniuersale, quod essentialiter prędicatur de pluribus in quale; vnde obmitti debet illa particula, differẽtibus specie: & hoc modo cuilibet differentiæ competit: at predicari de pluribus specie differentibus, non

bus, non conuenit differentiæ, in quantum differentia est, ita scilicet quod omnis differentia sit talis: sed illis tantùm, quę nobis notę sunt: quales sunt ipsæ intermediæ.

At contra hunc secundum modum dicendi, insurgunt Albertus, Paulus Venetus, & Toletus: imo Albert. in speciali existimat illũ à veritate omnino alienum, & aliquo modo risu dignum; quia cum secundum veritatem dentur vltimę differentię naturarum, ita insinuasse videtur Arist. in lib. 7. metaph. ideo Porphyrius debebat assignare definitionem omnibus differentijs conuenientẽ, quẽadmodum omni genere, ac omni speciei, communem definitionem protulit; hæc verò repugnat vltimę differentiæ, quæ non de pluribus sed de vna tantum specie predicatur: Prętęrea addit Toletus, cum Differentia sit quoddam predicabile: atque in hac sola definitione explicetur natura differẽtię, quatenus predicabile est, ideo debebat definire eam in vniuersali, atque differentias vltimas ab hac definitione non excludere.

Verumtamen Caietanus, & Sotus, nõ existimant hunc secundum modum dicendi, esse prorsus risu dignum, sicut Albertus putat: imo videtur esse sententia Aristotelis in libro 2. poster. in text. 17. quo in loco inquirẽs, quo modo sit procedendum circa partes definitionis, quãdo sunt ignotæ, docet, debuisse vti differentiis superioribus, ac propter hoc concludit, quod differentiæ est superior, quã sit species: quod dictum S. Tho. ibidem in lect. 13. exponens, ait, ideo Aristotelem dixisse, differentias omnes, esse in plus quàm species, vel definitum, quia vltimæ differentiæ ignorãtur; à qua quidem sententia non longè distat Simplicius, in cap. tertio ante predicamentorum, vbi docet Porphyrium differentias definisse, vt in plurimum: Ad argumentum Alberti, respõdet ipsemet Burleus, hanc secundam definitionem conuenire omni contento sub definito; quia in hoc loco non definiuntur differentiæ vltimę, sed genericę tantùm, quibus con-

A uenit prędicari de pluribus & specie differentibus; neque ab hac solutione Caietanus in hoc loco nõ distare dedignatur: si verò sint alij modi dicendi ad propositum quæsitum, ita vt presens definitio, etiam vltimis differentiis aliquo modo aptetur, in sequenti lectione explanabitur: huic autem finis imponatur.

Dilucidatio 2.

B Quamuis secundum veritatem, sint vltimæ differentię: tamen apud Porphyrium vltima differentia constituitur, ex pluribus differentijs genericis: & de non repugnantia quã Caietanus insinuat, aliqua dicuntur.

ARistoteles in lib. 6. topic. in explanatione loci 18. hanc sententiã pro-
C tulit; fortasse autem, & quod simpliciter notum, nõ est id quod omnibus notum, sed quod benè dispositis intellectu: quẽadmodum & simpliciter salubre ijs, qui benè affectum corpus habent. hinc iurè dicimus, quod cũ homines in hac mortali vita, haud omnino sint intellectu bene dispositi; imo eis considerantibus & intelligentibus sit necessarium phantasmata speculari; ideo non mirum, si vltimæ differentiæ naturarum constitutiuę ab ipsis simpliciter ignorentur; vnde
D factum est, quod de proposito quęsito vltimarum differentiarum multi, multa dixerint: etenim duas opiniones priscorum phylosophorum in superiori lectione examinauimus, eam nempè magni Alberti, quam prorsus abijcimus; alterã, quã Scotus, Burleus, & alij sequuntur; & hanc non esse à veritate omnino alienã, diximus: an autem de hac re sint alij modi dicẽdi, in præsenti lectione explanare intẽdimus: & quantũ ad placita phylosophorum; (& hic in ordine sit tertius modus dicẽdi) sunt quidã qui arbitrãtur, nullã vltimã differentiã reperiri,

quæ sit forma simplex; sed omnes differentiæ sunt genericæ, & cõmunes: quod si quis ab eis petat, quomodo igitur species specialissima constituitur, ita vt hat Athoma, incommunicabilis, & ab alijs speciebus distincta? respondent hi, quod plures Differentiæ simul iunctæ propriam speciem constituunt, imo asserũt hanc esse Porphyrij opinionem; dum in hoc capite dicit quod sumus rationales nos & Dij, sed mortale additum nobis separat nos ab illis; qua propter Differentia constitutiua hominis sunt hæ duę genericæ, rationale, & mortale simul coniunctæ: quam quidem suam sententiam, Porphyrius apertius explanat in communitatibus, in quibus comparando speciem & differentiam ad inuicem ait quod species speciei non componitur vt gignat aliquam aliam speciem: sed benè quidem Differentia componitur cum alia differentia, vnde rationale & mortale compositum est in substantia hominis: imo hanc esse Aristotelis sententiam, ex eo probant quod ipse Phylosophus in lib. 2. post. c. 14. ait differentias singulas per se multis competere speciebus, tamen aliquæ simul iunctæ vnam rem componunt, & in libro primo topicorum problema differentiæ, ad problema generis reducit.

Circa hanc tertiam opinionem, duo dicenda mihi videntur cum Toleto, cuius sententia mihi quidem probatur: primum est, quod opinio Porphyrij absque dubio, est, quod vltima differentia non sit vna forma simplex; sed plures differentiæ genericę simul iunctę & hæ specialissimam speciem constituunt: & hoc sit satis manifestum quod Porphyrius vbique locorum, de vltimis differentijs verba faciens, aggregationem quandam ex pluribus genericis conficit, ex quibus deinde speciem constituit: alterum est quod secundum veritatem dãtur vltimæ differentię: sed priusquam ex doctrina Aristotelis hoc secundum confirmetur: vnum notandum est, vt iuuenes non decipiantur: cum quęritur an sint vltimę differentiæ rerum: Differentiam dici vltimam, dupliciter intelligi potest; vel quod sit illa, quæ vltimo constituit id, cuius est differentia; & hic sensus nunc non intenditur, quia clarũ est, quod Animal, quod est species sub alterna, & genus fieri potest, habet has tres differentias constitutiuas, nempe corporeum, animatum, & sensitiuum; vltima tamen quæ ipsum constituit, ac facit vt sit Animal, non est, nisi sensitiuum, per quod à quocunque alio, quod non est Animal, vt puta à lapide qui corporeus est, & a planta, quę animata est, distiuguitur: vel quod illa sit, quæ in coordinatione predicamentali, constituit vltimam speciem, quæ specialissima dicitur, in quocunque predicamento vltimo loco reposita; (indiuiduis neglectis, quoniam eorum scientia non habetur, & ad illa descendentem iubet Plato quiescere) & de hac nunc quæritur, an detur vltima differentia speciei scilicet specialissimę constitutiua: & quod hæ vltimę differentię reperiantur, ex multis authoritatibus Phylosophorum comprobatur.

1 Primo Aristoteles in libro 7. met. text. 43. & comentator ibidem asserunt in omni genere descendendum esse ad vltimam differentiam, quę cum sua specie est conuertibilis: Præterea ipsemet Aristoteles in libro sexto topicorum in explanatione loci trigesimi primi, inquirens de differentia specifica, inquit illa esse specificam, quę generi adiuncta, speciem constituit: & in lib. 2. de partibus Animalium capite secundo apertissimè fatetur, non deesse multas species, quarum vna tantùm est differentia.

2 Præterea Boetius in libro diuisionum, inquit, quod nisi esset penuria nominum, nulla definitio plures haberet quàm duos terminos, puta genus & differentiam, cum sua specie conuertibilem.

3 Præterea Diuus Thomas in secundo libro posteriorum in lectione decima tertia, expresse fatetur quamlibet speciem specialissimam, suam habere vltimam differentiam cum ea conuertibilem:

bilem: at quia tales differẽtię ſunt igno tæ, circumſcribũt eas per varia accidentia communia ſimul iuncta, quę dicuntur eſſentialia, quia formã eſſentialem rei circumſcribunt.

4 Item ſupponatur nunc, aliàs probandum, quod Differentia ſumatur à forma; tum ſic arguitur. ab omni forma conuenienti ita vni ſubiecto quod nõ alteri, licet abſtrahere vnam differentiam ita cõſtituẽtem ſubiectum vnum, quod non alterum: ſed omnis ſpecies habet ſuam formam, ita ſibi competentem, quod non alteri; ergo à tali licet abſtrahere vnam differentiam, ita conſtituentem vnam ſpeciem, quod non alteram: & hæc non eſt niſi conuertibilis, licet ſit ignota, & innominata.

5 Vlterius, ſi ſpecies ſpecialiſsima per plures differentias ſimul iunctas conſtitueretur, ergo ſpecierum definitiones, per multorum aggregationem darẽtur; quod eſt falſum quoniam vt Auerroes ait in libro ſecundo de phyſico auditu in comm. 28. & 91. definitiones componuntur ex forma vniuerſali quæ eſt genus, & ex propria, quæ eſt differentia cõcludatur igitur dari abſque dubio, vltimas differentias, licet ſint ignotæ & innominatę.

Ad authoritatem verò, quàm ex lib. ſecũdo poſteriorum adducunt ij, qui vltimas differẽtias non dari opinabantur, ſatis reſpõſum eſt in ſuperiori lectione, ex doctrina D. Thomę ibidem, Ariſtotelem eo in loco nõ negare vltimas differentias; ſed docere Definitiones aſſignãdas eſſe, ſecundum differentias, quæ reperiuntur nobis notæ, quando vltimę ignorantur.

6 Sed contra hæc, quæ iam elucidata ſunt, duæ difficultates oriuntur, quæ quidem non modicam anſam laborandi expoſitoribus prę ſtiterunt: prima eſt, ſi datur vltima differentia cum ſua ſpecie tantùm conuertibilis; igitur quomodo eſt verum id quod Porphyrius in ſecunda definitione dixit, Differentiam ſcilicet de pluribus & ſpecie differentibus predicari.

Altera difficultas eſt, ſi vltima differentia, predicatur de ea ſpecie tantùm, cuius eſt differentia, igitur quo nam pacto, differentia eſt vnum ex quinque Vniuerſalibus? nam Vniuerſale eſt, quod eſt aptum natum ineſſe, & predicari de multis.

Ad primum, Multi multa dicunt: nam quidam arbitrantur Porphyrium dimiſiſſe vltimas differentias, quia putauit eas non dari, ſed ex pluribus genericis differentiis ſimul iunctis ſpecialiſſimum conſtitui, vt iam dictum eſt: vel quia eas non cognouit: & hunc modum dicendi ſequitur Burleus, & vt probabiliorem ſuſtinet Toletus nec mihi certè diſplicet, quo ad mentem & ſententiam Porphyrij manifeſtandam.

Alij verò dicunt, vltimam differentiam, ſecundum veritatem, predicari de illa ſpecie tantum cuius eſt differentia, & cum qua conuertitur: vnde ſi definiatur, ſic definiri debet: Differentia eſt, quæ predicatur de ſpecie, cuius eſt differentia, in quale quid: & hic modus dicendi multis probatur.

Verumtamen alij, qui vltimam differentiam, ab hac definitione à Porphyrio aſſignata, alienam nequaquam eſſe putant; imo optimè ei aptari poſſe inquiunt: ideo volunt quod illa definitio ſit negatiuè, ſeu non repugnanter exponenda: hi ſunt Caietanus: & Sotus; imo ante illos fuit ſententia Iamblici, & Auicennæ, in cap. de communitatibus: & hic modus dicendi legitur apud Paulum Venetum, quãuis ab ipſo non probetur: ad cuius modi intelligentiam, diſtinguunt, quod Differentia vltima, exempli cauſa; rationalitas dupliciter conſideratur: vno modo prout eſt differentia, & iuxta hanc conſiderationem non repugnat vltimę differentiæ predicari de pluribus ſpecie differentibus, alioquin cuilibet differentię repugnaret: alio modo conſideratur prout eſt vltima differentia, huius ſpeciei conſtitutiua, & ſic repugnat ei de pluribus predicari, iuxta illam propoſitionem & regulam, quidquid

competit superiori ex natura communi, & repugnat inferiori ex ratione propria, predicatur de illo inferiori cum specificatione tamen naturæ superioris: v. g. quantitati, inquit Aristoteles in libro primo de physico auditu non repugnat diuidi in infinitum: tamen non verificatur, de quantitate in materia naturali: & tamen de omni quanto, cum hac specificatione scilicet, in eo quod quantum verificatur: quod etiam de specie, sub qua vnum indiuiduum tantùm est; & tamen inquantum species, de pluribus predicari, apta nata est, vt suo loco ex doctrina D. Thomæ explanauimus.

Ad secundum dicitur, ad hoc quod vltima differentia sit vniuersalis, satis est quod predicetur immediatè de subiecto Vniuersali, sicut est specialissima species, cuius est differentia: aut saltem predicetur de pluribus indiuiduis, quibus mediante specie inest: nam esse ipsius Vniuersalis est esse in multis, ac de multis predicari, vel mediatè, vel immediatè: & de hoc quæsito, dictum sit satis.

Disputatio octaua de differentia.

An Differẽtia prædicetur in quale quid.

Dilucidatio I.

Differentia per se quamuis secundum rem dicat quid, tamen secundum modum predicatur in quale.

AVSCVLTATIONES secũdum consuetudinem accidũt: quemadmodum enim cõsueuimus, ita diiudicamus dici debere, inquit Aristoteles in libro secundo diuinę Philosophiæ, in textu 14. hinc iuniores, qui in logicæ studio versantur, cum ex terminorum longa consuetudine audierint, quale, accidens simpliciter enunciare, ideo facilè diiudicabunt Differentiam in quale simpliciter predicari, de eo cuius est differentia, cum in illius definitione dicitur, Differentia est, quod de pluribus specie differẽtibus predicatur in eo quod quale: quapropter vt hæc definitio clarescat magis, & termini elucidentur, quæritur an sit verum Differentiam predicari in quale: & arguitur quod non.

1 Nulla substantia predicatur in quale: sed vltima differentia specierum saltem de genere substantiæ, est substantia, ergo non predicatur in quale: maior ex eo probatur quod omnis substantia dicit quid: minor est Aristotelis in capit. substantiæ, in prima communitate, vbi ait differentiam esse de numero eorum quæ non sunt in subiecto, quod est commune omnibus substantijs, tàm primis, quàm secundis, &c.

Quod si dicatur, Differentiam predicari in quale, quia respectu generis quod specificat se habet per modum qualitatis.

2 Contra hoc respõsum sic arguitur: ergo sequitur quod genus, & quodcunq; superius predicetur in quale de suo inferiori, quod est falsum: falsitas ex definitione generis manifestatur, in qua dicitur genus predicari in quid: cõsequutio probatur per Arist. in lib. 2. de physico auditu, in textu vbi inquit quod omne superius se habet semper vt forma respectu quidditatis inferioris.

3 Præterea si Differentia predicatur in quale, ergo sequitur quod definitio predicetur in quale: sed consequens est falsum, ergo & antecedens: falsitas patet ex Aristotele in libro primo topicorum, cap. quarto vbi ait, quod terminus siue definitio est oratio indicans quod quid est: consequẽtia sic probatur,

vnumquodque denominatur magis ab actu, quam à potentia ex 2. lib. physicorum tex. 11. sed Definitio constat ex genere, quod se habet vt potentia, & ex differentia, quæ se habet vt actus: ergo definitio magis à differentia, quàm à genere, recipit modum prædicandi.

4 Præterea si Differentia predicatur in quale, ergo differentia est qualitas: quod est falsum sicut elicitur ex predicamento substantiæ: consequentia probatur, quia predicari in quale non competit nisi qualitati.

In contrarium est authoritas Porphyrij in litera, asserentis Differentiam in quale predicari.

Ad solutionem horum argumentorū, meminisse oportet, ea quæ sepius in hoc capite pertractauimus, videlicet, quod Differentiarum, aliæ sunt differentiæ per accidens: aliæ per se: vlterius differentiarum per se, adhuc sunt duplices, quædam sunt de genere substantię vt quę speciem in genere substantię constituunt: & quędam de genere accidentis, vt quæ in genere accidentis propriā speciem conficiunt: modo quamuis omnibus differentijs, tam per accidens, quàm per se, tam genere substantiæ, quàm de genere accidentis conueniat prędicari in quale; tamen specialis dubitatio circa differentias de genere substantiæ consistit; quomodo videlicet his competat in quale predicari, de illis, quorum sunt differentiæ.

Sit aliud notādum ex Scoto in quest. vigesima octaua Vniuersalium, & sumitur ex Aristotele in libro secundo de anima; quod sicut actus est duplex, vnus qui dicitur actus primus, & est ille qui facit ens simpliciter in actu: alter qui dicitur actus secundus, qui prẹsupponit ens in actu, & tantùm facit ens in actu tali: ita duplex est forma, siue qualitas, & ita à duplici qualitate, duplex est modus qualis: & est ac si dicat, quēadmodum actus est duplex, vnus substantialis, à quo vnumquodque recipit simpliciter esse, exempli gratia, forma hominis, à qua homo recipit simpliciter

A ter esse, dicitur actus primus: alter est accidentalis; verbi gratia, operatio, quę ab illa forma originatur, & à qua homo denominatur qualis: ita qualitas est duplex, vna substantialis, quæ pro tanto dicitur qualitas, non quia ex suo genere sit qualitas, sed quia se habet ad modum qualitatis, & qualificantis: alia est accidentalis, quæ est pura qualitas, & de genere accidentis: in proposito differentia sumitur à primo actu; & quamuis ex sua natura sit sub-

B stantia, tamen dicitur qualitas, quia se habet per modum qualitatis, & qualificantis, respectu illius speciei, cuius est differentia: hinc Aristoteles in libro quinto metaphysicæ in textu decimo nono, loquens de quali, inquit, quale dicitur vno modo Differentia substantiæ, vt puta quale Animal homo; quoniam bipes; tanquam differentia, quę secundum substantiam, qualitas sit.

Sit tertium notandum: Aristoteles in libro septimo topicorum, capit. se-

C cundo in explicatione loci decimi noni loquens de definitione, & illius partibus, habet hęc verba, nam si terminus, hoc est, definitio, est oratio, quæ quod quid est esse rei, indicat; oportet & ea, quæ in termino ponuntur, in eo quod quid est, de sola re predicari: predicantur autem sola in eo quod quid est, genera, & differentiæ; ex quo loco sumitur, quod si definitio predicatur quidditatiuè de specie; & partes definitionis predicantur quidditatiuè de

D specie, ac per consequens differentia predicatur quidditatiuè, de illo, cuius est differentia: idem asserit in eodem libro in explicatione loci trigesimi primi. Sed ipsemet Aristoteles in libro quarto topicorum, in declaratione loci octuagesimi primi, loquens de differentia, inquit quod differentia qualitatem generis semper significat: ex quo sumitur differentiam predicari in quale de eo, cuius est differentia; quod apertius affirmat in libro quinto metaphys. in text. decimo nono, vbi differentiam substantiæ, qualitatem appellauit.

Sit quartum notandum substantia est triplex: prima est substantia secundum rem,& secundum modum simul, & hoc modo entia quæ ponuntur in recta linea predicamentali de genere substantiæ sunt substantia: alia est substantia secundum modum tantùm, sed non secūdum rem; & ita accidentia in abstracto sumpta; dicuntur substantia, quia cum secundum rem sint accidentia; tamen per se significant, & separata considerātur,& sic habent modū substantię: quædam secundum rem sunt substantia, sed non secundum modum: & ita differentię specierum de genere substantiæ sunt re vera substantia; sed non secundū modum, quia sic induunt naturam & modum qualitatis,tùm respectu generis,ad quod se habent sicut actus determinās: tùm respectu speciei,ad quam se habent tanquam primus actus dans ei esse & rationem: & quia omnis actus actuans & perficiens,& si sit de genere substantiæ, induit qualitatis modum,hinc est, quod differentia substantialis ab Aristotele qualitas appellatur.

Sit aliud notandum aliquod predicari de aliquo in quale, dupliciter contingit,vel secundum rem, vel secundū modum;illud predicatur in quale secundū rem, quod re vera est accidens: at illud predicatur in quale secundum modum, quod cum sit substantia, tamen qualitatis modum induit:his positis, elucidentur nunc conclusiones.

Igitur sit prima conclusio, Differentiæ de genere substantiæ, re vera predicantur in quid de specie, cuius sunt differentiæ.

Hæc conclusio est omnibus receptissima,ex authoritate Aristot.in lib.7.topicorum quoniam cum definitio predicetur quidditatiue de eo, cuius est definitio, ergo vtraque pars predicabitur quidditatiuè,de eodem; partes verò definitionis sunt proximum genus, propriaque differentia,ait Arist.in lib 6 topic.in explanatione loci 31. quare &c.

Contra hanc conclusionem, est authoritas Aristotelis in predicamentis in

A cap.de substantia, vbi loquens de assignatione primarum substantiarum, inquit: quod quidquid quis assignauerit de aliquo homine,præter genus, & speciem, extraneè assignauerit, ergo differentia,cum non sit neque genus, neque species,extraneè predicatur & nō quidditatiuè.

Ad hanc obiectionem Caietanus ibidem respondet, quod Aristoteles non adhuc distinxit differentias substantiarū ab ipsis substantijs; imo cum secundum

B rei veritatem non sint alię res, à rebus quarum sunt differentię, non comprehenduntur inter ea, quæ extraneè assignantur: imo quia differentię,& actu,& intellectu includuntur in specie, cuius sunt differentiæ; ideo in natura speciei, eas comprehendit.

Sit secunda conclusio, Differentiæ substantiales, secundum modum predicantur in quale:probatur conclusio, eadem ratione, qua Porphyrius in textu vtitur: illud predicatur in quale, quod

C respondetur ad interrogationem factam per quale: sed interroganti quale animal est homo, respondetur rationale, quod est differentia, ergo predicatur in quale.

Circa quam conclusionem. est notandum, quod Porphyrius non ab rè apposuit in textu illam particulam, quid; dicendo differentiam predicari in quale quid;vt ostenderet quod Differentia nō prędicatur in quale simpliciter, sicut proprium & accidens,sed in quale essen

D tiale, quia cum sit substantia, & secundum rem predicetur in quid; secundum modum tantùm in qualę dicitur.

Pręterea notetur aliud, quod omnia predicata vniuersaliter dicunt quodāmodo qualitatem respectu subiecti, eo quod se habent vt forma respectu illius: hinc genus & differentia,quia vtrunque est prędicatum speciei, ideo vtrunque dicit qualitatem,modis tamen diuersis: nam differentia respectu generis, habet se sicut actus determinans & informans illud,& omnis actus,qui se habet vt determinans, prædicatur in quale. genus

verò

verò respectu speciei, habet se vt forma, non vt quidem speciei rationem determinans, sed sicut quidditas totaliter determinata, ideo respectu speciei quamdam qualitaté designat: & hoc est, quod Aristot. in cap. de substantia dicebat, secundas substãtias significare quale quid: his dictis, ad argumenta nunc respondeatur.

Ad primum conceditur differentiam substantialem, predicari in quid secundum rem, & in quale secundum modũ, vt dictum est.

Ad secundum similiter admittitur genus, & omne superius, importare quodammodo qualitatem respectu inferiorum, vt paulò superius explanatum est.

Ad tertium negatur consequentia: ad cuius probationem, negatur quod definitio accipiat modum predicandi à differentia: Etenim definitio non accipit modum predicandi, ab aliqua suarum partium, sicut neque species: sed habet modum predicandi in quid, quia totam naturam speciei explanat.

Ad quartum conceditur, quod differentia sit qualitas secundum modum, & ita secũdum modum predicatur in quale, vt dictum est: & secundum rem, predicatur in quid.

Contra si Differentia predicatur in quid, & non per modum quid: ergo illud quod predicatur, & modus sub quo predicatur opponuntur: quia modus est predicari in quale, quod opponitur ad predicari in quid.

Ad hoc respondet Scotus, negando consequentiam, quoniam quid vt res & quale vt modus non opponuntur: sed res rei, & modus modo opponitur: hæc sint satis.

Disputatio nona de differentia.

An Genus à materia, & Differentia à forma sumantur.

A

Dilucidatio I.

Genus & Differentia non sunt materia & forma speciei secundum rem, sicut Gandauensis authumat, sed sunt formæ & materiæ proportionalia vt Alexãder & D. Thomas benè inquiunt.

B

PORPHYRIVS in hoc capite, explanans, quo modo differentia predicatur in quale, ex artificialibus exemplum sumpsit, ac dixit, quod quemadmodum statua ex duobus conficitur, ex ære tanquam ex materia, & ex figura tanquam ex forma: ita homo communis, id est species, ex genere tanquam ex materia, & ex differentia tanquam ex forma, proportionaliter tamen, constituitur: quapropter quemadmodum ad interrogationem de statua, quid sit, respondetur
C
materia; v g. æs, & ad aliam, qualis sit, vel quale es, respondetur æs tali figura figuratum: ita quando de aliqua specie; v g. de homine, queritur quid sit, respondetur genus, nempè Animal & quãdo subditur quale Animal, respondetur Differentia, scilicet rationale: ex his occasione accepta, dilucidandum est, quo nam modo genus à materia, & differentia à forma sumatur: hoc ipsum in his verbis insinuasse Porphyrius videtur, & est apertissima sententia Aristot. in lib. 8. met.
D
in textu 9. & 15. & à quo Porphyrium sumpsisse nemo ambigit.

Sit igitur primum notandum: sicut in compositione reali, in qua propriè loquendo, est vna compositio, si ex componentibus fiat vnum per se, duo assignanda sunt, vnum quod est purum possibile puta materia, & aliud quod est actus, puta forma, exempli gratia, in homine quod est quoddam reale compositum, duo sunt, nempè materia quod est corpus, & forma quę est Anima; ex quibus fit vnum per se: pari modo sicut

Arist.tùm in lib.7.met. text.41. tum in lib.8.text.15. insinuat, in omni composito rationis, in quo Differentia cum genere compositionem facit, & ex quibus fit vnum per se,vt S.Tho.in lib.2.contra gentes in c.95.dicit;est aliquid quod est proportionale materiæ,& aliquid, quod est proportionale formæ: primum, rationem potentię, & alterum rationem actus habet.

Sit secundum notandum ex Diuus Thomas in prima parte questione tertia artic. quinto, & questione quinquagesima artic. secundo ad primum & in libro secundo contra gentes capit. 95. & in tractatu de ente & essentia, cap.3. quod sicut in substantiis materialibus, ratio generis ex principio materiali sumitur, & differentia speciei à principio formali:quia in rebus ex materia & forma compositis, forma est quasi terminus, illud autem quod per eam terminatur est materia,vel materiale:diuersas enim perfectiones ordine quodã, materia recipit à forma vna, sicut diuersas formas apta nata est ordinatè recipere, ita quod sub vna perfectione cõparatur ad aliam,sicut potentiale ad actuale,vel perfectibile ad perfectionem, vel determinabile ad determinans: forma verò est, quę determinat potentialitatem materiæ,dando illi esse,& complementum: ita proportionaliter in composito secũdum rationem,quale est conceptus specificus,siue species, est aliquid locũ materiæ tenens, & aliquid vicem formæ habens: vnum quod habet rationem potentialis,perfectibilis,& determinabilis, & alterum,quod rationem actus, perfectionis, ac determinantis tenet: hinc fit vt dicatur genus in eo habere rationem materiæ,& differentia rationem formæ: Etenim genus quia ex sua natura est quid potentiale, imperfectum, ac indeterminatum, perficitur & determinatur ad hoc vel illud esse specificum, per hanc, & per illam specificam differentiam ei aduenientem, à quarum qualibet, diuersas perfectiones ordine quodam recipit: & quia aptum natum est
A diuersis differentiis determinari, non aliter quàm materia à diuersis formis determinetur, ideo dicitur genus rationem materiæ & differentiam, rationem formę habere.

Sit tertium notandum: quando Porphyrius in textu, assignat similitudinem inter materiam & formam ex vna parte, & genus & differentiam ex altera; non ab rè, sed notanter dixit sub disiunctione, rebus enim ex materia & forma, vel ad similitudinem proportionemque
B materiæ & formæ constitutionem habentibus: ratio est, quia vt iam insinuatum est, & paulo inferius, apertius explanabitur, genus nec speciei,nec differentiæ materia propriè est: & similiter Differentia,nec generis nec speciei, forma propria est: sed per quamdam similitudinem,ac proportionem, omnia sũt intelligenda, videlicet quod illud à quo sumitur ratio generis habet se vt materia, respectu illius à quo sumitur ratio formæ:hinc Alexander in lib.2.natural.
C quęst. cap.vltimo demonstratiue scribit genus esse diuersum à materia, & differentiam à forma: quod & Auerroes in libro primo met. comm.17. & in lib. 2. com.14.sentit: sed intelligitur genus cõparari ad differentiam, sicut potentia ad actum, & sicut materia ad formã: & hic est sensus verborum Arist.in lib. 8. met. in tex.15.quando inquit, genus sumitur à materia,& differẽtia à forma; & ex his apparet error Ioannis Gandauensis in lib.3.met.q.9.& lib.7.q.23.existimantis
D genus & differentiam esse principia speciei secundum rem,quia vt Auerroes in libro primo de anima comment. quinto & 1.phy.comment.28. quamuis genus & differentia sumantur à principiis quæ sunt in re, non tamen sunt principia realia rerum, sed secundum rationem tantùm.

Sit quartum notãdũ quãuis inter genus & materiam, differentiam & formã sit aliqua similitudo, verumtamen multiplex discrimen inter ea reperitur: similitudo, (vt partim dictum est) in hoc consistit, quod sicut materia in composi-

to naturali, habet se respectu formę sicut potentiale & perfectibile ad suum actum, & perfectionem: ita genus in composito rationali, id est in specie, se habet ad differentiam, tanquam perfectibile ad suam perfectionem: exempli gratia, natura sensitiua, à qua sumitur ratio Animalis, vel generis habet se, vt materia respectu naturę intellectiuæ, à qua sumitur differentia specifica hominis, scilicet rationale: determinatur enim esse sensitiuum per rationale ad esse hominis. & eodem modo natura viuentis, per sensitiuum determinatur ad esse Animalis: & natura corporis determinatur per animatum ad esse viuentis: ad modum, quo in composito naturali materia determinatur per formam ad esse huius, aut illius speciei: discrimina verò sunt hęc.

Primum explanatur prolixiori sermone à D. Thoma in tractatu de ente & essentia cap. tertio & in hoc consistit, quod materia vel forma vnumquodque eorum per se sumptum, non dicit totam rei substantiam & naturam, sed sicut materia est vna pars, ita forma est altera pars; qua propter non predicantur de composito in recto, ita vt sit verum dicere Socrates est corpus vel anima, sed in obliquo tantùm videlicet ex anima & corpore constat: sed genus & Differentia, vnumquodque eorum per se sumptum, totam speciei substantiam & naturam dicunt: Animal enim totam hominis naturam dicit, similiter & rationale, sed modo differenti: quoniam genus dicit id totum quod est in specie confusè & indeterminatè; nihil enim est accipere in homine, quod non sit in Animali implicitè contentum, ex illius enim forma quęcunque illa sit, siue anima sensitiua tantum, siue sensitiua & rationalis simul, prouenit sensus & motus: igitur quia genus dicit totam speciei substantiam, propter hoc predicatur de specie in recto, dicendo homo est Animal: similiter differentia dicit totam speciei naturam, sed distinctam & determinatam sub hac, aut sub

A illa specie; & quia dicit totum esse speciei, ob id differentia predicatur in recto de specie; dicendo homo est rationalis: & hoc est quod Sanctus Thomas ibidem inquit, genus non est materia, sed sumitur à materia, vt significans totum, & differentia non est forma, sed sumitur a forma, vt significans totum: vnde dicimus hominem esse Animal rationale; & non ex Animali & rationali, sicut dicimus eum esse ex corpore & Anima.

B Secundum discrimen tangit idem Diuus Thomas in libro secundo contra gentes capit. 95. & est hoc; materia & forma respectu compositi sunt duę res ab inuicem realiter distinctę: etenim anima & corpus realiter distinguuntur, quia pręter operationem intellectus sunt distinctæ realitates, anima enim non est corpus, neque corpus est Anima: sed genus & differentia non distinguuntur realiter: nam quando Differentia additur generi, non additur vt

C forma, vel vt natura distincta realiter à natura generis, sed vt determinatum indeterminato: ideo Diuus Thomas ibidem ait, Differentia non addit quandam extraneam naturam supra genus, sed est quædam determinatio ipsius naturę generis: vnde illius Asseclæ ferunt, quod eadem natura concepta indeterminatè fundat conceptum generis, at concepta determinatè, fundat conceptum differentiæ: ideo Sanctus Thomas in tractatu de ente capit.

D tertio inquit speciem non componi ex genere & differentia, sicut ex duabus rebus, sed sicut intellectus tertius ex duobus intellectibus, quod est dicere sed sicut ex re aliter intellecta, & ex eadem re, aliter intellecta.

Tertium & vltimum discrimen, quatenus ad rem nostram spectat, est quod singula composita non participant totam naturam & substantię materię; etenim ex vna parte materiæ constituitur vnum, & ex alia aliud: sed singulæ species totam generis substantiam participant, quæ per definitionem explicatur: vt ho-

vt homo per se, & Leo per se, totam animalis naturam participant, cum earum vnaquequæ sit substantia animata sensitiua: sed totam generis potentiam singulæ non participant, quia genus continet sub se omnes suas species, vt sæpius dictum est: & ex his satit liquet in quo proportio cõsistit materiæ & formæ per comparationem ad compositum, quod ex illis cõficitur, & generis & differentię per comparationem ad speciem, quæ ex his constituitur.

A

1 Sed contra aliqua dicta in his notandis oriuntur nonnullæ dubitationes, & primo quando dicitur quod ex genere & differentia fit vnum per se, secundũ rationem tamẽ quemadmodum ex materia & forma fit vnum per se, secundum rem. Contra arguitur ex illis non fit vnum per se, quorum vnum alteri non est, nec vnum eorum alterum participat: sed differentia non inest generi, dicente Porphyrio, Differentia est, qua species abundat à genere: nec etiam genus participat differentiam, vt ait Arist. in lib. *4* topicorum cap. *2*. & in lib. *7*. metaphys. textu *42*. ergo ex illis non fit vnum per se.

2 Præterea, ex duabus formis nõ fit vnum per se, sed genus & Differentia sunt duæ formæ, ergo ex illis nõ fit vnũ per se: maior probatione non eget: minor probatur, ex eo quod tàm genus, quàm Differentia predicantur in recto de specie, & omne predicatum respectu subiecti habet rationem formæ: vnde & Auerroes in lib. 1. met. comm. 17. vocat genus formam vniuersalem.

3 Præterea dictum est genus & Differentiam nõ distingui nisi ratione. Contra si genus extra intellectum est omnino idem cum Differentia, aut est idem cum vna tantùm differentia, aut cũ omnibus: si primo modo ergo genus predicatur de vna specie tantum, de illa scilicet cuius est differẽtia: si cum omnibus, ergo vel sunt tot naturæ genericæ quot sunt Differentiæ; vel omnes differentiæ conueniunt in vnam naturam genericã, & per consequens sunt idem inter se.

4 Pręterea Genus & Differentia sunt distincti conceptus, ergo sunt distincta obiecta: consequens probatur ex libro secũdo de anima, vbi dicitur quod actus per obiecta distinguuntur: antecedens probatur, si non essent distincti conceptus, ergo in conceptu generis includitur differentia, & è contra quod est falsum.

Ad primum conceditur maior, & negatur minor; ad cuius probationem respondetur quod genus dupliciter consideratur vno modo abstractè, & sic nullam differentiam actu includit, neque participat, nisi in potentia: alio modo. secundum quod contractum est ad aliquam speciem, & sic includit actu differentiam, quę de illius potentia educitur, atque ex ipsis species constituitur.

B

Ad secũdum distinguitur, quod actus est duplex, vltimatus seu finalis, & non vltimatus: tunc dicitur quod ex duobus actibus vltimatis non fit vnus per se, cũ quilibet eorum separet & distinguat, vt aię Aristoteles in lib. *7*. met. tex. *49*. at si vnus eorum sit actus non finalis, & est in potentia ad alium, vt ad formam vltimam, tunc ex his duobus potest fieri vnum per se: modo ad rem nostram genus importat actum non vltimum & finalem, sed generalem & potentialem, & ordinatur ad differentiam specificam, tanquam ad vltimum & completum actum: ideo Auerr. in lib. 1. metaphys. comm. *17*. appellauit genus formã mediam inter potentiam & actum, quia genus non est pura potentia, vt materia prima; nec actus, quia non exprimit vltimam formam; sed dicit naturam cum aliqua perfectione vlterius determinabili.

C

D

Ad tertium respondetur quod genus extra intellectum, est idem cum qualibet differentia: & tot sunt naturæ Animalis, quot sunt differentię, & species Animalium: dicitur tamen Animal esse tantùm vnum genus: quia intentio generis ei non attribuitur, nisi prout per intellectum abstrahitur ab omnibus differentijs. vt sæpe sæpius diximus.

Ad quartum negatur conſequentia: ad cuius probationem reſpondetur ſatis eſſe quod ipſa obiecta diſtinguantur formaliter: modo genus diſtinguitur formaliter à differentia & ita important diſtinctos conceptus.

1 Sed Contra has duas reſponſiones ſic arguitur: ſi genus dicit eandem rem cum differentia, ergo genus ſe ſolo ſufficit definire, & eſſet nugatio ſi addatur ei differentia, quod eſt falſum.

2 Item nullo intellectu conſiderante, natura generis eſt contrahibilis, & natura differentię eſt contrahens, ergo diſtinguuntur pluſquam ratione.

3 Si genus & differentia ſunt idem, ergo vbicunque eſt genus, erit differentia, & ita omne Animal erit rationale, quod eſt falſum.

Ad primum negatur conſequentia: quia ad definitionem oportet explicitè ſignificare omnia principia intrinſeca definiti; quod non facit genus: nec eſt nugatio, quia genus non eodem modo ſignificatur, quo Differentia, ſcilicet explicitè, etenim quod genus dicit indeterminatè, differentia determinatè ſignificat.

Ad ſecundum negatur antecedens, quia contrahere & contrahi ſunt tantũ actus rationis nec conueniunt rebus extra animam: ideo Animal extra intellectum non eſt contrahibile, neque rationale contrahens: nam contrahibile ſic, eſt natura communis, quæ nulli rei extra intellectum competit.

Ad tertium negatur conſequentia, quia argumentum procedit à non diſtributo ad diſtributum: ſicut non ſequitur Sortes & homo ſunt idem realiter, ergo vbicũque eſt homo eſt Sortes: quod ſi quis ad hanc materiam plura, & alia argumenta cupiat: videat Capreolum in primo ſent ſuper diſtinctionem octauã: & de preſenti dilucidatione hęc dicta ſufficiant.

Dilucidatio 8.

A Genus non ſecundum eſſentiam, ſed ſecundum ſuam potẽtiam diuiditur per differentias per ſe in ſuas ſpecies.

Text. Deſcribitur autẽ & hoc modo. Differentia eſt, quod aptum natum eſt diuidere ea, quę ſub eodem genere ſunt: rationale enim & irrationale, B hominem & Equum, quæ ſub eodem genere ſunt, quod eſt Animal, diuidunt.

SIcut in expoſitione ſuperioris textus inſinuauimus, plures actus differentiæ inerant, inter quos duo ſunt, qui principem locum ſibi vendicabant, quorum primus eſt genus diuidere, ſecundus verò propriam ſpeciem conſtituere: nam vt Ariſtoteles in locis pluribus docet, C quodlibet genus duabus primis differentiis contrarijs diuiditur, exẽpli gratia ſubſtãtia per corporeum & incorporeũ, Corpus per animatum & inanimatum diuiditur, vt in arbore Porphyrij liquidò apparet: ſecundus actus eſt, quod differentia generi adiuncta, ſpeciem vel ſubalternam, vel ſpecialiſſimam conſtituit: vt corporeum ſubſtantiæ adueniẽs, Corpus quod eſt ſubalterna ſpecies, cõſtituit, atque incorporeum cum eadem ſubſtantia, intelligentiam facit: rationa- D le Animali adiunctum, hominem qui eſt ſpecialiſſima ſpecies, conficit, irrationale vero cum eodem, brutum conſtituit: ex his fit ſatis manifeſtum, quod differentiæ, quæ diuidunt genus, oppoſitas ſpecies ſub eodem genere contentas cõſtituunt, & ab inuicem diſtinguũt, & ſeparant. iuxta hunc primum actum differentiarum per ſe, qui eſt genus diuidere, & ſpecies ſub eodem genere poſitas ab inuicem ſeparare, aſſignat Porphyrius in præſenti textu, tertiam differentię definitionem, dicens, quod Phyloſophi etiam hoc modo eam deſcribunt,

bunt, videlicet, Differentia est, quod est aptum natum diuidere ea, quæ sub eodem genere sunt. quod si quis quærat, quæ nam sint illa, quę sub eodem genere sunt; respondetur esse speciem, de qua in eodem capite dicitur, species est, quæ sub genere ponitur: ac subinde explanat quomodo differentię diuidant ea, quę sub eodem genere sunt, inquit. rationale & irrationale, sunt differentiæ per se, & diuidunt hominem & Equum, qui sub eodem genere, id est sub Animali, tanquam ipsius species collocantur. At dubitabit aliquis, cum prior actus differentiæ, sit ipsum genus diuidere, quod quidem prius facit, quàm quod speciem sub eo constituat, cur igitur in hac definitione, eam particulã Author dimisit, ita vt non dixerit, Differentia est, quod est aptum natum diuidere genus, & ea quæ sub eodem genere sunt, Respondetur, quod id, quod est prius, in suo posteriori semper includitur: & ideo quia Porphyrius explicitè ponit in textu, id quod est posterius, scilicet species sub eodem genere positas, ab inuicem diuidere, etiam insinuauit implicitè illud quod est prius, scilicet ipsum genus diuidere, ita Caietanus respondet.

Circa hanc definitionem notat Boetius, quod ipsa est multum vsitata: quia omnes differentiæ ideo differentiæ nuncupantur, eo quod ipsas species ab inuicem differre faciant, quas vnum & idem genus includit: Etenim homo & Equus secundum genus haud distinguuntur, quoniam sicut homo, ita & Equus est Animal, sed proprijs differentijs distribuuntur: rationale enim Animali additum hominem ab Equo distinguit; quapropter benè dicitur differentiam esse, quod aptum natum est diuidere ea, quę sub eodem genere sunt.

Præterea circa modum loquẽdi, quo Porphyrius in litera vtitur, notat Caietanus quod non ab rè ita dicit, differentia est, quod est aptum natum; & non dicit simpliciter Differentia est, quæ diuidit, &c. vt ex hoc modo loquendi insinuaret, quod actus diuidendi, non quomodocunque, vel ex aduentitio, & accidenti, sed ex sua intrinseca ratione differentiæ competit; est enim aptus ab ea omnino inseparabilis, & nulli alij communicabilis: ac propterea ad insinuandum, quod separare species sub eodem genere contentas conuenit differentiæ, prout differentia est, eo modo dicendi vsus est.

A

Vlterius sciendum, quod in hac definitione conuenienter apponitur illa particula sub eodem; vt ostendatur quod non quæcunque differentia, quascunque species distinguit & separat: etenim rationale, quod est differentia, non distinguit hominem ab albedine: sed quia differentiæ habent determinatas species, & hæ determinatum genus, vt in capit. 2. dictum est: & ideo vt vnusquisque doceatur, oppositas differentias, tantũ eas species distinguere, quę sub eodem genere continentur; ideo apponitur ly sub eodem, &c.

B

Item notandum ex Caietano, quod cum differentia sit apta nata diuidere non solum species sub eodem genere positas, sed etiam ipsum genus, diuerso tamen modo & hoc, & illas diuidit. etenim in quacunque diuisione duo repeiuntur, terminus à quo, & terminus ad quem: terminus à quo est illud vnum quod diuiditur, vt in proposito genus; terminus ad quem sunt partes, ad quas diuisio terminatur, vt species sub eodẽ genere positæ: verum est, vt alij notant, quod genus diuiditur etiam per accidẽtia propria specierum, alio tamen modo, quàm per differentias: per has etenim primò & immediatè genus diuiditur, at per propria secundariò, eo quod proprium presupponit speciem in esse iam constitutam, & per consequens ab alijs distinctam: nam risibile & hinnibile, & si non prioritate temporis, tamen prioritate naturæ supponit diuisionem Animalis in hominem & Equum, per rationale & irrationale, quę sunt specificæ differentię.

C

D

Sed contra hæc, quæ tam in textu, quàm

quàm in illius expositione dicta sunt, nonnullæ dubitationes oriuntur, & primo arguitur quod differentia non diuidat speciem cuius est differentia, ab alia specie: quia diuidere & constituere sunt actus oppositi, sed differentia constituit speciem, vt multoties dictum est, ergo non eam diuidit.

2 Preterea sicut forma se habet ad materiam, & ad compositum ex ipsis, ita differentia se habet ad genus, & ad speciem, quæ ex genere & Differentia componitur: sed forma diuidit actu tam materiam, quam compositum, ergo differétia diuidit actu tam genus, quàm speciem: & per consequens malè definitur per aptitudinem, cum in litera dicitur, differentia est, quod est aptum natum diuidere ea, &c.

3 Præterea, probatur quod species sub eodem genere positæ, per differentiam non distinguantur. Ea, quorum tota essentia est vna, habent eandem essentiam simpliciter, & per consequens non distinguuntur: sed diuersarum specierũ eiusdem generis, tota essentia est vna: ergo diuersę species eiusdem generis habent eandem essentiam simpliciter, & per consequens non distinguuntur: minor patet ex eo, quod genus dicit totam essentiam specierum, & est vnum in eis.

4 Præterea probatur, quod genus nullo modo diuidatur: nullum simplex est diuisibile, sed genus est quoddam simplex, ergo genus nõ est diuisibile. Quod si dicatur genus esse diuisibile secundum potentiam, & non secundum essentiam: Contra arguitur, & probatur, quod si genus sit diuisibile, etiam secundum essentiam diuidatur.

5 Quemadmodum potentia materię in materia fundatur, ita potentia generis in ipso genere radicatur: sed nunquã diuiditur potentia materiæ, quin & ipsa materia diuidatur, ergo nunquam diuiditur potentia generis, quin & ipsum genus diuidatur.

Ad horum argumentorum solutionem, notandum, quod hæc vox, diuidere, ex sua natura, tria importare videtur: A primum illud quod diuiditur; secũdum partes in quas diuiditur; tertium id quo diuiditur: & quia illud quod diuiditur, in partes diuiditur, necessariũ est, quod sit quoddam totum: igitur quia genus est id quod diuiditur; species sunt, in quas diuiditur; & Differentię per quas diuiditur; hinc fit quod genus rationem totius habet, species rationem partium possident; & differentiæ rationem, quasi cuiusdam instrumenti, (vt B ita dicatur) obtinent.

Sit aliud notandum; Totum est duplex, vnum quod essentiale, alterum quod totum potestatiuum nuncupatur; ita etiam duplex est totalitas, essentię videlicet, & potentiæ: & quia in genere vtraque reperitur, ideo genus erit totum essentiale, & potestatiuum, his visis dicitur, quod si genus consideratur, vt totum essentiale, sic nullo modo diuiditur, alioquin eius essentia etiam diuideretur, quod est falsum: C quoniam si diuersæ species sub eodem genere positæ, illius essentiam partirent; tunc vna pars essentiæ generis, verbi gratia, Animalis reperiretur in homine, alia in Equo, alia in boue, & ita species eiusdem generis, eandem generis essentiam non participarent: ex quo multa absurda suborirentur.

Primum, quod species sub vno genere non conuenirent.

Secundum, quod tota essentia & natura generis in singulis speciebus non D inueniretur.

Tertium, quod forma & essentia, quę in indiuisibili consistit, vt inquit Author sex principiorum diuideretur.

Quartum, quod genus non esset vnum in multis & de multis: & alia quæ à veritate extant aliena: etenim natura generis est tota in qualibet sua specie, & tota extra quamlibet illarum: Animalitas enim rationali coniuncta, est tota in homine, & irrationali adiũcta, est tota in bruto: vnde sicut homo non sibi vendicat vnam partem essentiæ Animalis; ita neque aliam partem Bos,

aut

aut Leo accipiunt; sed tota in omnibus, & tota in singulis suis speciebus reperitur.

Si verò genus consideratur, vt est totum potestatiuum, quia scilicet potestate quadam continet sub se suas species, quę partes potestatiuæ illius dicuntur, sic per differentias specificas sibi aduenientes, est diuisibile: nam cum illius potestas ad plures species extendatur, ad quas per differentias cõtrahitur; hinc fit, vt cum actu contrahitur & determinatur, quod illius potestas diuidi, & quasi tota postmodum, in suas partes, quæ eędem species sunt, resolui dicatur: & quia differentia specifica est, quæ ipsũ coarctat & determinat, & species ad quas ipsum genus terminatur, constituit in hoc vel illo esse specifico; hinc fit, quod & generis, & specierum sub eo positarum, diuisiua dicitur: ex his dictis quędam correlaria inferuntur.

1 Primum est, quod diuidere genus hoc pacto, nihil aliud est, nisi eas, quæ sub ipso sunt species, ab inuicem segregare, vti prius sub illius amplitudinis cõtinentia congregabantur: secundũ, quod in singulis speciebus tota generis potestas nequaquam reperitur, vt de illius essentia asserebatur; alioquin vnaquæque species, tot alias species sub se contineret: quot & ipsum genus continet: tertium, quod in singulis speciebus est aliqua pars potestatis generis, per quam, ipsum, adueniente specifica differentia ad eas contrahitur: quartum, quod genus ad vnam speciem contractum; v. g. ad hominem, ambitum potestatis suæ ammittit, per hoc quod ad vnam partẽ coarctata est, & non nisi ea, quæ sunt hominis naturæ participare potest: quintũ, quod omnes species simul, totam illius potestatem euacuant, vnde post modum in omnibus speciebus simul, tota generis potestas existit: his dictis superest modo, vt argumenta soluantur.

Ad primum respondetur, quod constituere vnam speciem, & eãdem ab alia distinguere non sunt actus oppositi, imo vnus alterum consequitur.

A Ad secundum dicitur, quod differentiam esse actu in genere duobus modis consideratur, vno modo prout ab illius essentia fluit, & quatenus genus est illius principium, & ita differentia non est in genere actu, sed potentia tantùm: alio modo vt ipsum diuidit, & ad determinatam speciem contrahit, & ita est actu in eo; nunc verò iuxta primam considerationem definitur, & ideo definitur per aptitudinem.

Ad tertium, quod elicitur ex D. Tho-
B ma in tractatu de ente & essentia, cap. 3. respondetur ex doctrina eiusdem ibidẽ, quod aliquid significat vnum dupliciter: vno modo per positionem vnius determinatæ rei significatę: alio modo per indifferentiam, seu indeterminationẽ plurium rerum importatarum: primo modo genus non significat vnum, sed secundo modo: illud enim primo significat vnum, cuius significatum secundum se acceptum, est vna aliqua natura, & determinata: sicut homo significat huma-
C nitatem, quæ est cærta & determinata natura, scilicet humana. illud autẽ quod significat vnum secundo modo, habet significatum, non aliquam determinatam naturam, sed plures naturas indeterminatè: sicut Animal significans perfectionem, seu naturam sensitiuam, non significat aliquam certam & determinatam naturam, siue formam: quia in vniuerso nulla est forma, quę sit anima sensitiua, sed quælibet est, vel bouina, vel leonina, vel humana: vnde in libro 7. phys. textu
D comm. 31. dicitur, quod iuxta genus latent multa: & in libro 10. metaphys. tex. com. 24. quod natura generis diuersa est in speciebus: concluditur igitur quod genus est vnum secundo modo: vnde ad formam argumenti dicitur; quod quorũ tota essentia est vna primo modo, eorũ est essentia eadem simpliciter: non autem quorum tota essentia est eadem, vel vna secundo modo: sicut est in proposito, nam genus non adunat totam essentiam suarum specierum, nisi vnitate indeterminationis.

Ad quartum solutio patet ex dictis, quod

quod genus secundum essentiam nō est diuisibile, sed secundum potentiam diuiditur.

Ad quintum respondet Paulus Venetus, quod ad diuisionem potentiæ generis, sequitur diuisio ipsius generis, non secundum suam essentiam, sed secundū communitatem predicationis: nam logicaliter loquendo, hic conceptus Animal, est communis pluribus animalibus per predicationem, ita vt verum sit dicere homo est Animal, Leo est Animal, &c. & ita de alijs speciebus, ad quas per differentias contrahitur: quod si quis quærat quomodo natura generis remaneat vna, quando per differentias diuiditur: respondetur quod remanet vna secundum esse genericum, & multiplicatur secundum esse specificum, quæ multiplicatio, nō aufert genericam vnitatem, alioquin tota essentia generis nō esset in qualibet suarum specierum.

Vel vt alij ad idem argumentum dicunt: neganda est similitudo inter diuisionem potentiæ generis, & potētiæ materiæ: nam argumentum non valet, ad diuisionem potentiæ materię diuiditur materia; ergo ad diuisionem potentiæ generis, diuiditur genus: quoniam vt in superiori lectione dictum est: singula cō posita ex diuersis partibus materiæ constituuntur: non ita de genere contingit, cuius natura tota in singulis suis speciebus reperitur; licet similitudo in alijs conditionibus consistat, vt ibi dictū est: neque etiam vnitas materiæ, & vnitas generis est eadē vnitas: quoniā vt Auerroes in libro 12 metaphys. comm. 14 ait, prima materia dicitur vna per remotionem omnium formarum; sed genus dicitur vnum per communitatem formę significatæ: & hæc sunt, quæ ad dilucidationem huius definitionis sufficiunt.

Disputatio decima de differentia.

A *An oppositio Differentiarū, vnius generis vniuoci, diuisiuarum; & specierum sub eodem genere, per illas differentias, constitutarum, sit vera oppositio contraria.*

Dilucidatio I.

B **Differentiæ eiusdem generis, sunt contrarię, contrarietate tamen imperfecta.**

ARISTOTELES Phylosophorum Princeps, in libro 2. primę Philosophię, textu secundo testatur, non solùm illis agendas esse gratias, quorum opinionibus, quis acquiescet, sed illis etiam, qui superficietenus dixerunt: nam etiam & hi aliquid conferunt; habitum namque nostrum exercuerūt. igitur quia in superioris textus explana- C tione dictum est, Differētiam esse, quod aptum natū est distinguere ea, quæ sub eodem genere sunt; & omnis diuisio fit per aliquod genus oppositionis: propter hoc quidam subdunt, meritò hoc in loco inquirendum esset, ad quod genus oppositionis reducantur Differentiæ generis vniuoci diuisiuę, & species per illas constitutę: & quoniam hoc quæsitum, hi superficietenus tetigerunt, nobisque oc- D casionem prestiterunt habitum nostrum exercendi, ideo gratias illis agimus, ac presens quęsitum dilucidare intēdimus: quod si ab expositoribus, super metaphysicam examinetur, nos tamen, quæ ab illis ibidem dicūtur, in hoc loco, in iuuenum gratiam compendiosè referemus: igitur quęsitum est hoc, an oppositio differentiarum vnius generis vniuoci diuisiuarum; v.g. corporeum incorporeum, animatum inanimatum, rationale irrationale, & reliquæ huiusmodi, sit oppositio contraria, & arguitur quod non.

1 Contraria sunt, quæcunque eidem simul

ſimul ineſſe nequeunt, & ſub eodem genere maximè diſtant, inquit Ariſtot. in lib. 5. metaphyſ. in cap. de eodem; & in lib. 10. textu 13. & in poſt prædicamentis; ſed Differentiæ vnius generis diuiſiuæ, eidem ſimul inſunt, & ſub eodem genere nequaquam maximè diſtant, ergo non ſunt contrariȩ: minor quò ad vtranque partem probatur: & primo quod eidem ſimul inſint, elicitur ex Porphyrio, qui in prima definitione differentiæ inquirens, vnde ſpecies habeat differentiam, qua abundat à genere, reſpondet quod recipit eam à genere, igitur cum genus diuidatur duabus primis differentijs, erit neceſſarium quod ſimul ei inſint: quo ad aliam partem, ſcilicet, quod non maximè diſtent, ex hoc manifeſtatur, quod ambæ de eodem genere prædicantur, quia verum eſt dicere, Animal eſt rationale, vel irrationale, Corpus eſt animatum vel inanimatum.

2 Præterea, Differentiæ ſpecificæ de genere ſubſtantiȩ, à formis ſpecificis originantur; ergo ſi ſpecificȩ Differentiæ ſunt contrariæ, ſequitur quod & ipſæ formȩ ſubſtantiales ſint contrariæ: ſed conſequens eſt falſum, ergo & antecedens: falſitas patet per Ariſtotelem tùm in prædicamentis cap. de ſubſtantia, tùm in lib. 5. Phy. vbi aſſerit, quod ſubſtantiȩ nihil eſt contrarium: conſequentia probatur, quia effectus contrarij, non niſi à contrarijs cauſis producuntur.

3 Prȩterea oppoſitio Contraria, ab oppoſitione priuatiua diſtinguitur, vt dicit Ariſtoteles in poſt prædicamentis in cap. de oppoſitis: ſed differentiæ generis diuiſiuȩ opponuntur priuatiuè, ergo nō ſunt contrariæ: minor probatur, nam incorporeum opponitur priuatiuè corporeo, inanimatum animato, irrationale rationali.

4 Si Differentiæ diuiſiuȩ generis, & ſpecierum ſub eo conſtitutiuȩ, opponuntur contrariæ: ergo ſequitur quod ſpecies de genere ſubſtantiȩ, per ipſas conſtitutȩ, (de his nunc fit ſermo) ſint contrariæ; v. g. homo & Aſinus: ſed conſequens eſt falſum, ergo & antecedens: fal-

A ſitas patet ex eo, quod ſubſtantiȩ nihil contrariatur; conſequentia probatur, quia formȩ conſtitutiuæ & contrariæ, non niſi contraria conſtituunt, &c. vnde in lib. 4. metheororum in textu 40. dicitur, Contrariorum contrariȩ sũt cauſæ.

Ad ſolutionem propoſitȩ difficultatis, ſit primum notandum: Differentiæ, diuiſiuȩ generis, ac ſub eodem genere ſpecierum conſtitutiuȩ, ſunt duplices: aliȩ ſunt de genere ſubſtantiæ, vt ſunt illæ, quȩ diuidunt aliquod genus de gene-
B re ſubſtantiæ, atque ſub eodem conſtituunt ſpecies ſiue ſubalternas, ſiue ſpecialiſſimas; vt corporeum & incorporeũ, quæ diuidunt ſubſtantiam: animatum inanimatum, quæ diuidunt corpus: ſenſitiuum inſenſitiuum quȩ diuidunt corpus animatũ: rationale irrationale quæ diuidunt Animal: etenim omnes hȩ differentiæ ſunt ſubſtantiȩ, & genus ſubſtãtiales diuidunt, atque ſpecies de genere ſubſtantiȩ conſtituunt: aliæ ſunt de genere accidentis, quæ aliquod genus de
C genere accidentis diuidunt, atque ſpecies ſub eodem genere conſtituunt; ſunt quȩ differentiæ per ſe in ſuo genere, nō minus quàm differentiæ de genere ſubſtantiȩ ſint Differentiæ per ſe, vt alibi dictum eſt: in preſenti tamē quæſitum eſt de Differentijs per ſe, diuiſiuis & conſtitutiuis, in genere ſubſtantiæ: an earum oppoſitio ſit vera oppoſitio contraria.

Sit ſecundum notandum Contrarietas eſt duplex, vna quȩ perfecta contrarietas dicitur: alia quæ imperfecta nun-
D cupatur: ad perfectam contrarietatem, quatuor conditiones principales requiruntur: prima, quod Contraria ſint duæ formæ poſitiuȩ, ſub eodem genere maximè diſtantes: hanc aſſignat Ariſtoteles in lib. 5. metaph. ca. de eodem, vbi dicit, Contraria ſunt, quæ ſub eodem genere maximè diſtant: ſecunda, quod ſint incompoſſibiles in eodem ſubiecto; hanc ponit idem Phyloſophus in poſt prædicamentis, in cap. de oppoſitis, vbi inquit, Contraria eidem ineſſe nequeunt: tertia, quod ſint acquiſibiles per motum, atque eidem ſubiecto actu exiſtēti, aptȩ

natȩ

A ratę ſucceſſiuè in eſſe: hæc elicitur ex libro quinto de phyſico auditu in textu decimo, vbi Ariſtoteles rationem reddit, quare ad ſubſtantiam non ſit motus: quarta, quod ſint actiuę & paſſiuæ ad inuicem, ita vt per actionem & paſſionem ab eodem ſubiecto mutuò ſe expellant; & hęc habetur in libro primo de generatione in tex. 51. vbi ſcribitur, faciũt autem, & patiuntur contraria ad inuicem, Contrarietas imperfecta eſt oppoſitio duarum formarum eiuſdẽ generis proximi, ſub eo maximè diſtantium, atque

B in eodem ſubiecto incompoſſibilium.

Sit tertium notandũ, Contrarietas imperfecta adhuc eſt duplex; vna impropria, quę ad quãcũq; oppoſitionẽ ſe extendit; etenim omnia quæ opponuntur quacũq; oppoſitione ſiue priuatiua ſiue perfectionis & imperfectionis dicantur cõtraria imperfectè & generali nomine, ea tantùm ratione quia cõmunis radix cõtrarietatis, quę eſt eccellentia & defectus inter ea ſeruatur: & hęc cõtrarietas

C etiã in genere ſubſtantiæ reperitur, vnde Ariſt. in lib. 1. phyſicorũ text. 52. dicit, in omni genere eſt vna cõtrarietas, quia in omni genere eſt exceſſus & defectus: & Auerroes in eodẽ lib. com. 41. & 43. inquit quod contrarietas dicitur quãdoq; de oppoſitis ſecundum priuationem & habitum: & in lib. 10. met. text. 15. habitus & priuatio dicitur prima contrarietas, quia omnis oppoſitio, quæcunq; ſit, extenſo nomine contrarietas nuncupatur: alia eſt contrarietas imperfecta, ſed

D propria & vera contrarietas, nõ ea ratione tantũ, quia cõmunis radix contrarietatis inter ipſa contraria reperitur, ſed etiam quia ſecundum ſuam entitatem poſitiuam, quam dicunt, & ex ſua intrinſeca natura, ſunt contraria: & ad hanc, tres conditiones requiruntur, prima quod ſint duę formæ poſitiuæ eiuſdem generis proximi; ſecunda, quod ſub eodẽ genere maximè diſtẽt; tertia, quod in eodem ſubiecto ſint impoſſibiles: & hæc dicitur contrarietas vera, quia habet has conditiones, quæ ad veram contrarietatem requiruntur: imperfecta tamen, quia reliquæ conditiones deſunt, nempe eſſe per motum acquiſibiles, atque ab eodem ſubiecto per actionem & per paſſionem mutuò ſe expellere, intelligendo de ſubiecto in actu exiſtenti.

Sit quartum notandum ex Ariſt. in libro 10. met. tex. 25. Contrarietas adhuc eſt duplex: vna quæ rationẽ & formã inſequitur, alia quæ ſubiectum & materiam comitatur: Contrarietas inſequẽs rationem & formam, arguit ſemper differentiam ſecundum ſpeciem: qua propter inquirens ibidem Phyloſophus, cur hic Equus ab hoc homine ſit ſpecie diuerſus, reſpondet quia in ratione eorum diuerſitas eſt: ſed Contrarietas quæ materiam inſequitur non arguit ſpecificam differentiam: vt maſculinum & fœmininum licet ſint contraria, tamen quia materiam inſequuntur, ideo ſpecificam differentiam non arguunt: vnde ibidem inquit Ariſtoteles, maſculus autem & fœmina, propriæ quidem Animalis paſſiones ſunt, ſed non ſecundum ſubſtantiam, verùm in materia & corpore: quare idem ſemen aliquam paſſionem paſſum, aut fœmina, aut Mas ſit: hinc Animal mas. v. g. homo non differt ſpecie ab Animali fœmina, ſcilicet à muliere. atque in libro ſeptimo metaphyſ. in tex. decimo ſeptimo, inquit Ariſtoteles, quod maſculinum & fœmininum diuidunt Animal, ſicut ſimum & non ſimum diuidunt naſum, & Equale & inæquale diuidunt quantum; quorum diuiſio, notum eſt, quod eſt accidentalis, & non ſubſtantialis: verum eſt tamen id quod quidam dicunt, videlicet, quod ſi maſculineitas & fœmineitas, comparantur ad ſuum genus quod diuidunt, nempe ad ſexum, ſic differunt ſpecie, vnde ſextus maſculinus à fœminino ſpecie diſtinguitur: ad rem autem noſtram, differentiæ vnius generis diuiſiuę, inſequuntur formam, & ideo quacunque oppoſitione opponantur, arguunt ſemper ſpecificam differentiam.

Sit quintum notandum: quamuis in arbore Porphyrij genera diuidantur

per differentias positiuas & priuatiuas: tamen Differentię priuatiuæ, neque secundum veritatem diuidunt, neque cōstituunt, vt supra in speciali quæsito dilucidatum est; sed ob vocum penuriam vel propriarum differentiarum ignorantiam, assumuntur priuatiuæ loco positiuarum: & ideo per differētias diuisiuas, nunc intelliguntur, illæ differentiæ positiuæ, quæ secundum veritatem genus diuidunt, & sub eo species constituunt, & quę per priuatiuas designantur: his positis, sit prima conclusio dilucidanda.

Oppositio Differentiarum diuidentium genus, est contrarietas: vel Differentiæ diuisiuę generis sunt contrariæ: hęc conclusio probatur primò Authoritatibus Aristotelis: nam in libro sexto topicorum in explanatione loci 29. habet hæc verba, Omne genus ijs (quæ è diuerso diuiduntur) differentijs diuiditur: Item in lib. 7. met. tex. 42. inquit, quod Differentiæ quibus genus diuiditur sunt contrariæ: & propter hoc genus nō participat differentias, quia tunc contraria participaret: item in lib. 10. metaphys. textu 24. intendens declarare ad quod genus oppositionis reducantur differentiæ, quæ sunt vnius generis diuisiuæ, & specificę, ita inquit: necesse igitur hanc differentiam generis diuersitatem esse: dico namque differentiam generis diuersitatem, quæ diuersum hoc ipsum facit. contrarietas igitur hęc erit: ergo oppositio differentiarum, est oppositio contraria.

2 Prętcrea ad eandem conclusionem, supposito quod Differentiæ diuisiuæ generis opponantur, quod ex duobus patet, primo quia omnis diuisio fit per opposita; etenim cuncta oppositis diuiduntur, inquit Phylosophus in libro decimo metaphys. tex. vigesimo quarto. secundò quia simul inesse nequeunt; ar-‑nitur hac ratione: Aristot. in lib. 5. met. de eodem & diuerso, & in post pre-‑. de oppositis, quatuor modos op‑assignat, nempè contradicto‑relatiuę, & contrarię: igi-‑ generis diuisiuæ oppo

A nuntur, aut opponuntur oppositione cō tradictoria, aut priuatiua, aut relatiua, aut contraria: sed neque contradictoria, neque priuatiua, neque relatiua oppositione opponuntur, igitur superest, quod contraria oppositione opponantur: maior per sufficientem diuisionem modorum oppositionis, ab Aristotele assignatam, manifesta est: minor quo ad singulas partes reprobatas probatur: non opponuntur contradictoriè, quia vnum contradictoriorum est per se, non Ens,
B vt ibidem Phylosophus docet, sed differētiæ generis diuisiuæ sunt per se ens: non priuatiuè, quia quęlibet differentia diuisiua, est ens positiuum, quamuis ob penuriam vocum per priuatiuas designentur, vt dictum est: non relatiuè, quoniam multa sunt genera entium absoluta, quæ per relatiua non diuiduntur: igitur à sufficienti diuisione superest, quod contraria oppositione opponantur. de hac conclusione consule Antonium Andream in lib. 10. metaphys.
C quest. penultima, Paulum Soncinatem in quest. vigesima quarta. Iandunum in questione decima nona. Iauellum similiter in quest. decima nona.

Contra predicta duo dubia insurgūt, quorum primum est cōtra suppositum, pro ratione cōclusionis, videlicet, quod differentiæ simul inesse nequeunt: nam quis dicet earum incompossibilitatem, non consurgere ratione oppositionis cōtrariæ, sed potius contradictoriæ in eis inclusæ, inquantum vna Differentia non
D est alia.

Altera dubitatio est quorundam existimantium oppositionem differentiarum reduci ad contrarietatem solùm ea ratione, quia priuatio & habitus sunt principia contrarietatis, vt Aristoteles in libro decimo metaphys. text. 15. dicit, & quia vna Differentia includit priuationem alterius, ideo contrariæ dicuntur: hanc opinionem habet Sotus in predicamento substantiæ, in questione secunda, in solutione quarti argumenti ad confirmationem secundam: inquit enim cum species eiusdem gene-

ris sint

ris sint perfectione inæquales, perfectissima quę est aliarum mensura, censetur vt habitus, & reliquæ imperfectiores habent se vt priuatio; & ex hoc concludit quod hę differentię non sint propriè cōtrariæ, nisi quatenus vna est alterius quodam modo priuatio: quæ sententia videtur etiam Iauelli, in quest. supra citata, qui propter eccellentiam & defectum, quę sunt communis radix contrarietatis, arbitratur differentias de genere substantię, esse ab inuicem contrarias.

Ad primam dubitationem respondetur quod nihil obstat, quia posita quacunque forma, in illa includitur alterius negatio ex eo quod vna non est alia: qua propter si duarum formarum incompossibilitas ex eo consurgeret, tunc nullæ duæ formæ diuersorum generum essent simul, quod est falsum; etenim in lacte est albedo & dulcedo, quarum vna alterius negationem includit, quia vna non est alia;& ita de multis alijs.

Contra secundam dubitationem ponitur hęc secunda conclusio; Oppositio differentiarum eiusdem generis est vera oppositio contraria: probatur sic, illa diuersitas est vera contrarietas, quę habet conditiones requisitas ad veram contrarietatem: sed diuersitas differentiarum eiusdem generis habet conditiones requisitas ad veram contrarietatem, ergo est vera contrarietas: maior probatione non indiget: minor probatur, ad hoc quod aliqua sint verè contraria, satis est quod sint duę formę positiuæ sub eodem genere maxime distantes, atque in eodem subiecto incompossibiles: & ita se habent differentiæ diuisiuæ eiusdem generis: ex qua conclusione apparet, quod hę differentiæ non dicuntur contrariæ, quia vna earum nempe perfectior, habet se vt habitus, reliquæ verò vt priuatio: quoniam hæc oppositio non est vera oppositio contraria, nisi sumendo contrarietatem largè, vt in notandis dictum est: & hęc conclusio est Ioannis Gan-

A dauensis, & etiam videtur ad mentem Pauli Soncinatis.

Sit tertia conclusio. Contrarietas harum Differentiarum, quamuis sit vera contrarietas, tamen est contrarietas imperfecta: Circa quam conclusionem est animaduertendum, quod aliud est, aliquam contrarietatem esse veram contrarietatem, & aliud est esse veram contrarietatem ac perfectam: nam ad hoc quod sit vera contrarietas, satis est quod sint duæ formę positiuæ sub eodem ge-

B nere maximè distantes, atque in eodem subiecto incompossibiles; sic in libro quinto metaphys. in capit. de oppositis. Aristoteles sentire videtur: sed ad perfectam contrarietatem, vltra has conditiones requiruntur & reliquæ in secundo notando appositæ, videlicet quod per motum acquirantur, atque ab eodem subiecto actu existenti, mutuò se expellant: quę conditiones in differentijs substantialibus non reperiuntur, quamobrem illarum contrarietas erit

C imperfecta: & ex his conclusionibus liquidò patet, quod oppositio differentiarum, est oppositio contraria, prout contrarietas ab alijs generibus oppositionis distinguitur, & est vera & propria contrarietas, licet imperfecta, vt explanatum est: sed quia harum conclusionum resolutio non modicam difficultatem affert, de speciebus, ac precipuè specialissimis, per huiuscemodi differentias constitutis, an oppositione eadem opponantur; ideo ne tanta verborum pro-

D lixitate, legentes tedio afficiantur, ad subsequentem dilucidationē differatur.

Dilucidatio 2.

Species generis diuisiuæ, non sunt disparatæ, sed contrariæ, contrarietate tamē imperfecta: & principalia argumenta in principio quæstionis posita diluuntur.

EX his, quæ in superiori dilucidatione explanata fuere, occasio non modica dubitandi præstita est, de speciebus sub eodem genere positis, an eadem oppositione, qua differentiæ eiusdẽ generis diuisiuę, opponãtur. Etenim Porphyrius in hoc capite verba faciens de differentijs per se, dixit, quod differentię per se sunt diuisiuę generis, & specierũ sub eodẽ genere constitutiuæ: quapropter merito dubitatur de his speciebus per has differentias constitutis quo genere oppositionis opponantur: cum enim genus non minus his speciebus, quàm differentijs diuidatur, necesse est eas aliqua oppositione ab inuicẽ opponi; cuncta namque oppositis diuiduntur, inquit Aristoteles in lib. 10. met textu 24. sed vt ea, quę dicenda sunt, facilius intelligantur, sumantur duæ species specialissimę sub eodem genere proximo positę; exempli gratia homo & Equus, & quæratur de ipsis, an opponantur contrariè, quod affirmatum, videtur absurdum, quia sũt cõpletissimę substantię, quibus nihil est contrarium, vt in eodem predicamento, & alibi Aristoteles testatur.

2 Præterea in superiori lectione dictum est. quod vera contrarietas siue perfecta, siue imperfecta est inter illa, quę sub eodem genere, maximè distant; sed homo & Equus sub Animali non maximè distant, ideo non oppositione contraria opponuntur.

Ad hanc motã difficultatem est multiplex modus dicendi. Paulus Soncinas in libro decimo metap. in quest. 24. distinguit, quod aliud est loqui de differentijs, & aliud de formis & de speciebus per has differentias constitutis: & subdit, quod quãuis differentiæ sint contrariæ vt dictum est: tamen ipsæ formæ à quibus sumuntur differẽtiæ, & species per has differentias constitutę, propriè loquendo, non sunt contrariæ, sed disparatæ: includunt tamen oppositioné contrariam, in quantum contrarijs differentijs constituuntur.

Sed fateor me haud intelligere posse, quomodo duo actus constitutiui disparitatem faciant, inter illa quæ constituunt: non enim apparet intelligibile, quod duo actus oppositi, & distinctiui, aliam oppositioné tribuãt, his speciebus quas constituunt, nisi eam quam inter se habent: igitur si ipsę differentię constitutiuę opponuntur contrariè, quomodo ergo inter species constitutas per ipsas disparitatem facient?

Chrysostomus Iauellus in eodem libro in q. 19. conclusione secunda asserit, quod duæ species generis diuisiuæ in predicamento substantiæ, sunt quemadmodum & ipsę differentiæ, contrarię, contrarietate tamen imperfecta, quę importat eccellentiam & defectum, vt patet de substantia corporea & incorporea, animata & inanimata.

At quoniam dictum est, quod Cõtrarietas, quæ eccellẽtiam & defectum designat, non est propria & vera contrarietas, nisi extenso vocabulo contrarietatis ad quacunque oppositionem, ideo hæc conclusio non conformatur conclusionibus in alia lectione assignatis.

Ioannes Gandauensis in eodem libro 10. meta. in quest. 19. inquit quod species vnius generis vniuoci, sunt contrariæ vera contrarietate, vt distinguitur ab alijs speciebus oppositionis.

Quod si quis arguat, quomodo in genere substantiæ est vera Contrarietas?

Distinguit, quod species de genere substantiæ duobus modis cõsiderari possunt, vno modo secundum formam, alio modo secundum materiam: si considerantur secundum materiam, sic non sunt contrariæ, quia contraria nata sunt esse in subiecto, & materia non est in subiecto: si autem considerentur ratione formę, sic sunt contrarię: & hoc est quod Auerroes in libro primo de physica auscultatione commento 52. inquit, nihil prohibet vt substantiæ secundum formã sint contrariæ, & non secundum subiectum: quod cõfirmat per Alexandrum dicentem, in substãtijs simplicibus, non autem in compositis contrarietatem reperitur: ac de substantijs cõpositis, inquit, Aristoteles intelligit,

quando

quando in predicamento substantiæ cõtrarietatem non esse, asserit.

Igitur pro huius difficultatis resolutione, sit prima Conclusio. Species diuisiuæ generis de predicamento substãtię, sunt contrariæ: probatur hęc conclusio authoritatibus Aristotelis tum in libro quinto met. cap. de diuerso, tum etiam in lib. decimo textu 24. quibus in locis inquit quod ea sũt diuersa specie, quę cum in eodem genere sint, contrarietatem habent, indiuidua existentia, idest vt sunt species specialissimæ: ita in vtroque loco exponit magnus Albertus: igitur ab Aristotele, dicuntur contrariæ.

Pręterea, quorum rationes sunt contrariæ, & ipsa sunt contraria, sed rationes specierum sunt contrarię, ergo & ipsæ species sunt contrariæ: maior propositio ex eo fit manifesta quod ratio est naturę rei indicatiua: minor est Aristotelis, in lib. 10. met. in text. 23. vbi inquirens, cur hic homo ab Equo sit specie diuersus; respondet quoniam in ratione eorum contrarietas est.

Sit secunda conclusio, Contrarietas specierum est contrarietas imperfecta: probatur ex his, quę in superiori lectione dicta sunt, videlicet, quod contrarietas perfecta est inter illa quę per motũ acquiruntur, atque ab eodem subiecto mutuò se expellunt: quę in speciebus non contingit.

Sit tertia conclusio, Cõtrarietas specierum, oritur in eis ratione differentiarum constitutiuarum, probatur; ipsæ differentiæ sunt contrariæ, vt in lectione superiori dictum est; ergo species per illas constitutæ, sunt contrariæ: vel igitur species sunt contrariæ ratione generis, vel ratione differentiarum: ex his enim species componuntur; non ratione generis quia in eo conueniunt; imo cum genus sit proportionale materiæ; secundũ materiam substantiæ nihil est contrarium, vt ait Auerroes: ergo remanet, quod ratione differentiarum sint contrariæ: quę differentiæ vicem formę tenent, vt sepe dictum est; & substantijs secundum for-

A mam inest contrarietas, per eumdem Auerroem, vt explanatum est: atque idẽ de speciebus est asserendum, quod & de Differentijs dicitur: pręter hoc, quod ipsæ differentiæ ex sua intrinseca natura habent quod sint contrariæ, quia sunt formæ positiuę sub eodem genere maximè distantes, atque in eodem subiecto incompossibiles: at ipsæ species ratione differentiarum constitutiuarum, dicuntur contrarię: his positis superest modo soluere argumenta, quę in principio superioris lectionis apposita fuere.

B Ad primum respondetur quod differentiæ insunt eidem generi in potentia; non autem in actu, quia tunc contraria participaret, vt inquit Aristoteles in libro 7. metaphysicæ.

Ad secundum conceditur consequentia, nempe quod ipsę formæ sint contrarię: ad Authoritatem phylosophi dicentis substantiæ nihil esse contrarium; respondetur quod Aristoteles loquitur de illa contrarietate perfecta, quę est inter

C qualitates; non autem negat de qualitate imperfecta iuxta sensum iam explanatum: vel dicatur secundum Alexandrum (Auerroe referente) quod Aristoteles dixit proprium esse substantię non habere contrarium, de substantijs compositis intellexit; & de his quæ sunt directè in predicamento; formæ autem, & differentiæ sunt in genere tantum lęteraliter.

Ad tertium negatur minor: quoniam sumuntur nunc differentiæ diuisiuę,

D quãtum ad entitatem positiuam, quam designant; quamuis ob vocum inopiam, priuatiuè nunc assumantur, vt dictum est.

Ad quartum conceditur consequentia, nempè quod species his differentijs constitutæ, opponantur contrarię: non ratione sui, quoniam substantiarum cõpositarum, proprium est non habere cõtrarium; sed ratione ipsarum differentiarum, vt dictum est: & ita huius totius lectionis sit finis.

Dilucidatio 9.

Tex. Assignant autem & hoc modo: Differentia est, qua differunt à se singula: namque homo & Equus secundum genus non differunt: sumus enim Animalia nos & Equi, sed additum rationale, disiunxit nos ab illis; & rationales sumus nos & Dij, sed mortale appositum disiũxit nos ab illis.

AD quartam definitionem differentię explanandam, penès quartum illius effectum, qui est distinguere ab inuicem ea, quorum est Differentia, nunc Porphyrius accedit: ad cuius definitionis notitiam, notãdum est, quod quemadmodum apud Phylosophos, naturalia entia in materia cõueniunt, eo quod illorum omnium, vna & eadem materia est, ex qua producuntur, vnde Auerroes in libro primo diuinę phylosophiæ, commento decimo septimo dicit in fundamento naturæ nihil est distinctũ: ac subinde ipsamet proprijs formis ab inuicẽ distinguuntur: exempli gratia metalla conueniunt in aqua, quæ in eis prædominatur, vt Aristoteles in libro primo de generatione docet, alioquin liquefactibilia non essent, sed proprijs formis postea distinguuntur, quia alia est forma auri, alia argenti, alia plumbi: ita apud logicos singulę species sub vno genere positæ, in eodẽ genere conueniunt, quod respectu illarum ad instar materiæ se habet, ac deinde proprijs differentijs, à formis specificis emanantibus, distinguuntur: iuxta hunc effectum; nunc Porphyrius differentiam definit, dicens, Differentia est, qua differunt à se singula, & est ac si dicat, differentia est quædam intrinseca forma constitutiua, qua singula ab inuicem distinguuntur: quod si quis petat, quæ sint illa singula, quæ per hu- A iusmodi differentiam distinguuntur: in cassum hi laborant, qui pluribus verbis ostendere conantur, Porphyrium nõ de singulis entibus nũc loqui; Etenim textus ex se satis clarus est, dum ait quod secundum genus non differunt; ex quo manifestat, quod de illis speciebus loquitur, quæ sub eodem genere continẽtur, & de quibus in præcedenti textu dixerat, differentia est, quod aptum natum est distinguere ea, quę sub eodem genere sunt: igitur cum dicit, Differentia est, B qua differunt á se singula, est ac si diceret, differentia est constitutiua forma, qua singulæ species, sub eodem genere positæ, ab inuicem distinguũtur: at quod hęc sit Porphyrij mens & intẽtio, ex his quę subdit, percipitur: nam inquit, quod huiusmodi singula, id est species, secundum genus non differunt, homo enim & Equus non differunt genere, cum eorum vterque sit Animal: sed rationale postea, quod est specifica differentia, generi adueniens, distinguit hominem ab C Equo, cæterisque brutis: vlterius homines & Dij sunt rationales, sed mortale hominibus additum, separat homines à Dijs, qui sunt immortales: igitur quia per specificam differentiam singulæ species sub eodem genere positæ ab inuicẽ distinguuntur, ideo penès hunc actum, qui est facere differre, conuenienter dicitur, Differentia est, qua differunt à se singula.

1 Sed contra hanc definitionem, duo dubia fieri possunt, quorum primum est D hoc, scilicet, quo nam modo, species sub diuersis generibus positæ; v. g. homo & planta, aut lapis distinguantur: de his enim quæ sub vno proximo genere continentur iam dictum est, quod per specificas differentias separantur, vt homo per rationalitatem distinguitur ab omni Animali, quod ratione caret, sed homo à lapide, vel à planta quomodo distinguitur?

Quod si dicatur hominem distingui à planta, per vltimam differeniam: Cõtra Differentia est, quod est aptum natum distinguere ea, quæ sub eodem genere pro-

proximo sunt, sed homo & planta non sunt sub eodem genere proximo, ergo non per propriam differentiam ab inuicem distinguuntur.

2 Altera dubitatio oritur ex quadam authoritate Arist. in lib. 10. met tex. 12. vbi habet hanc propositionem, Omne etenim quodcunque sit Ens, aut idem, aut diuersum est; quæ propositio sub his verbis communiter fertur, Omne ens, omni enti comparatum, aut est idẽ, aut diuersum: ergo vna species, alteri speciei eiusdem generis comparata aut erit eadem illi, aut ab ea diuersa: & ita nõ erit differens; & per consequens falsum est id quod dicitur, differentia est qua differunt à se singula: cum sint diuersa.

Quod si dicatur, Aristotelem sumere eo in loco diuersum extenso vocabulo, etiam ad ea quæ differunt: Contra hanc solutionem est idem Aristoteles tum in lib. 5. met. text. 15. cum in lib. 10. tex. 12. vbi magnum discrimen assignat inter differens, & diuersum; ergo non sumitur diuersum vt etiam se extendit ad ea, quę differunt.

Ad primum dubium respondet Burleus, quod species sub diuersis generibus positæ, distinguuntur ab inuicẽ per proximum earum genus; vt puta homo distinguitur à planta, vel à lapide, per hoc quod est esse Animal.

Contra solutionem Burlei sic arguitur, Aristot. in lib. 6. topicorum, & in libro 7. metaph. ait, quod omne definitũ differt à quolibet alio definibili per suã vltimam differentiam, ergo nõ per proximum genus.

2 Præterea, si solutio Burlei esset vera, ergo genus esset differentia: quod & si Burleus dicat, genus esse differentiam, sumendo differẽtiam largè: Cõtra tunc genus esset differentia communiter dicta, & tunc non essentialem, sed accidentalem distinctionem tantum faceret.

Dicendum igitur cum Paulo Veneto, quod species diuersi generis distinguuntur per se primo per vltimam differentiam conuertibilem, sed non immediatè, nam per se primo immediatè

A per vltimam differentiam distinguuntur species eiusdem generis: at per se non primo distinguuntur species diuersi generis, per differentias superiores contentas virtualiter in inferioribus: nam homo distinguitur à plãta per sensitiuum, à lapide per animatum, ab intelligentijs per corporeum, & ita de alijs dicatur.

Ad secundum dubium, sciendum ex Aristotele in libro 10. met. text. 12. quod inter differens & diuersum magna distinctio reperitur: nam ad hoc quod aliqua

B dicantur propriè differre, duas conditiones requirunt, quarum prima est, quod conueniant in aliquo communi, nõ analogo, aut proportionali, sed vniuoco, quod sit genus, vel species: altera est, quod habeant aliquid, quo distinguantur: Exempli gratia homo & Equus, dicuntur differentes quia conueniunt in genere, scilicet in Animali, distinguuntur deinde proprijs differentijs, scilicet rationalitate, & irrationalitate: Similiter Sortes & Plato conueniunt in spe-

C cie, scilicet in homine, distinguuntur postea materialibus conditionibus incommunicabilibus: & hęc omnia dicuntur propriè differre, quasi idem vel genus, vel speciem diuersimodè ferãt; quia idẽ genus per oppositam differentiam formalem ferunt; & eandem speciem per materiales & incommunicabiles differentias ferunt: sed illa dicuntur esse propriè diuersa, quę in nulla natura cõueniunt: quod dictum hoc modo intelligitur, quod non conueniunt in aliqua na-

D tura vniuoca: sed per propriam essentiã, ac seipsis primò, (nullo addito) distinguuntur: hinc Auerroes in lib. 8. meta. comm. 16. inquit prima genera, quę sũt decem predicamenta, esse primò diuersa; quia & si in ente conueniant, ens tamen vnam naturã non dicit, si quis enim prima entia vocet, equiuocè nũcupabit, inquit Porphyrius: & S. Thomas p. p. q. 3. art. 8 ad 3. & q. 90. art. 1. ad 3. eandem propositionem explanas, vnum scitu dignum subinfert, videlicet, necessarium esse, vt ea quæ differunt, sint quodammodo composita, eo quia in aliquo diffe-

runt, & in aliquo conueniunt: secus autem de his, quæ diuersa sunt: hinc simplicia dicuntur diuersa se ipsis: similiter & ipsæ differentiæ, quia alijs differentijs non differunt, ideo non differentes, sed se ipsis diuersę dicuntur, vt in hoc eodem capite ex eiusdem Diui Thomæ doctrina conclusimus: His notatis, ad propositionem Aristotelis, qua dicit omne Ens, omni enti comparatum, aut est idem, vel diuersum: Respondetur quod Aristotelis in illo loco non sumit diuersum stricto significato vt distinguitur contra differens; sed vt est commune ad differens, & ad diuersum propriè dictum: vnde diuersum in plus se habet quam differens: nam omne differens est diuersum, non tamen omne diuersum est differens: vt dicitur in libro decimo metaphys. textu vigesimo quarto & vigesimo quinto: vel vt alij dicunt: illa propositio, omne ens omni enti comparatum, vel est idem, vel diuersum, vel differẽs: vel id quo aliquid est, idem, vel diuersum, vel differens vt sunt ipsa idemptitas, vel diuersitas, vel differentia: quæ sunt principia, quibus aliqua sunt idem, vel diuersa, aut differentia: ideo hęc principia, non per aliquod aliud, idemptificantur, vel diuersificantur, vel differunt; alioquin in infinitum procederetur: de qua quidem propositione multa habentur apud Zimaram in theoremate 101. Iandunum in libro decimo metaphysicæ quest. octaua, Paulum Soncinatem quest. sexta, Iauellum quest. octaua, ac Scotum in sua metaphys. quæ dimittuntur à nobis, ne logicę limites per transeamus: satis nã que sit, intelligentiam de ea sumpsisse; quæ argumentum logicum diluisse videatur; & de præsenti lectione, hæc quæ dicta sunt, sufficiant.

Dilucidatio 10.

Tex. Exactius autem pertractantes ea, quæ ad Differentiam

A pertinent, dicunt non quodlibet diuidẽtium ea, quę sub eodem genere sunt, esse differentiam, sed quod ad esse conducit, & quod quid erat esse, & quod rei pars est. neque enim quod natum est nauigare, est hominis differentia, & si sit propriũ hominis. Dicere enim possumus Animalium hæc quidem

B apta esse ad nauigandum, illa verò minimè, diuidentes hominẽ ab alijs: sed aptum natum esse ad nauigandum, non est substantię completiunm, nec eius pars, sed aptitudo solùm ipsius: icirco quia non est talis differentia, quales sunt, quæ specificæ dicũtur differentiæ. Erunt ergo spe-

C cificę differentiæ, quæcunque alteram faciunt speciem, & quęcunque in eo quod quid erat esse accipiuntur. & de differentia quidem tot sufficiant.

ET si plures definitiones differentiæ, penes eiusdem plurimos actus fuerint assignatæ, nulla tamen illarum est, quæ imperfectionem aliquam haud patiatur: prima etenim, in qua dicebatur,

D Differentiam esse, qua species abundat à genere, sua dubitatione non caret, eo quod species, non tantùm differentia, sed etiam proprietate à genere abundat; homo namque non solum rationalis, sed etiam risibilis est, à quibus vtrisque genus abest. præterea nec secunda allata definitio, difficultate vacat; quia predicari in quale de pluribus specie differentibus, haud dubium est, etiam accidenti communi conuenire; nigredo enim tàm de Merulo, quàm de coruo, qui specie distinguuntur, predicatur in quale: tertia pariter dubia est,

cum

A cum multa sint, quæ non sunt differentia; & tamen genus & ea, quæ sub eodem genere sunt, ab inuicem separant, ita vt verum sit dicere Animaliũ aliud bipes, aliud quadrupes: quarta vlterius nec digna acceptione apparet, nam non solùm per differentiam singula à se differunt, verum etiam per propriam passionem, vtpotè si dicatur, quod homo per risibilitatem, à quocunque, quod non sit homo distinguitur: & Equus per hinnibilitatem, ab omni, quod naturam equinam non partici- **B** pat, seiungitur: igitur quia allatę definitiones, sua difficultate non carent; imo vnaquæque earum in dubium vertitur, eo quod actus, qui vniuscuiusque earum proprius videbatur; etiam proprijs passionibus inesse videtur: hinc est quod Porphyrius aliam definitionem assignat, quæ in ordine erit quinta, cuius particulæ si benè pensentur, omnem difficultatem euacuant, omnemque dubitationem è medio auferunt: dicit ergo **C** Porphyrius, quod Antiqui Phylosophi, considerantius exactius, subtiliusque differentiæ naturam, & quæ eam consequuntur: dicunt non quodlibet eorum, quod aptum natum est diuidere genus, & ea quę sub eodem genere continentur, esse differentiam: multa etenim sunt, quibus species eiusdem generis distinguuntur, vt si dicatur, Animalium quædam sunt apta nata ad nauigandum, vt homo; & quædam non, vt Equus: nam aptitudo ad nauigan- **D** dum, est hominis passio seu proprietas, & non differentia, & tamen distinguit hominem ab Equo: quapropter ad huiusmodi difficultates auferendas, aliam definitionem phylosophi excogitarunt; & est hæc: Differentia est quod conducit ad esse, & quod quid erat esse, & quod rei pars est: & est ac si dicat, illa est specifica differentia, quæ conducit ad esse, scilicet specificum, rem cuius est differentia: & quod quid erat esse, idest constituit definitionem. & est pars rei, id est speciei cuius est differentia, quia vt dictum est, species ex genere & differentia conficitur, quemadmodum compositum ex materia & forma constat: hinc cum aptitudo ad nauigandum, non sit completiua substantiæ rei, neque rem ipsam ad esse conducat, imo eam in suo esse iam constitutam supponat: fit manifestum, quod nec ipsa, neque alia proprietas, erit differentia specifica: tandem concludit Porphyrius, quod illa sit differentia specifica, quę alteram facit speciem, atque in illius ratione & definitione assignatur.

Circa quam vltimam differentię definitionem, quędam notãda sunt, ex quibus definitionis particulæ, & ipsa tota definitio, magis dilucidabitur.

Sit igitur primum notandum, quod reliquę definitiones, quæ in hoc capite assignantur, non tanquam male à Porphyrio reiiciuntur, eo quod à peripateticis assignatæ sunt: sed quia in singulis earum, aliqua particula est implicitè intelligenda, vel explicitè apponẽda, & vltima omnia apertè explanat, hinc est quod hanc vltimam Author magnifacit: attamen omnes perfectæ sunt, dummodo vna particula singulis addatur: nam prima, tertia, & quarta definitio, hac particula (primò, aut principaliter) indigent; vt sit sensus, Differentia est, qua species abundat primò à genere: Differentia est, quod est aptum natum diuidere primò, ea quæ sub eodem genere sunt: Differentia est, qua, singula à se primò differunt: & per hanc particulam excluduntur proprietates, quibus species vnius generis secundario distinguuntur: Similiter secunda definitio, vna particula indiget, videlicet, (essentiale) vt sit sensus, Differentia est quod prædicatur de pluribus specie differentibus, in quale essentiale; vnde multi textus legunt in quale quid; & per illam excluditur accidens, quod in quale simpliciter prædicatur: & hæc omnia Caietanus adnotauit.

Sit secundum notandum ex Aristotele in libro sexto topicorum, in explanatione locorum 30. & 31. quod regula

ad co-

ad cognoscendam differentiam specificam, est hæc: si assignentur aliquæ differentię quæ è diuerso diuidant genus, sed de ipso genere non verificantur, tūc neutra earum est generis differentia; quoniam omnes, quæ è diuerso diuiduntur differentię, de proprio genere verificantur: similiter si de ipso genere verificatur, sed ipsi generi apposita, cum eo speciem non facit, tunc non est specifica differentia, quoniam omnis specifica differentia generi adiuncta speciem facit: ex quibus locis elicitur, quod illæ sunt specificę differentię, quæ è diuerso diuidūt genus, & de ipso verificantur (quod dictum quomodo intelligatur in q. explanabitur) atque ipsi generi adiunctę, propriam speciem sub eo faciunt & constituunt.

Sit tertium notandum ex Caietano, quod Porphyrius in hac definitione, appropriato vocabulo vtitur cum apponit ly conducit ad esse: nam ex hoc verbo, conducere ad esse, ostenditur discrimen inter proprium & differentiam: nā proprium non conducit id cuius est propriū ad esse simpliciter, sed supponit illud in esse iam constitutum, v.g. risibilitas non conducit hominem ad esse hominis simpliciter, quia non cōstituit hominis speciem; sed cum à sua intrinseca natura profluat supponit ipsum hominem iam esse: sed Differentia non supponit, sed generi adueniens cōducit ipsum ad hoc & illud esse specificum: ita vt si differentia non esset; tunc genus nunquam haberet esse specificum.

Sit quartum notandum quando Porphyrius dicit in textu, quod differentia conducit ad esse, & est pars rei: quod Differentia alio modo conducit genus, ad esse, & alio modo speciem: non enim cōducit genus ad esse simpliciter, quoniā genus, priusquam Differentia adueniat, est simpliciter genus; sed quia ex sua natura est indeterminatum, & Differentia est, quę ipsum determinat, ad hoc & illud esse specificum, ideo dicitur quod differentia conducit genus ad esse determinatum: at ipsam speciem, quam con-

A stituit, conducit ad esse simpliciter, etenim Animal de se non est, neque homo, neque leo, sed aduentente propria differentia; v.g. rationalitate, fit simpliciter homo: quod si species & indiuiduum habeant esse per formam substantialem, tanquam per formam partis: attamē habent adhuc esse per differentiam tanquam per formam totius, quę predicatur in recto de illo cuius est forma, & propter hoc differentia distinguitur à forma, vt suo loco explanatum fuit.

B Præterea, quando dicitur, quod Differentia est pars, quod quid erat esse rei, per ly esse rei, duo intelligi possunt; primum est, esse essentiale speciei: & hic intellectus non consonat veritati, quia si differentia quo ad suum significatū formale consideretur, potius est totum esse speciei, quàm pars, alioquin non predicaretur de ipsa in recto, ita vt verum sit dicere, homo est rationalis. secundum quod per ly esse rei, intelligitur, est quidditatiua speciei definitio, quę ex proprio

C genere ac propria differentia conficitur: & iuxta hunc sensum intelligitur, quod Differentia est pars rei idest est pars definitionis rei; nec incongruè definitio appellatur esse rei, cum sit oratio illius explicatiua: quam quidem expositionem Ammonius, Magnus Albertus, & Caietanus habent. reliqua autem in quibus differentia formæ assimiletur, eidemq; dissimilis sit, in hoc capite apertissimè dilucidata leguntur: quæ verò ad huius capitis textuum explanationem ac in-

D terpretationem necessaria erant, dicta sint, & ita huic literę finis imponatur.

Disputatio vndecima de differentia.

Vtrum Differentiæ prædicentur per se de eo Genere, cuius sunt Differentiæ.

Dilu-

Dilucidatio I.

Argumenta ad partem affirmatiuam proponuntur: & tria fundamenta assignantur.

PVTARAM nunquam, cum dilucidationes huius opusculi cōpilare cepissem, vt ad tot disputationes, quę logici negocij limen superegredi videntur, descenderem: sed quia huius nostri libelli institutio ad perfectam Vniuersalium rationem habendam dirigitur, & eorū plures cognitiones ita inter se coherent & colligantur, vt vix vna aliqua citra aliam intelligi perfectè possit, iccirco factū est vt quam plures disputationes studiosis iuuenibus necessarias apposuerim: iam disputatū est in superioribus capitibus, genus & species non predicari predicatione per se de suis differentijs, vnde hæ radicationes Rationale est Animal, Rationale est homo, non sunt predicationes per se, idempticè tamen veritatē cōtinebant: superest vt ad plenam doctrinam, aliam disputationem de Differentia (& est 11. in ordine) addamus, videlicet, an Differentiæ predicentur per se de genere, cuius sunt Differentiæ, ita vt hæc predicatio sit per se, Animal est rationale, vel Animal est irrationale: & ad partem affirmatiuam authoritates & rationes adducuntur.

1 Primo, Aristoteles in lib. 6. topicorū in explanatione loci 30. inquit, quod si sunt aliquæ Differentię opposite, generis diuisiuæ, & de genere non verificātur, tunc neutra erit generis Differētia: omnes enim quæ è diuerso diuidunt differentiæ, verificantur de proprio genere: sed Differentias verificari de proprio genere, est de illo predicari, ergo Differentię de genere predicantur.

2 Præterea illud quod est de completiua ratione alicuius predicatur de ipso in primo modo dicendi per se: sed Differentiæ sunt de completiua ratione generis, ergo Differentiæ predicātur per se de genere: maior propositio habetur in lib. 1. post. c. 4. minor probatur authoritate Porphyrij ad calcem huius capitis, dicentis, Differentiam eam esse, quæ conducit Genus ad esse, ergo si conducit genus ad esse, videtur quod sit de cōpletiua ratione ipsius.

3 Præterea, Differentię sunt aptæ natæ diuidere formaliter genus, ergo sunt aptæ natæ predicari formaliter de genere: antecedens habetur in hoc eodem capite, vbi Author loquens de Differentijs per se, inquit quod hæ sunt secundum quas diuidimus genera in species: consequentia sic probatur, Diuiso genere per oppositas Differētias scilicet per rationale & irrationale, & formatur hæc propositio, Animal est rationale, tunc quæritur, Differētia Rationale, aut prædicatur de Animali per se, aut per accidens, si per se, tunc habetur quod quæritur & cessat omnis quæstio: si per accidens, ergo sequitur quod etiam de specie predicetur per accidens, quod est falsum, vt ex definitione Differentię notū fit, consequentia probatur per illam regulam ante predicamentalem, quando alterum de altero predicatur vt de subiecto: quæ regula est intelligenda quod predicatum eadem predicatione predicatur de inferiori, qua predicatur de superiori, sed Differentia predicatur de genere per accidens, ergo & de omni specie sub eodem genere positas, per accidens predicabitur.

4 Pręterea Differentię insunt generi in potentia, vt ait Porphyrius, ergo saltem in potentia de genere predicantur: sed omnis potentia est reducibilis aliquando ad actum, vt Aristoteles scribit in lib. 9. met. alioquin esset vana, ergo aliquando Differētia predicabitur actu de genere.

Ad intelligentiam huius quęsiti, sit primum fundamentum ex Porphyrio, quod cum nunc fiat sermo de Differentijs per se; hę sunt duplices, quędam sūt generis constitutiuę; v. g. animatum & sensitiuum, sunt quibus Animal constituitur;

tuitur; Animal etenim nihil est aliud, ni si substantia animata sensitiua: sed quomodo genus habeat differentias constitutiuas, non vt genus, sed quatenus species, in hoc capite iam explanatum est: & aliæ sunt generis diuisiuę, & specierũ sub eodem genere positarum constitutiuę: nam Rationale & irrationale diuidunt Animal, & constituunt species, népe hominem & brutum: præsens disputatio est intelligenda de Differentijs per se diuisiuis generis; & de his quæritur an predicentur per se de genere, cuius sunt differentiæ diuisiuę.

A

Sit secundum fundamentum ex Aristotele in libro primo posteriorum capite quarto. Modi perseitatis sunt quatuor: sed hi quibus predicatum predicatur per se de subiecto, sunt tantũ duo: primus omnium dignissimus est, quando predicatum est de intrinseca ratione subiecti: dicatur exempli gratia, Homo est Animal: Homo est Rationalis, Sortes est homo: hę predicationes sunt in primo modo dicendi per se, quia Animal, siue Rationale ingrediuntur intrinsecam hominis rationem; non enim est homo, quin sit Animal rationale, quemadmodum ex illius quidditatiua definitione omnibus est in confesso, ex quo fit vt genus & Differentia predicentur de specie, & species de suis indiuiduis in primo modo dicendi per se. Secundus modus est eorum, quę ita sunt in subiectis, vt subiecta sint de illorum definitione: quod est dicere, secundus modus dicendi per se est quando subiectum ponitur necessario in definitionem sui predicati; & sic omnes propriæ passiones, quæ ex principijs essentialibus speciei emanãt, in hoc secundo modo predicantur: nam si risibilitas definiatur, dicetur quod est hominis aptitudo ad ridendum: præsens quęsitum de vtroque modo existit, quãuis principaliori intentione circa primũ versetur. reliqui duo modi, de quibus pluries dictum est, nunc dimittantur; nã tertius est modus per se existendi, & quartus per se efficiendi, potius quàm sint modi predicandi, vt ex eodem capite innotescit.

Sit tertium fundamentum, Genus & Differentia dupliciter cõsiderari queũt, primo pro vt vnum est contractum per aliud ad vnam aliquã speciem, v. g. Animal est cõtractum per rationale ad speciem hominis, atque ex ipsis fit vnũ per se; species etenim ex proprio genere, & differentia propria conficitur, ita docuit Aristoteles in libro sexto topicorum in explanatione loci 31. & Porphyrius etiã in hoc capite per quandam comparationem ad artificialia demonstrauit: secundo considerantur, quatenus Genus

B

signat simplicem suppositionem, & simplicem conceptum, ab omnibus speciebus & differentijs abstractum: similiter & Differentia dicit alium simplicem cõceptum, & signat vnum gradum formalem, quo Genus ex sua natura indeterminatum, contrahitur & determinatur ad speciem, & vna species ab alia specie essentialiter distinguitur. primo modo Genus & Differẽtia sunt vnum & idem

C

secundum rem, quia propter vt sic, Differentia non est aliquid additum generis entitati: (oppositum tamen substinet Ioannes de Gandauo in quest. decima lib. 2. metaphysicę) & ideo penès hanc primam considerationem non proponitur presens disputatio, sed penes secundam, an scilicet Differentia quatenus dicit simplicem conceptum sub ratione predicati, & Genus dicit alium simplicẽ conceptum sub ratione subiecti, Differentia predicetur per se de genere, ita vt

D

hæc predicatio Animal est Rationale, sit in aliquo modo dicendi per se: sed modo huic dilucidationi finem imponamus, in sequenti conclusionem explanaturi.

Dilucidatio 2.

Differentias nõ prædicari aliqua prædicatione per se de Genere ostenditur: & affirmatiua argumenta soluuntur.

Aristo-

ARistoteles vir quidem ingenij subtilitate, ac rerum omnium sciētiæ perfectione longè omnibus Phylosophis antecellens & præstans, in libro primo Ethicorum cap: tertio, ita scribit: Vnusquisque ea rectè iudicat quæ cognoscit, atque eorum bonus iudex est: vnamquamque igitur rem benè iudicat, qui in ea; absolute vero omnia qui in omnibus eruditus est: Igitur si ipsemet Phylosophus, in omni scientiarum genere eruditissimus fuit; quid mirum si rectè iudicauit, probauitque Differentiam de genere predicari non posse? eruditissimus certè in Dialetica extitit, vnde Cicero quodam loco de eo scribit, cum omnis, inquit, ratio diligens disserendi, duas habeat partes, vnam inueniendi, alteram iudicādi, vtriusque Princeps, vt mihi videtur, Aristoteles fuit. imo eundem fuisse logicæ inuentorem, tradit Auerroes in prohemio suo physico ita scribens, Aristoteles tres scientias inuenit, logicam, naturalem, & diuinam: & nullus error inuentus est vsque ad hoc tempus, quod est mille & quingentorum annorum: & talem esse in vno indiuiduo, potius est miraculosum, quā humanum: at quod Aristoteles Dialeticæ doctrina præclarus, docuerit Differentias nulla predicatione per se de genere predicari, apertissimis verbis exposuit, tum in Topicis, tum in metaphysicis libris: ex quibus locis hæc conclusio affirmatur scilicet, Differentiæ non predicantur de genere.

1 Probatur, authoritate Phylosophi in libro sexto topicorum in explanatione loci 37. vbi habet hęc verba: Amplius si predicaretur de genere Differētia, vel species, aut inferiorum aliquid: speciei non erit definiens. nam nullum eorum quę dicta sunt, contingit de genere predicari, eo quod Genus de quā plurimis dicitur. Confirmatur ex libro septimo primę phylosophię in textu quadragesimo secundo, vbi ait, Genus etenim non videtur particeps esse differentiarum simul namque contrariorum idem participaret, Differentiæ namque A contrariæ, quibus Genus differt.

2 Præterea ad eandem conclusionem arguitur rationibus, sic, Conceptus generis est prior conceptu differentię: ergo Differentię non includitur in conceptu generis; ergo non predicatur de eo in primo modo dicendi per se: antecedens probatur Vniuersalius est prius minus vniuersali, sed Genus est Vniuersalius quàm sit Differentia, ergo Genus & illius conceptus, est prius quàm sit Differentia: minor patet ex il- B lis verbis ex sexto topicorum, scilicet eo quod Genus de quam plurimis dicitur: & confirmatur, omne diuisum est prius diuidentibus, sed Genus diuiditur differentijs, ergo genus est prius ipsis: prima consequentia probatur, prius non dependet à posteriori, sed si differentia includeretur in conceptu generis, tunc genus dependeret à Differentia, quod est falsum, quia vt sic ab omnibus abstrahit: consequentia altera est nota, ex eo quod predicari in primo modo C dicendi per se, est predicatum esse de conceptu siue de ratione subiecti, vt dictum est.

3 Præterea, si vna differentiarum est de ratione generis, ergo pari ratione & alia: non enim videtur maior ratio de vna, quam de alia: & ita rationale & irrationale erunt de quidditate Animalis, sed hoc est impossibile quod vna differentiarum sit de ratione generis: minor probatur; quidquid conuenit Generi in primo modo dicendi per se, D predicatur eodem modo de quolibet suorum inferiorum, exempli gratia animatum & sensitiuum predicantur de Animali in primo modo dicendi per se, ita etiam predicātur de qualibet specie Animalis de homine, de Equo, &c. & ita sequeretur quod rationale & irrationale simul, essent de ratione cuiuslibet speciei Animalis, quod est falsum.

4 Præterea, Si Differentia esset de quidditatiua ratione generis, quod est predicari de genere in primo modo dicendi per se; ergo in definitionibus

suarum

ſuarum ſpecierum committeretur nugatio, quod eſt falſum cõſequentia probatur, definiatur homo, & dicatur ſic, homo eſt Animal rationale: in hac definitione ponitur rationale expreſſe; & iam conceditur quod ſit de intrinſeca ratione Animalis, ergo bis ponitur rationale, ſcilicet ſemel explicite, & altero implicite: hanc concluſionem habet S. Thomas in libro primo contra gentes capite vigeſimo quarto, ratione quarta, vbi habet hæc verba: Rationale enim additum Animali acquirit Animali eſſe in actu: non autem conſtituit rationem Animalis inquantum eſt Animal; nam differentia non intrat definitionem generis. & Scotus in queſt. 25. Vniuerſalium; imo omnes peripateticæ doctrinę ſectatores in eandem ſententiam conueniunt.

Sed dicet aliquis, quamuis Differentia non predicetur de genere in primo modo dicendi per ſe: predicabitur de eo nihilominus in ſecũdo modo, & probatur ſic, Secundus modus dicendi per ſe, eſt quando ſubiectum ingreditur definitionem predicati; ſed Genus ſe habet ad differentiam vt ſubiectum ipſius, & ingreditur differentię definitionem; ergo differentia predicatur de genere in ſecundo modo dicendi per ſe: maior patet ex tertio fundamento prioris dilucidationis: minor quo ad ſingulas partes probatur; & primo quod Genus ſe habeat ad differentiã, vt ipſius ſubiectum; probatur authoritate Auerrois in libro ſecundo de anima, dicentis, quod genus demonſtrat materiam, & differentia formam, ſed forma ſubiectatur in materia, ergo & differentia ſubiectatur in genere: quo ad alteram partem ſcilicet quod Genus ingrediatur definitionem differentię probatur ſic, Differentia non poteſt intelligi ſine genere, ergo genus ingreditur differentię definitionem· conſequentia videtur nota: & antecedens probatur authoritate Ariſtotelis in lib. quarto topicorum in explanatione loci octuageſimi primi, vbi habet hæc verba, Nam qui dicit greſſibile, quiddam Animal dicit: qui vero Animal dicit, non dicit quale quiddam greſſibile.

Nihilominus hac ratione non obſtãte ponitur ſecunda concluſio Differentia non predicatur de genere in ſecundo modo dicendi per ſe: probatur ſic. Propria paſſio in cuius definitionem ingreditur ſubiectum, predicatur de illo cuius eſt paſſio, in ſecundo modo dicendi per ſe; ſed Differentia non eſt paſſio generis, ergo Differentia non predicatur de genere in ſecundo modo dicendi per ſe: maior eſt Ariſtotelis in libro 1. poſt. capit. quarto, minor eſt Porphyrij dicentis quod Differentia eſt forma ſpeciei, conducens genus ad perfectum eſſe ſpecificum.

Ad argumentum negatur minor quo ad vtramque partem: & ad primam reſpondetur quod Genus non eſt propriè materia, neque differentia eſt propriè forma, ſed ſecundum quandam ſimilitudinem, eo quod Genus comparatur ad differentiam, vt potentia ad actum, & vt materia ad formam. & hic eſt ſenſus Auerrois, vt colligitur ex com. 17. libri primi, & ex com. 14. lib. 12. met. vnde etiã Porphyrius vocauit Genus proportionale materiæ: & ad aliam partem negatur quod Differentia non poſſit intelligi ſine genere: ad illius probationem reſpondetur Genus & Differentiã duobus modis conſiderari; vno, quo ad modum ſignificandi & ſimplicem ſuppoſitionem vtriuſque & quia vt ſic differentia dicit ſimplicem conceptum diſtinctum à conceptu generis, ideo vt ſic poteſt intelligi ſine genere, alio modo quo ad rem ſignificatam, & quia Differentia dicit totum id determinatè, quod genus indeterminatè ſignificat, ideo penès hanc conſiderationem Differentia ſine genere intelligi nequaquam poteſt, vnde qui dicit greſſibile, dicit quoddam Animal, quamuis nomen differentiæ illud determinatè non explicet: nam illud nomen Greſſibile non explicat determinatè Animal, cum greſſibilitare, ſed habens eam; ſicut nomen differentię Rationale non explicat Animal cum

ratio-

rationalitate, sed habēs rationalitatem: his igitur dilucidatis.

Ad argumenta in initio disputationis apposita solutiones ferantur: vnde ad primum negatur minor scilicet Differentiam verificari de genere, est de eo predicari: etenim Differentias diuisiuas generis verificari de genere duobus modis intelligitur, vno quo ad predicationem formalem, ita vt Differentia predicetur formaliter de genere, & sic non est verū: alio modo quo ad constitutionem speciei, ita vt quando additur generi constituat cum eo speciem, & tunc dicitur Differentia specifica: & hic est sensus Aristotelis eo in loco, vt illæ differentiæ verificentur de genere ad constitutionem speciei, & dicantur differentiæ specificę, quę è diuerso diuidunt genus, & ipsi additę cum eo speciem constituunt: quod & Porphyrius ad calcem huius ca. dixit.

Ad secundum negatur minor; ad illius probationem respōdetur quod Differentiam conducere genus ad esse, dupliciter intelligitur, aut ad esse genericum, & ita non conducit genus ad esse, cum non sit illius forma: vel ad esse specificum & ita Differentia conducit genus ad esse: nam cum genus dicat de se naturam indeterminatam, tamē per formam determinabilem ad suas species: ideo quando additur ipsi differētia vna, contrahitur ad vnam speciem de qua essentialiter predicatur: & per additionem alterius contrahitur ad aliam speciem: & hoc modo dicitur genus conduci ad esse per differentiam, idest essentialiter determinari ad diuersas species, in quas diuiditur, & de quibus essentialiter predicatur.

Ad tertium negatur consequentia: ad illius probationem respondetur, quod Differentia predicatur per accidens de genere: sed predicari per accidens sumitur duobus modis: aliquando sumitur pro illo quod verè accidentaliter predicatur de aliquo; quę predicatio per accidens tribus modis contingit fieri, vt in libro primo posteriorum cap. 18. Aristoteles docet, vel quando subiectū pre-

A dicatur de accidente; vel quando accidens predicatur de subiecto, vel quando accidens predicatur de accidente: exemplum primi, hoc album est nix; exemplū secundi homo est albus: exemplum tertij, album est dulce, vel album ambulat: alio modo aliquid dicitur predicari per accidens, pro omni eo quod est extra quidditatem, & non fluit per se à quidditate: & hoc modo quādo inferiora accidunt suis superioribus, dicuntur predicari de illis per accidens: ad propositū

B dicitur quod differentia predicatur de genere per accidens, quia est extra quidditaté generis, & accidit Animali quod sit rationale: sed quando subiungitur, ergo Differentia predicatur de specie per accidens; tunc negatur consequētia, quæ teneret, si Differentia ideo predicaretur de specie, quia predicatur de genere, quod non est verum: non enim genus est ratio, secundum quam differentia predicetur de specie; sed primo & per se differentia de specie predicatur: regula vero illa ante

C predicamētalis, intelligitur quando vnum est ratio quod aliud de alio predicetur, vt Animal predicatur de quodam homine, quia predicatur de homine, vnde tenet consequentia quidam homo est homo ergo est Animal.

Ad quartum negatur consequentia, quoniam Differentia vt sic nullo modo neque actu, neque potentia est de ratione generis: & quamuis Differentia contineatur potestate in genere, secundum aliquod genus causæ, vt dictum est, non

D propter hoc est necessarium, vt in potētia predicetur de genere: non enim omne quod ab aliquo continetur debet de eo predicari, nisi contentum habeat se respectu continentis, tanquam formam substantialem vel accidentalem ipsius: & nullo horum modorum Differentia se habet respectu generis, cuius potestate continetur. predicatur tamen actu de specie quam constituit, & cuius definitionem quidditatiuam ingreditur, vt in libro septimo metaphys. textu 42. & 43. Aristoteles docet: & ita Differentiæ potentia ad predicari non est vana, cum ad

actum

actum reducatur: & in his dictis tota hęc disputatio terminatur.

De Proprio. Capitulum quartum.

Dilucidatio I.

Text. Proprium vero quadrifariam diuidũt, nam & id quod soli speciei accidit, & si non omni, proprium dicitur: vt homini medicum esse, vel Geometram.

POSTQVAM in tribus superioribus capitibus, Porphyrius determinauit de ijs predicabilibus, quæ essentialiter, ac substãtialiter predicantur, nec nõ eorum plenissimam doctrinam præbuit: nunc illorum predicabilium tractatum exorditur, quæ accidentario modo predicantur: verumenimuerò, quia predicatorum accidentalium, alia propria, & alia communia sunt, priori loco de his agit, quæ propria sunt, quem quidem ordinem cum seruet, nemini ambigendi locus relinquitur: etenim iure optimo factum est, inquiunt Ammonius & Boetius, vt proprium, principem locum sibi vendicet, tùm ex eo quod rei essentiam proximè sequitur, tãquam ex principijs essentialibus emanans; tum quia veriori modò quam accidens commune prædicatur, nam proprium vt Aristot. in libro 1. poster. text. 9. docet, propositionem in secundo modo dicendi per se cõstituit; tùm quia conuertibiliter predicatur de eo cuius est proprium. at priusquam ad literæ explanationem accedatur, sciendum quod proprium duobus modis sumi consueuit, vno modo vt opponitur improprio, quo pacto dicitur, quod homo propriè significat hominem viuum, impropriè autem hominem pi-

A ctum, & penès hanc acceptionem nunc non consideratur, alio modo vt opponitur communi, ita vt illud sit alicui proprium, quod alteri ab eo non competit, & penès hanc considerationem nunc sumitur. Igitur Porphyrius de Proprio, quod in ordine est quartum predicabile, determinaturus, diuisionẽ proponit, cuius singula membra exemplariter explanat: sed cur de eo definitiuè nõ agat, eo quòd ab Aristotele in lib. 1. topicorũ cap. 4. illius definitio obmissa nõ fuerit,

B Caietanus se nescire fatetur; hinc non desunt, qui Porphyrio vitio adscribant, eumque diminutum vocitent, quia Proprij definitionem missam fecit: ac neotericorum quidam, vt Porphyrium ab iniuria vindicent, ex multis trium priorum modorum conditionibus, definitionem Proprij quarto modo sumpti, colligunt: nam inquiunt, quod cum Proprium primi modi, soli speciei cõueniat & secundi modi, omni sub tali specie cõtento congruat, & demum tertij modi,

C in senectute semper insint, ex his inferũt quarti modi definitionem, vt proprium quarto modo sit illud, quod omni & soli, ac semper insit: verum hæc defensio ad hominem potius quàm ad rem esse videtur: quapropter, & fortè melius dicitur, sat fuisse Porphyrio, principalia ac necessaria definitionis insinuasse, dum dixit Proprium esse illud, quod conuenit omni, soli, & semper, vt homini esse risibilem: nam ex eo quod inquit inesse omni, & soli, & semper, insinuat ipsum

D esse vniuersale, ac per cõsequens de pluribus predicari. Igitur Porphyrius diuisiuo modo procedit, dicẽs quod Proprium non simpliciter id est nõ vno modo, sed quadrifariam sumitur: atque primum membrum diuisionis explanãs inquit, quod Proprium primo modo dicitur illud, quod alicui soli speciei accidit, & si non omni, & est ac si dicat, Proprium primo modo est predicatum accidentale, quod vni soli speciei cõuenit, sed non omni indiuiduo sub illa specie posito, imo in minori parte reperitur: quod exemplariter explanans ait, esse

medicum

medicum vel Geometram soli homini, vel humanæ speciei conuenit, sed non omni indiuiduo humanæ naturæ: etenim experientia omnium rerum magistra constat, quod inter Animantia solus homo, vel medicus, vel Geometra est, cum ipse solus virtute intellectiua vigeat, quæ ad scientias cōquirendas necessaria est; tamen non omnes homines, vel medici, vel geometræ sunt.

Sed quia esse medicum, vel geometram duo signat, nempe aptitudinem naturæ ad scientiam conquirendam, & actum seu habitum scientiæ adeptę; ideo dubitabit aliquis, an esse medicum vel Geometram sumatur à Porphyrio, primo aut secundo modo: quod si primo modo, igitur quia aptitudo & inclinatio ad scientiam, est homini naturalis, vt potè ex naturalibus principijs humanæ naturæ fluens, (dicente Aristotele in libro primo metaphys. omnes homines naturę scire desiderant, & Cicerone confirmante, omnes nos trahimur & ducimur ad cognitionis & scientiæ cupiditatem, quod quidem desiderium, aptitudinem naturalem supponit, alioquin vanum esset;) tunc sequitur quod esse medicum aut geometram, sit Proprium homini quarto modo, & ita omni indiuiduo cōuenit: quod si altero modo sumatur, tunc erit merū accidens, nam accidit Sorti esse medicū, quia ex natura speciei, sed ex mera illius voluntate ad studium applicata illud prouenire videtur.

Huius dubitationis resolutio, omnibus expositoribus est receptissima, quod esse medicum vel Geometram, sumitur nunc à Porphyrio, non pro aptitudine, quæ totam humanam speciem consequitur, & in omnibus indiuiduis reperitur, sed pro habitu vel actu: nam & si omnes homines, inclinationem naturalem ad scientias capescendas habeant, tamen pauci sunt, qui aut medici aut geometrę actu sint, vel alia scientia præditi; cuius rei ratio redditur ex eo, quod Proprium primo modo sumptum, non necessariò sed contingenter consequitur humanæ speciei naturalia principia, quæ propter non omni indiuiduo conuenit: sed vt hæc ratio faciliori modo percipiatur, sciendum ex D.Tho. in p.p.q.80. art.1. quod appetitus est triplex, scilicet naturalis, sensitiuus, & intellectiuus; naturalis rei naturam consequitur, sensitiuus cognitionem sensitiuam, & diuiditur per irascibilem & concupiscibilem, vt in quest. octuagesima prima artic. secundo idem S.Doctor explanat; intellectiuus sequitur cognitionem intellectiuam, & dicitur voluntas, siue appetitus liber, quo appetens in opposita potest: appetitus naturalis siue innatus est tendentia vel inclinatio rei, ab authore naturæ inclita, qua vnaquæquę res absque vlla præuia cognitione in propriam perfectionem propensa est, & à rei essentia non distinguitur, neque potentiam vel actum additum naturæ rei designat, (quod de appetitu sensitiuo & intellectiuo non dicitur, cum hi sint potentiæ, vel qualitates earum rerum quarum sunt appetitus) sed est ipsa rei natura, vt in suum proprium finem ordinatur & tendit, vnde appetitus terrę ad locum infimum, materię ad formam, & omninò omnium potētiarum ad propria obiecta sunt ipsæmet naturę prout in proprium finem inclinantur.

Hic appetitus naturalis duplex est; vnus impropriè & alter propriè dictus; impropriè dictus est quo res inclinantur in bonum materialiter, hoc est in id quod bonum est, siue conueniens, non tamen sub ratione boni, siue conuenientis; hoc modo sensus & intellectus feruntur in sua obiecta, sensus enim non fertur in sensibilia vt sunt bona sentientibus, (id enim propriè est appetitus sensitiui) sed vt sensibilia dumtaxat; nec intellectus fertur in intelligibilia, vt sunt bona intelligentibus, (est enim id voluntatis proprium) sed solùm vt intelligibilia sunt. Propriè dictus est quo res feruntur in bonum formaliter, hoc est in bonum sub ratione boni, quo modo appetitus sensitiuus & intellectiuus sua obiecta respiciunt; ille quidem

quia respicit sensibilia vt sunt bona sentientibus, hic autem intelligibilia vt sũt bona intelligentibus: ex qua distinctione fit notum, quod cũ dicitur terra appetit infimum locum, materia formam, sensus sensibilia, intellectus intelligibilia, illud esse verum per translationem tantùm; quoniam cum hæ potentię non appetant ea, vt bona sunt, ideo ea ratione appetere dicuntur, quia perinde feruntur in ea, ac si verum appetitum haberent. nunc autem ad rem nostram, quando Aristoteles affirmat, quod omnes homines natura scire desiderant, de naturali ac innato appetitu intelligitur propositio (an verò homines non modò innato appetitu, sed etiam elicito, scire naturaliter appetant; & si ferrariensis in commentarijs in primum librum contra gentes capit. quarto & Caietanus in p. p. questione septuagesima octaua articulo primo, & in questione octuagesima secunda, etiam de appetitu elicito, Aristotelis propositionem interpretari videantur, non est hic locus hanc difficultatem disputandi) quoniã homo ad cognitionem naturaliter inclinatur, sicut & quælibet res naturalem inclinationem ad propriam operationẽ habet: quę inclinatio naturalis, quia totam humanam speciem consequitur, ideo omnes homines natura scire desiderant. sed quia huiusmodi naturalis appetitus per intellectũ & voluntatẽ eiusdẽ hominis propriũ finem consequitur, qui intellectus à volũtate nõ necessario sed liberè mouẽte ad studia applicatur, inde fit quod esse gramaticũ vel geometrã, vel alio scientifico habitu ornatũ ab his principijs contingenter emanat; ac propterea nõ omni indiuiduo id cõpetit sed illi tantùm, qui suũ intellectũ per liberã voluntatem ad studium applicuit.

Sed verissimum est illud quod S Tho. tùm in lib. 1. contra gentiles c. 4. tùm in proemio met. scribit, videlicet, aliæ sunt causæ, á quibus homines retrahũtur, ne scientiarum habitum adipiscantur; quidam si quidem ob complexionis indispositionem, ex qua ad sciendum sunt naturaliter indispositi: quidam ex necessitate rei familiaris, ob quam ocio contemplatiuę inquisitionis vacare nõ possunt: alij ob pigritiam, qua laborem in acquirendis disciplinis effugiunt: alij propter delectationem sensualium voluptatũ, quibus maximè delectantur: quidam tandẽ ob diffidentiam, qua ad scientiarum culmen pertingere nõ posse timescunt. cõcludatur igitur quod & si naturalis inclinatio ad sciẽtias capessẽdas, aptitudoq; omnibus hominibus insit, tamen actualis siue habitualis scientia ob predictas causas paucis inest: quam ob rem cum Porphyrius in textu dicit, Proprium primo modo esse illud, quod soli alicui speciei accidit, & si non omni scilicet indiuiduo illius speciei, vt proprium est homini esse medicum vel geometram, ly esse medicum, vel geometram sumitur non pro aptitudine naturę ad scientiam conquirendam, sed pro actu seu habitu scientiæ iam acquisitæ.

Tex. Et quod omni accidit, & si non soli, quemadmodum homini esse bipedem.

SEcundum modum, quo Proprium dicitur, nunc assignat dicẽs, quod Proprium secundo modo est predicatũ accidẽtale, quod omni indiuiduo alicuius speciei conuenit, sed non illi soli speciei inest, quemadmodũ esse bipedem est homini Proprium, nam homo & omnis homo est bipes, tamen non cõpetit soli homini, quia multa alia animalia, vt volatilia sunt duos pedes habentia: quod si quis huius proprij rationem petat, dicatur quod Proprium hoc modo sumptũ consequitur necessario speciei principia communia omnibus indiuiduis illius, quapropter huiusmodi Propriũ omnibus indiuiduis inest: vlterius quia hæc principia ex dispositione materię & formæ ad suas operationes exercẽdas, quibusdam etiam alijs speciebus sunt communia, hinc prouenit quod non vni soli speciei, sed & alijs quibusdam inest.

1 Sed contra hunc secundũ modum sic ar-

fic arguitur, sunt multi homines, qui vt quandoq; videtur, vnum solum pedem habent, ergo Proprium secundo modo dictum, omni indiuiduo illius speciei non conuenit.

2 Preterea, esse bipedem est vltima hominis differentia, nam Arist. in lib. 1. peryher. ita definit hominem, quod est Animal gressibile bipes, sed differentia distinguitur à Proprio, ergo bipes nõ vt Proprium, sed vt differentia de homine dicitur.

3 Præterea arguitur quod esse bipedẽ nulli speciei sit proprium: omne Propriũ fluit à principijs alicuius speciei, sed esse bipedem non fluit à principijs alicuius speciei, ergo esse bipedẽ nulli speciei est propriũ: maior est omnibus receptissima; minor probatur, si esse bipedẽ fluit à principijs alicuius speciei, vel ergo speciei specialissimæ, vel subalternæ, per sufficienté diuisionem à Porphyrio positã; non à principijs speciei specialissimę, quia tunc esset Propriũ quarto modo, & ita vni soli speciei inesset, vt patet de risibilitate respectu hominis: neque subalternę quia maximè esset Proprium Animalis, & tunc omni Animali inesset, quod est falsum, ergo esse bipedem nullo modo est Proprium.

Ad primum respondetur, quod Proprium secundo modo dictum intelligitur prædicari de omni indiuiduo illius speciei remoto omni impedimento & casu; dicitur remoto omni impedimẽto, vt secludantur homines, qui vel ex infirmitate, vel ex abscissione non sũt bipedes; dicitur remoto casu, propter monstra, quorum aliqua, aut nullius, aut vnius, aut plurium quàm duorum pedũ sunt: de quibus monstruis Arist. in lib. 2. physicę auscultationis tractat.

Ad secũdum negatur quod esse bipedẽ sit vltima hominis differentia; ad authoritatẽ Aristotelis, respondetur, quod illa est quædam definitio per circumloqutionem vltimę differentiæ hominis, sed non est vera hominis, neque differentia, neque definitio.

Ad tertiũ respondetur quod Propriũ quarto modo & simpliciter, debet esse Proprium respectu alicuius speciei specialissimę, vel subalternæ; sed Proprium non simpliciter non oportet quod respiciat aliquam speciem: modo esse bipedẽ non est Proprium simpliciter, sed quia ex principijs communibus pluribus speciebus emanat, ideo est commune multis: vel dicatur cũ Arist. in lib. 1. top. c. 4. quod bipes est Propriũ ad aliquid, idest per comparationem ad quadrupedem; vt Proprium est homini per comparationem ad equum & canem.

Dilucidatio 2.

Tex. Et quod soli, & omni, & aliquando, vt homini in senectute canescere.

Satis superque in præcedenti lectione dilucidati fuere duo priores modi, quibus aliquod predicatum accidentale dicitur Proprium, videlicet, quod soli speciei sed non omni indiuiduo inest, vt esse medicũ vel Geometram: & quod omni indiuiduo, sed non soli speciei cõuenit, vt esse bipedẽ: nunc reliquos duos modos Proprij, nempe tertium & quartum Porphyrius explanare intendit: sed priusquã eorũ explanatio afferatur, hoc vnum sciendum est, quod quidã ad pauca respicientes de facili enunciarunt, vel Aristot. in lib. 1. topic. ca. 4. diminutum, eo quod tres modos tantùm Proprij assignauerit, scilicet Proprium simpliciter, Proprium aliquando, & Propriũ ad aliquid, vel Porphyrium in hoc loco superfluum, eo quod tertius modus vel à primo, vel à secundo, vel á quarto distinctus non videtur: sed quia hęc sunt infra examinanda, ideo nunc dimittantur: & quo ad præsẽtem textum dicatur quod Porphyrius in primis explanat tertium modum Proprij, & inquit quod Proprium tertio modo dictum est predicatum accidentale, quod vni soli speciei,

ac omni indiuiduo illius competit, non semper, sed in aliqua determinata temporis differentia, vt canescere, nulli alij animali, nisi homini accidit, & omni homini, non tamen omni tempore, sed in senectute: ratio autem si quæratur, cur Proprium tertio modo sumptum ita se habeat: respondeatur quod huiusmodi qualitas consequitur necessariò propria principia speciei, sub vna tamen ipsorum determinata dispositione; ratione primi omnibus indiuiduis speciei inest, quia & ipsa principia omnibus sub illa specie positis indiuiduis sũt communia; at ratione secundi non semper inest, sed in aliqua determinata temporis differentia, sicut de canicie in senectute dictum est.

1 At contra prædicta sic arguitur, Equi in senectute canescunt, ergo non soli homini est proprium: antecedens probatur apertissima authoritate Arist. in lib. 5. de generatione Animalium, nã in ca. 3. eiusdem libri habet hæc verba, homines senescentes capite canescunt; quod nulli ferè ex cæteris animalibus accidit manifestè, quãuis Equus euidentius quam cætera ita afficiantur: & in ca. quinto inquit, canicies in Equis maximè omnium Animalium, quæ nouerimus, innotescit, quod os in quo cęrebrum, tenuius quàm cætera pro magnitudine habeant, ergo canescere non soli homini est proprium.

2 Pręterea multi iuniores visi sunt in iuuentute canescere, ergo non est Proprium homini in aliqua determinata temporis differentia, scilicet in senectute, vt Porphyrius dicit.

Ad horum argumentorum solutionem explananda est caniciei causa, vt inde facilius cognoscatur cur canescere sit homini Proprium: Aristoteles in lib. 5. de generatione Animalium à capite tertio vsque ad quintum inclusiuè, causam inquirẽs cur homines canescãt, insinuat quod inter cętera Animalia, solus homo maximum cęrebrũ habet, idq; humidissimum; vnde fit consequens, vt super cætera animalia superabundans frigidi-

A tas ei insit, cuius signũ ex eo colligitur, quod in lib. 2. de anima scribitur, quod homo malè odorat: & ideo dũ calor naturalis in iuuentute, fortis ac potens est ad concoquendas cruditates, ad resoluẽdas putredines, ad humiditatem frigiditatemque temperandam, canicies non generatur: sed temporis processu, adueniente senectute quæ frigida est, ex inopia & exilitate caloris, generantur cruditates, putrefiunt humores, ex quorum putrefactione sequitur capillorum dealbatio, capitisque canicies: vt quod ex

B quadam putredine canicies generetur, indicium ponitur ab Aristotele in eodem lib. cap. quinto, quod pili, qui vel pileo, vel alio tegmine operiuntur cælerius canescunt, flatus enim putredinem prohibet, operimentum autem flatum arcet: ac tandem quanto naturę sunt imbecilliores, tanto celerius canescunt; quapropter ruffi cælerius quàm nigri, canos capillos habent, ruffitas enim imbecillitas quædã pili est, inquit

C Aristoteles, in eodem cap. 5. imbecillia autem quæquæ cælerius senescunt.

Verumtamen cum dicitur, Proprium esse homini in senectute canescere, intelligendum est vt plurimum: quia contrarium quãdoq; accidit, videlicet, quosdam iuuenes canescere, & nonnullos senio confectos, vel paruum, vel tarde, canos capillos habere: sed quod iuuenes canescant, à duplici causa oritur, aut ex illorum praua complexione, qualis est phlegmatica, & melancolica; phlegma

D etenim (non purum, quia hoc est primum nutrimentum, ex quo capilli non nutriuntur) sed magna transmutatione mutatum, (nam ex hoc quod est vltimum nutrimentum, capilli nutriuntur) vna est ex causis caloris putrefactiui dealbantis caniciem; ita scribit Auerroes in lib. quinto de generatione Animalium, cap. 5. vel ex longa intensaque animi tristitia calorem consumente, ac frigiditatem generante; vnde Boetius in lib. primo de consolatione scribit, intem pestiui funduntur tempore cani: aliam causam ponit Aristot. in eodẽ lib. ca. 4. vide-

videlicet egritudinem, ob quam canicies quibusdam accidit; qui mox vbi valetudini fuerint restituti, ac vires receperint, denuò mutantur, nigri fiunt, & quasi iuuenes ex senibus reddũtur: quapropter nonnulli morbi, qui sunt aduentitia, idem faciunt quod senectus, quæ est morbus naturalis, ait ibidem Phylosophus: Seniorum autem nõnulli: quod vel paruum, vel tardè canescãt, prouenit, aut propter sanguineã colleri-cãq; cõplexionem, quæ ob caloris abundantiam cruditates humoris concoquit vel consumit; aut propter subtilem pinguemque humiditatem, quæ etiam ab exiguo calore digeri potest, vt in habentibus molles & subtiles capillos fit manifestum: Cætera verò Animalia, quamuis pilorum variationem patiãtur, tamẽ propriè canescere non dicuntur, vnde Aristoteles in eodem cap. 5. ait, cæteris autem animalibus, ne per eam etatem scilicet per senectutem hoc idem manifestè eueniat, causa est eadem quam de caluitio diximus; paruum enim cærebri, idque minus humidum habent, vt calor ad concoquendum sufficiat; ex qua authoritate fit satis notum, ceteris animalibus canescere non inesse: quod si multa bruta senio confecta albescere videantur, respondetur quod non ex humiditate cærebri putrefacta, sed ex indigestis frigidisque humoribus per totum corpus respersis, producitur in eis non albities, sed quędam grisities, vnde dicuntur potius grigescere, quã canescere.

Ad authoritates Aristotelis asserẽtis Equos in senectute canescere, solutio multiplex est. Sotus in q. 1. huius capitis, in solutione primi argumenti principalis, inquit quod pili albi mulorum & Equorum, non est canicies, sed alia passio, quæ etiam mulis accidit, & nulli illorum est propria. sed hæc solutio nõ est ad apertissimas authoritates Aristotelis quibus specialiter asserit Equos in senectute canescere. Paulus Venetus in cõmẽtarijs huius textus, scribit quod sicut simitas connotat nasum, & crispitudo caput, ita canicies connotat putredinem

A humiditatis cerebri: qua propter cũ albedo pilorũ in brutis non oriatur ex putrefactione humoris in cerebro, sed propter aliũ humorẽ in cute putrefactum, ideo canicies vocari nõ debet; qui modus dicẽdi & si in alijs Animalibus veritatẽ assequatur, in Equis tamẽ fallit: Aristoteles etenim in prędictis locis, eandẽ causã caniciei in hominibus & in Equis assignat, nẽpe cerebri magnitudinẽ, humoris putrefactionẽ, calorisque exilitatẽ, imo in 1. ca. eiusdem libri habet hæc

B verba, sed altero oculo cesij pręcipuè homines atque Equi gignuntur, eadem de causa qua & homo solus canescit, & Equus inter cætera Animalia vnus euidentius albescit pilo per senectutem; canities enim debilitas quædam humoris in cerebro fit, & cruditas est, ergo in hominibus & Equis causa caniciei eadẽ est. Ideo placet cuiusdam expositoris interpretatio, videlicet, quod intentio Aristotelis in pręfatis locis, non est, quod Equi propriè canescant, sicut hominibus con-

C tingit, sed quod inter bruta, in nullo alio apparet pilorum variatio per etatẽ, quę fit caniciei similior, quemadmodum in Equis apparet: & ita propriũ proprie in tertio modo canescere in senectute est hominis, Equorum autem non ita propriè. & hunc esse Aristotelis sensum ex medicorum sententia affirmant.

Sed contra exẽplum à Porphyrio positũ, Iuniores hoc modo adhuc instãt, dicentes tertius modus Proprij non distinguitur à quarto, ergo superfluè assigna-

D tur. antecedens ex eo fit manifestũ quod sortitur omnes conditiones quarti modi; nam si Proprium quarto modo dictũ, est quod omni, & soli, & semper inest, atq; solus homo, & omnis homo, & in senectute semper canescit, ergo tertius modus à quarto non distinguitur; & ita volunt quod in litera non apponatur illa particula, in senectute, citra quam canescere erit proprium hominis in tertio modo, quia soli & omni homini, & non quauis temporis differentia accidit; vel si apponitur tunc à quarto non distinguitur.

Hoc argumentum, quo ipsi neoterici contra Porphyrium gloriantur, tangit Paulus Venetus in explanatione huius textus, in responsione ad primum; atque soluendo distinguit, quod illa particula, semper, ad duo referri potest, vel vt sit determinatio subiecti, & tunc conceditur quod semper illi competat, quia homo semper est aptus natus canescere: vel vt sit determinatio passionis, & ita non competit illi semper, quia homo non est aptus natus canescere semper, sed in tempore determinato: sed proprium quarto modo inest semper & ad semper; nam homo est semper aptus, & ad semper ridendum: sed nunc illa particula, semper, determinat passionem, & ita tertius modus à quarto distinguitur.

Responsio hæc non displicet Soto in quest. prima huius capitis, vltra quam, aliam faciliorem insinuat dicens quod canescere nunc non sumitur solùm pro actu, nec solùm pro aptitudine, quę ex hominis natura fluit; sed pro illa aptitudine simul cum qualitate cerebri, quæ est corruptio humidi naturalis ex defectu caloris, vnde pendet actus canescendi vt dictum est: & quia non solùm actus canescendi non inest semper, sed neque tota causa scilicet aptitudo canescendi cum illa putredine inest semper, hinc fit quod hic tertius modus à quarto distinguitur, qui semper & ad semper inest, vt in lectione sequenti explanabitur: nūc autem hæc dicta sufficiant.

Dilucidatio 3.

Text. Quartum autem id, in quo conuenerunt, & soli & omni, & semper, quemadmodū homini esse risibile.

A D Proprium quarto modo dictum explanandum & dilucidandum Porphyrius se accingit. & quia Propriū penès hanc quartam significationem est vnum de numero quinque predicabiliū, A secundum cuius comparationem & attributionē cętera nuncupantur propria, ex eo quod aliquam illius conditionem participant, ideo plusculum quā in aliorum explanatione Author insistit: tribus igitur conditionibus Proprium quarto modo sumptum exponitur; quarum prima est, quod vni soli speciei inest, quæ conditio etiam à Proprio primi & tertij modi participatur, nam esse medicū & canescere soli homini competit, vt dictū est: altera quod omnibus indiuiduis B sub illa specie positis inest; quam quidē conditionem à Proprio secundi & tertij modi etiam participari haud dubiū est: tertia semper inest ei cuius est propriū, per quam certe conditionem Proprium quarto modo sumptum à quouis aliorū modorum distingui, ac separari omnibus notum est: vnde Proprium quarto modo sumptum est predicatum accidētale, quod vni soli speciei, & omnibus indiuiduis sub ea positis, & semper idest omni tempore inest: quod exemplariter C ita exponit, esse risibile soli homini, & omni homini & semper inest, quia inter omnia animalia solus homo & omnis homo & semper est risibilis: & quod de homine dicitur de omnibus alijs speciebus specialissimis tam animatis quàm inanimatis respectu suarum proprietatum intelligatur, & si multarum specierum propriæ passiones sint nobis ignotę. quod si quis rationem querat, cur Proprium quarto modo dictum, soli & omni, ac semper insit; respōdeatur quod D proprium consequitur principia essentialia speciei sub quacunque illius dispositione, tanquam illud quod ex eis originatur & producitur; quapropter sicut hæc principia in nulla temporis differentia sunt pręter speciem eiusque indiuidua, ita Proprium quod ex eisdem emanat, necessario & semper eis inest.

Tex. Nam & si non semper rideat, tamen risibilis dicitur; non quod rideat semper, sed quod sēper aptus natus sit vt rideat:

hoc autem ei ſemper connaturale eſt, quemadmodū & Equo hinnibile.

CVidam tacitę obiectioni Author reſpondet: nam quis iurè inſtabit dicens, quod homo non ſemper ridet; imo multi ſunt, quos toto vitæ ſpatio nunquam riſiſſe fertur, vt de Catone legitur, ergo falſum eſt, quod Proprium quarto modo ſumptum, & omni & ſemper inſit: huic dubio Author occurrit, ac diſtinctionem in textu inſinuat, quod hominem ſemper ridere, bifariam conſiderari poteſt, vno modo quo ad actum, altero modo quo ad aptitudinē, primo modo homo non ſemper ridet, imo quandoque prę triſtitia deplorat; at ſecundo modo dicitur ſemper ridere, ex eo quod ſemper eſt aptus natus ad ridendū, quę aptitudo non minus eſt ei connaturalis, quàm hinnibile ſit Equo connaturale.

Tex. Hæc autem propriè prodria dicuntur, quoniam etiam cōuertūtur; ſi quid enim Equus eſt, hinnibile eſt, & ſi quid hinnibile eſt, Equus eſt.

DEmum Porphyrius concludit quod Proprium quarto modo dictum ſit propriè Proprium: & ratio eſt, quia conuertitur cum illa ſpecie, cuius eſt Proprium: etenim valet argumētum, Equus eſt, ergo hinnibile eſt, & conuertitur, hinnibile eſt, ergo Equus eſt: ex quibus dictis, haud difficile eſt integram Proprij definitionem colligere, vt dicatur propriè Proprium eſſe illud, quod ineſt ſoli, & omni, & ſemper, & conuerſim predicatur de ſpecie, cuius eſt Proprium.

Circa hunc textum quęret aliquis, vnde & quomodo riſus in homine producatur: ad cuius queſiti intelligentiam, notat Paulus Venetus ex doctrina Auicennæ, quod cum inter animalia ſolus homo ſit ratione prædítus, ſit conſequens

A vt de his, quæ aut videt, aut audit admiretur: ad admirationem verò aliquando riſus, aliquando fletus ſequitur: etenim ſi ea quę ſenſu percipiuntur, tanquam delectabilia percipiantur, tunc calor & ſpiritus, ad faciem in qua ſenſus maximè vigent, concurrunt, ex quorum concurſu ſequitur faciei dilatatio, & cōſequenter riſus: ſi verò triſtia ſint, quę ſēſui preſentantur, tunc calor & ſpiritus circa cor retrahuntur, ad quorum retractionem ſequitur faciei, & cerebri cō-
B ſtrictio, quibus conſtrictis fit humidi inexiſtentis expreſſio, ac precipuè per oculos, ad quos à cerebro, vt medici ferunt, meatus ſunt longiores: igitur ex admiratione cauſatur riſus in homine: ſed ne in his nimis moremur, cō quod ad noſtram rem modicum ſpectant; ideo de riſu & fletu conſule Ariſtotelem in libris de partibus animalium, & in ſuis problematibus: ſtudioſis Iuuenibus nunc ſit ſatis percipere, quod aptitudo ad ridendum eſt homini Proprium in quarto
C modo.

Pręterea circa eundem textū ſit aliud notandum, quod Principia ſpeciei (quę ſunt genus & differentia, nam ex his ſpecies conficitur, inquit Porphyrius) duobus modis conſiderantur reſpectu Proprij, quod ex eis emanare multoties dictū eſt. vno modo ſecundum quod vnū eorum habet habitudinem potentię, & alterum habitudinem actus, & iuxta hāc conſiderationem proprium ex eis non emanat, ſed ſunt tantùm ſpeciei princi-
D pia eſſentialia: alio modo conſiderantur reſpectu totius compoſiti, quod ex illis conficitur, & penès hanc conſiderationē ſunt principia effectiua proprietatis: nā proprium non competit partibus, generi vel differentiæ, ſed ipſi ſpeciei, ex qua tanquam ex proprio ſubiecto emanat: vnde S. Thomas in p.p.q. 77. art. 6. ad 2. inquit, quod ſubiectum eſt cauſa proprij accidentis in triplici genere cauſæ, finalis quia paſſio eſt propter eſſentiā; quodammodo in genere cauſæ effectiuæ, quia comproducitur & conſequitur ad productionem ſpeciei; & in genere cau-

sæ materialis, quia species prioritate naturę est prior, quàm sit propria passio; nam subiectū dicitur suæ passionis quodam modo susceptiuum.

1 Sed contra hæc quæ dicta sunt, arguitur: Principia aliquarum specierum sunt substantia, quia & ipsæ species sunt substantia, vt fit notum de his, quę sunt in genere substantię: ergo si Proprium quod est accidens emanat à principijs speciei, sequitur quod ex substantia fiat non substantia, quod est falsum: falsitas probatur per Aristotelem in libro primo physici auditus, vbi ait quod ex non substantia non fit substantia, igitur pari ratione ex substantia non fit non substantia.

2 Præterea si Proprium fluit à principijs speciei, ergo per aliquem motum ex ipsis fluit, sed consequens est falsum, ergo & antecedens: consequutio probatur ex hoc quod fluxio quemdam motum sonat: falsitas probatur, nam sunt tres species motus, scilicet alterationis, augmentationis, & localis, vt in libro tertio physicorum Aristoteles scribit: sed passio per nullum horum motuum fluit à suo subiecto, ergo nullo modo ab eo fluit. minor quo ad singulas partes sic probatur, non per alterationem quia non est mutatio de qualitate in qualitatem; non per augmentationem, quia non est ad quantitatem; non per motum localem, quia passio nō est extra suum subiectum, ergo nullo modo ab eo fluit.

3 Præterea dictum est, quod & si homo non semper actu rideat, tamen risibilitas semper inest. contra Causa efficiens illius actus nempe ridere, semper inest homini actu, vt sunt illa principia, ergo & ille actus nempe ridere semper inest ei actu.

4 Preterea substantia præcedit accidens natura, tempore, & definitione, vt Aristoteles in libro septimo metaphys. textu quarto docet, ergo Proprium non semper inest speciei, cuius est proprium.

Ad primum respondetur, quod illa particula, ex, duo designat, vt in libro A secundo physicorum in capit. de causis scribitur; quandoque genus causæ materialis, & tunc est verum quod ex non substantia non fit substantia: quandoque importat genus causæ efficientis, & tunc est falsum quod ex substantia non fiat non substantia; modo principia speciei habent se ad propriū quodam modo in genere causę efficientis, vt dictum est.

Ad secundum negatur consequentia; ad cuius probationem respondetur, B quod fluxio est duplex, vna quæ fit per transmutationem, & hęc est quidam motus; alia quæ fit per quamdam naturalem resultationem, sicut ex vno aliud naturaliter resultat, vt ex luce color, & hæc non est propriè motus; & hoc modo dicitur proprium emanare ex principijs speciei, quia ex illorum positione, huiusmodi effectus naturaliter emanat. ex Diuo Tho. vbi supra ad tertium.

Ad tertium negatur consequentia, ad illius probationem respōdetur quod C quamuis causa risus actualis, vt puta illa aptitudo semper insit homini, tamen non semper producit actum, sed in tempore ex subiecti dispositione ad ridendum.

Ad quartum Marcus Antonius Zimara in theoremate nono, in calce eiusdē, videtur dicere quod illa propositio Aristotelis, substantia præcedit tempore accidens sit vera respectu accidentium separabilium, non autem respectu inseparabilium, quibus substantia nō est prior D nisi prioritate naturæ. at Scotus in q. 33. vniuersalium, & Paulus Venetus inquiunt, quod ea propositio est intelligenda per se, quia substantiæ quantum est ex sua ratione, non repugnat precedere tempore omne accidens, cum substantia de se non dependeat ab accidente, est tamen per accidens falsa, quia sēper accidens est, quando substantia est, eo quòd esse substantiæ immediatè consequitur: vtraque solutio bona, sed prior melior, ac pro presenti lectione, hęc quę dicta sunt, sufficiant.

Dilu-

Dilucidatio 4.

Diuisio trimembris Proprij, ab Aristotele posita, eadem est cum ea quadrimembri, quam Porphyrius in hoc capite assignat, atque Proprij Definitio elucidatur.

MVlta quidem consideratu digna in hoc capite se se offerunt: verumtamen aliqua eorum ad prolixitatem euitandam dimittentur, & quæ vtiliora sunt, dilucidanda proponentur. primum igitur quod est consideratione dignum, sit hoc, quod Aristoteles in libro primo topicorum cap. 4. non solùm Proprium definit, sed etiam sub triplici diuisionis membro ipsum diuidit: & quo ad diuisionem inquit, quod Proprium tripliciter sumitur, videlicet Proprium simpliciter, Proprium quando, & Proprium ad aliquid: Proprium simpliciter illud vocat, quod est propriè Proprium, vni soli speciei, & omni indiuiduo, & semper conueniens, atque cum sua specie conuertitur, & hic est quartus modus à Porphyrio assignatus. Proprium quando vocat illud, quod in aliqua temporis differentia alicui accidit, sicut homini accidit in senectute canescere; & hoc est Proprium sumptum apud Porphyrium in tertio modo: Proprium ad aliquid illud dicit, quod non distinguit simpliciter vnam speciem ab alia, sed à quibusdam, & hoc respectiuè: v. g. esse bipedem non distinguit simpliciter hominem ab alijs speciebus, ita vt hoc sit homini Proprium, & nulli alij accidat; etenim multa alia Animalia sunt, quæ duos pedes tantùm habent, sed à quadrupedibus tantùm ipsum distinguit: & hoc est Proprium quod à Porphyrio in secundo loco ponitur, quod videlicet accidit omni & si non soli; quæ tria mébra diuisionis à Porphyrio assignata fuisse, nemo dubitat, vnum tamen Proprij membrum Porphyrius ponit, quod Aristoteles spreuisse videtur, scilicet Proprium primo modo dictum, quod vni soli speciei accidit, non tamen omni indiuiduo illius, vt esse medicum, aut Geometram.

A Toletus solutionem quamdam insinuat, scilicet ideo Proprium primo modo fuisse prætermissum ab Aristotele, quia eo in loco inquirebat, de illis proprijs, quæ vniuersaliter dicuntur; sed Proprium primo modo dictum est indiuiduorum, quia esse actu medicum vel Geometram indiuiduorũ est, licet aptitudo totam speciem consequatur: sed melior est Pauli ac Caietani interpretatio nempe quod Proprium primo modo positum à Porphyrio, comprehenditur ab Aristotele sub proprio ad aliquid: nam Proprium ad aliquid dicitur non tantùm de secundo modo assignato à Porphyrio, sed etiam de primo, quia esse actu vel medicum, vel geometram dicitur proprium huius aut illius hominis, respectu aliorum hominum, qui actu non sunt tales: igitur quod Aristoteles sub vno membro dicit Proprium ad aliquid illud quod non est alicui proprium absolutè, sed respectu illorum qui eo carent, Porphyrius ad faciliorem intelligentiam in duo membra distinguit, puta in Proprium quod soli sed non omni inest, vt esse actu medicũ, quod est propriũ primo modo & in proprium quod accidit omni sed non soli, vt esse bipedem, quod est Proprium secundo modo dictum: quapropter quod Aristoteles verbis obscurioribus assignat, Porphyrius tanquam illius expositor explanat: quam ob rem neque hic superfluus, neque ille diminutus est, vt quidam proclamabant. ex hac declaratione hoc vnum correlarium elicitur, scilicet aliquod Propriũ fluit àprincipijs indiuidui; probatur quia esse actu geometram dependet à libera voluntate huius vel illius hominis, liberè mouente intellectũ ad studiorũ exercitia, & si quo ad aptitudinem fluat à prin-

principijs speciei, totamque speciē consequatur, vt in initio huius capitis dictum est; & hæc de primo quod intendebatur.

Quantum verò ad Proprij definitionem, sciendum quod Aristoteles in libro primo topicorum cap. 4. ita ipsum definit. Proprium est quod non indicat quid est esse, soli autem inest, & conuersim predicatur de re: & exemplificando subdit, vt Proprium est homini esse gramaticæ susceptiuum; nam si homo est, & gramaticæ susceptiuum est, & si gramaticę susceptiuum est, homo est. hæc definitio Aristotelis est propriè dialetica vt Sotus in commētarijs notat, quippequæ datur per terminos secundę intentionis, & explicat Proprium, quatenus est quartum predicabile: sed illa quam Porphyrius tradit, videtur explicare potius naturam Proprij secundum suum esse reale: verùm vt etiam hæc sit dialetica, ac per terminos secundæ intentionis, dicatur sic, cum in litera dicitur, Proprium quarto modo est, quod cōuenit soli, omni, & semper, illa particula, conuenit, idē sonat quod predicari, ita inquit Sotus, imo & Scotus in q. 31. vniuersalium, ita legit, Proprium est quod accidit, omni soli & semper; & subdit quod ly accidit est æquiuocum, quia sumitur vel pro prima, vel pro secunda intentione; & nunc ipse inquit, sumitur pro secunda intentione, & ita in definitione Proprij ponitur: dicatur igitur quod Definitio Proprij est dialetica, eo quod datur per terminos secundæ intentionis: & ita cōcludatur, Proprium quarto modo sumptū, est predicatum accidentale, quod inest omni, & soli, & semper, conuersim predicatur de re, & non indicat quid est esse rei: in qua definitione multæ particulę ponuntur aliquantula explanatione indigentes: nam per illas particulas, omni, soli, & semper, Proprium quarto modo sumptum distinguitur ab alijs modis; etenim penès primum modum inest soli, sed non omni, penès secundum inest omni, sed non soli, penès tertium inest omni & soli, sed non semper; at quarto

A modo sumptum inest omni, & soli, & sēper: per aliam particulam, scilicet conuertibiliter predicari, distinguitur ab accidente communi, quod non conuertitur cum eo, cui accidit: per aliam, non indicat, distinguitur à definitione, à genere & à differentia, quæ naturam & essentiam speciei indicant, vt dictum est.

Quod si quis obijciat, Aristoteles in libro primo de anima textu 11. scribit quod accidentia magnam partem conferunt ad cognoscendum quod quid est; B & de accidentibus proprijs loquitur, vt Themistius & Auerroes cum locum interpretantur, ergo Proprium indicat rei naturam. Respondetur quod duplex est cognitio ipsius quod quid est, vna à priori, quæ habetur per principia rei naturā constituentia; altera à posteriori, & ad hanc, accidentia propria multum conferunt, nam cum vltimę rerum differentię ignorentur, tunc rerum quidditates per proprios effectus inquirūtur, imo vt plurimum accidentia propria accipiuntur C loco differentiarum, atque propriæ differentię per ea circumscribuntur, sicut Aristoteles in libro 7. met. in textu 19. insinuasse videtur; quam ob rem communiter dicitur quod definitio ex genere & differentia, vel ex Proprio sibi proportionali conficitur: igitur Aristoteles rectè dixit in definitione Proprij, ipsum nō indicare quod quid est esse rei, quod à priori est intelligendum, sed à posteriori quandoque ipsum indicat, vt dictum est. & hæc satis.

D

Dilucidatio 5.

Proprium analogicè dicitur de his quatuor significationibus quarū aliquę mutuas vices subeunt: in earum tamen significationum enumeratione, nullum ordinē Porphyrius exequitur.

Adhuc

ADhuc ea omnia, quę circa hoc capite tractāda erant, expleta non fuere: de diuisione, atque de Proprij definitione, nonnulla dilucidata sunt: de diuisione dictum est, hanc quadrimembrem quam Porphyrius ponit, eandem esse cū ea trimembri, quam Aristoteles in libro primo topicorum cap. quarto assignat: nunc autem primum quod discutiendū occurrit, est, an Proprij diuisio in quatuor membra sit analoga: ad cuius intelligentiam notandum est, quod diuisio analoga quatenus ad propositū spectat, est quando aliquod nomen dicitur de pluribus secūdum prius & posterius; ita vt dicatur prius de vno, quā de alijs, imo per comparationem ad illud vnum de alijs dicitur, vnde hoc vnum, simpliciter & absolutè absque vllo respectu ad alia, dicitur tale; sed cætera per aliquem respectum ad illud vnum, talia dicuntur: exemplum ex lib. 4. met. sumitur, verbi gratia, sanum de multis dicitur, videlicet de Animali, de medicina, de dieta, de vrina: nam verum est dicere Animal est sanum, medicina sana, dieta sana, & vrina sana: sed Animal absolutè & absque vllo respectu ad reliqua quæ dicuntur sana, dicitur sanum, cætera verò non nisi per respectum ad Animal: nā medicina dicitur sana, quia est effectiua sanitatis in Animali; dieta sana quia est sanitatis conseruatiua; vrina sana quia est signum sanitatis existentis in Animali; vnde sanum secundum propriam rationē dicitur prius de Animali, de alijs dicitur posterius, & non nisi per respectū ad Animal, quod est formaliter sanum, ad rem nostram, quia Proprium pluribus modis dicitur, dubitatur an de vno aliquo illorum absque vllo respectu ad reliquos modos per prius dicatur, atque de illis non nisi per respectum ad illud vnum: ad cuius quęsiti resolutionem respondetur esse interpretum vniuersalem sententiam, & expressa apud Burleum, & Paulum, & Sotum habetur, quod Diuisio Proprij est diuisio cuiusdam Analogi medij, importantis plura per attributionem ad vnum, ita quòd hoc nomē

A Proprium significat omnia propria in quatuor modos explicata per attributionem ad Proprium quarto modo sūptum; cuius quidem cōditiones, ab alijs quæ dicuntur Propria, participari nulli dubium est: Etenim Propriū quod propriè est Proprium, tres conditiones habet, vt ex illius definitione liquet; prima inest vni soli speciei, secunda omni indiuiduo illius speciei, tertia semper inest, vt esse risibile vel aptitudo ad ridendum inest soli homini, quia solus homo est

B risibilis, & omni homini quia omnis homo est risibilis, & semper quia omni tēpore est aptus natus ad ridendum: modo reliqua dicuntur Propria per attributionem ad hoc vnum, cuius vel vnā aut plures conditiones participant: nā Proprium primi modi inest soli & si nō omni; secundi modi inest omni & si non soli; tertij modi inest omni & soli, sed aliquando; at Proprium propriè dictum, quod est quarti modi inest soli, & omni, & semper, per quam vltimam particulā

C ab alijs distinguitur: & quia hoc est simpliciter proprium, quod constituit propositionem in secundo modo dicendi per se, vt in libro primo posteriorum textu decimo Aristoteles docet, & reliqua aliquam hujus conditionem participant, hinc est quod Proprium dicitur prius de proprio quarto modo sumpto, de reliquis verò posterius & per attributionem ad illud vnum; ac per consequens analogicè dicitur, sicut ex his quę dicta sunt, apparet.

D Boetius, ac si hujus diuisionis sufficiētiam reddat: inquit quod cum Propriū à specie emanare dicatur, tunc species duobus modis considerari contingit, primo modo secundum formā, altero modo secundum materiam: si primo modo consideratur, tunc ab illa emanat Proprium quarto modo sumptū, quod neque speciem excedit, neque ab ea exceditur, eo quod cum ipsa conuertatur: at si secundo modo consideratur, idest secundum materiam, tunc Proprium ab ea emanat, vel æqualiter, vel inęqualiter; si ęqualiter tunc est prop rium quan

do, siue tertio modo dictum, nam om-
nis homo in senectute canescit: si inæ-
qualiter, aut ergo Proprium in plus est
quàm species, & ita est Proprium secun-
do modo acceptum; bipes enim in plus
se habet quàm homo, nam & si omnis
homo sit bipes, non tamen omnis bipes
est homo, multa sunt bipedia, vt pote vo
latilia, quę non sunt homines; aut Pro-
prium in minus se habet quàm species,
& sic est Proprium primo modo dictũ.
nam si quid est medicus, est homo, non
tamen si quid est homo, est medicus, in
plus enim est esse homo, qua medicus,
non enim omnis homo est medicus: &
hęc quo ad diuisionem Proprij ab Ari-
stotele positam, & à Porphyrio explana-
tam.

Quo ad aliud declarandum, sciẽdum
quod aliquę significationes Proprij, ita
mutuas vices subeunt, quod coincidunt,
nam Proprium quarti modi faciliter fit
Proprium primi modi; & pariter Pro-
prium primi modi fit Proprium quarti
modi; imo contingit quod vna met pas-
sio fiat alicui propria in primo, & secun-
do, & quarto modo: ne glorientur quidã
iuniores, ac si has considerationes ipsi
reperierint; nefas namque esset huius
laudis Burleum ac Paulum defraudare,
apud quos inter latinos Porphyrij ex-
positores, huiusmodi cõsiderationes le-
guntur, & à nobis in hoc loco ponũtur,
vt acuta studiosorum iuuenum exciten-
tur ingenia: igitur quo nam modo Pro-
pria primo & quarto modo sumpta, mu
tuas vices subeant, fiat recursus ad illam
vulgatam distinctionem, quæ ex actu &
aptitudine oritur, penès quam haud dif-
ficile erit, id quod dicitur intelligere:
nam si Proprium quarto modo sumptũ,
quod aptitudinem designat, ad actũ re-
ducatur, tunc fit Proprium primo mo-
do; at si Propriũ primi modi quod actũ
importat, aptitudinem designet, tunc fit
Proprium quarti modi, hæc omnia eis-
dem exemplis à Porphyrio positos ex-
planantur: nam esse actu, vel medicum
aut geometram dicitur Proprium pri-
mo modo, & ita soli homini, sed non om

A ni conuenit, quia non omnis homo est
actu medicus:, verumtamen si esse medi-
cum, aptitudinem designet, tunc fit Pro-
prium quarto modo, quia aptitudo ad
scientias & soli homini, & omni & sem-
per inest: pariter esse risibile, quod apti-
tudinem ad ridendum in homine desi-
gnat, ex quo est proprium quarti modi,
si ad actum reducatur, quo aliquis actu
rideat, quia non omni homini, nec sem-
per hic actus inest, quamuis soli homini
contingat, tunc fit Proprium primo mo-
B do sumptum. sed quomodo vna & eadẽ
passio fiat propria in primo & secundo
& quarto modo, respondetur quod res-
pectu diuersorum quibus inest, has vices
subit; nam respectu vnius erit proprium
primò modo, respectu alterius in secun-
do modo, & respectu alicuius alterius
fiet Proprium in quarto modo: exempli
gratia, risibile potest comparari ad ho-
minem, ad Socratem, & ad Animal, ita
vt dicatur, homo est risibilis, Socrates
est risibilis, Animal est risibile; sed esse
C risibile respectu hominis est Proprium
in quarto modo, quia conuertitur: respe
ctu Socratis est Proprium in secundo
modo, quia in plus se habet quàm Sor-
tes; at respectu Animalis est Proprium
in primo modo: & quod in naturalibus
dicitur, etiam in mathematicis affirma-
tur, quoniam habere tres æquales duo-
bus rectis, respectu trianguli est Propriũ
in quarto modo, quia competit omni
triangulo, & soli, & semper; respectu fi-
guræ est proprium in primo modo, quia
D soli figuræ & si non omni inest; at respe-
ctu ysochelis est Proprium in secundo
modo, quia competit omni sed nõ soli.
Sed est notandũ ex Paulo Veneto, quod
Proprium in quarto modo sumptum,
quandoque solam aptitudinem impor-
tat, vt risibile respectu hominis, & hinni-
bile respectu Equi; aliquando solum
actum, vt longitudo respectu lineæ, & la
titudo respectu superficiei, nam si est ali
qua linea, ipsa est actu longa; & si est ali-
qua superficies, ipsa est actu lata: aliquã-
do dicit actum, & aptitudinem, vt habe-
re tres angulos æquales duobus rectis
respe-

A reſpectu trianguli, nam ſi aliquis triangulus eſt, neceſſarium eſt, vt tres angulos habeat, ſed non oportet quod ſint duo recti, ſatis namq; eſt, quod ſit aptitudo ad duos rectos. ſed circa hoc notandum, ſunt nonnulla conſideranda, & colliguntur ex Ariſtotele in libro primo poſteriorum textu decimo; Propria Paſſio eſt duplex; aut ſimplex accidens, quod cum ſuo ſubiecto conuertitur, vt riſibile cum homine, hinnibile cum Equo, & huiuſmodi; aliæ ſunt Paſſiones oppoſitæ, vt par & impar reſpectu numeri; rectum & obliquum reſpectu lineæ; ſimul & aquilinum reſpectu naſi; & hæc paſſio ipſa ſimplex non conuertitur cum ſuo ſubiecto, ſed diſiunctum ex illa & ſuo oppoſito, aut ſuis oppoſitis; vt rectum non conuertitur cum linea, ſed rectum vel curuum; neque par conuertitur cum numero, ſed par vel impar: ad rem noſtram, Paſſiones ſimplices cum ſuo ſubiecto conuertibiles aptitudinem deſignant: ſed Paſſiones oppoſitæ, quia reſpectu ſui ſubiecti habent ſe in ſuo genere, vel vt contraria immediata, vel vt priuatio, vel vt contradictio, ita ibidem Ariſtoteles ſcribit, ac per conſequens neceſſarium eſt, vt earum altera ſemper actu inſit: ideo quidam de his affirmant, quod & actum & aptitudinem deſignẽt, actum reſpectu illius quæ ineſt, aptitudinem reſpectu alterius quæ ineſſe poteſt, nam numerus qui eſt actu par, eſt aptitudine impar: alij verò aſſerunt, quod etiam hæ aptitudinem important, quia totum illud diſiunctum eſt Proprium quarto modo, & cum ſuo ſubiecto conuertitur; etenim valet, eſt numerus ergo par vel impar; eſt aliquid quod eſt par vel impar, ergo eſt numerus; & ita de alijs diſiunctis intelligendum eſt; & quia nulla pars ſeiuncta eſt Proprium quarto modo, ideo nõ ſit æqualis conuerſio. & hæc quo ad ſecundum propoſitum.

Quantum ad tertium, dicendum eſt, quod Porphyrius in enumerandis ſignificationibus Proprij, nullum ordinẽ exequitur: etenim ſi ab eo proprio, quod quodammodo vniuerſalius ac amplius eſſet, inchoaſſet; tunc Proprium ſecundi modi in primo loco ponendum fuiſſet, nam hoc & pluribus ſpeciebus & omnibus indiuiduis illarum ineſt: ſi ab eo quod minus per reſtrictius proprij naturam ſignificat inchoare debuiſſet, vt inde ad ampliora proceſſiſſet, nulli dubium eſt, quod tunc à tertia ſignificatione incepiſſet; nam Proprium hoc modo dictum, & ſi ſoli & omni inſit, cær- B tam tamen & limitatam temporis differentiam habet: Si verò ab eo quod Propriè Propriũ eſt, & digniori modo Proprij naturam ſapit exorſus fuiſſet, nemo ambigit quin Proprium quarto modo ſumptum, principem locum ſibi vẽdicaſſet, hoc namq; ſimpliciter Proprium eſt, ac cum ſua ſpecie cõuertitur: notum eſt etiam, quod nec ab eo incepit quod ſoli competit & ſi non omni, ac ſi Proprium primi modi, minus dignè Proprium dicatur, quaſi inde ad digniora eſſet pro- C ceſſurus; nã ſi ab eo quod minus dignè dicitur proprium inchoaſſet, vt inde ad digniora procederet, tunc Proprium primi modi, aut ſecundum aut tertium locum ſibi requiſiſſet; nam certũ eſt quod Propria primi & ſecundi modi, ſunt minus digna propriò primi modi; quoniam Proprium primo modo acceptum, & ſi quo ad actum à principijs indiuiduorũ originem ducat, eo quod contingenter accedit, tamen vt aptitudinem dicit tũc ex formalibus principijs ſpeciei, non mi- D nus quàm Proprium quarti modi, emanat; illa autem quæ vel ſecundo vel tertio modo Propria nuncupantur, materialia potius ſpeciei principia inſequi videntur: concludatur igitur, quod Porphyrius in enumerandis his ſignificatis nullum ordinem exequutus eſt; tamen Proprium in quarta ſignificatione ſumptum, eſt ſimpliciter & propriè Proprium, reliqua verò per attributionem ad ipſum dicuntur Propria, eo quod aliquam conditionem illus participant. vt dictum eſt.

Disputatio tertia de Proprio.

An Proprium sit Vniuersale:

Dilucidatio I.

Proprium quarto modo sumptum, prout ad suam speciem refertur, & eam immediatè respicit, habet quod sit Vniuersale.

DVBITATIO, quam omnes ferè Dialetici in hoc loco discutiunt, est, an proprium sit Vniuersale; in cuius resolutione, & si omnes in partem affirmatiuam pariter concurrant, tamen vtrum per comparationem ad speciem, cum qua conuertitur, vel ad indiuidua de quibus prędicatur, debeat dici vniuersale, non est eorum omnium vnus idemq; consensus: sed priusquam ad conclusionem elucidationem accedatur, quædam argumenta sunt apponenda, quibus aliquis fortè suspicabitur proprium haud esse Vniuersale.

1 Vniuersale non dicitur nisi respectu inferiorum, (est enim vniuersale vnum in multis & de multis, vt Arist. in lib. 1. peryherm. scribit) sed proprium non est vniuersale respectu inferiorũ, nec quatenus proprium de multis prædicatur, ergo proprium inter vniuersalia connumerandum non est: minor quo ad ambas partes probatur, proprium quarto modo dictum, (de hoc etenim sit sermo) vni soli speciei accidit, ergo non est vnum in multis: quo ad alteram partem, si prædicatur de pluribus, maximè dicetur de indiuiduis illius speciei; sed hę prædicationes Sortes est risibilis, Plato est risibilis, non sunt propriæ, quia non conuertuntur: igitur non est vniuersale.

A 2 Pręterea, omne vniuersale est prædicabile, sed proprium non est pręedicabile, ergo proprium non est vniuersale: minor probatur, prędicabile est commune, sed Proprium non est commune, ergo proprium non est prędicabile: minor adhuc probatur ex eo quod contradictionem implicat idem esse commune & Proprium.

3 Confirmatur, omne predicabile dicit totum esse sui subijcibilis, sed Proprium non dicit totum esse speciei, nec B indiuiduorum, ergo non est predicabile: minor ex hoc probatur quod Proprium est accidẽs consequens esse ipsorum.

4 Præterea, omne Vniuersale refertur ad ea quorũ est Vniuersale, sed Proprium non refertur ad ea quorum est Proprium, ergo Proprium non est vniuersale: maior probatur, quod cum vniuersale prædicetur essentialiter, ex hoc refertur ad illud de quo prædicatur, siue ad suum subijcibile: minor probatur, C nullum accidens refertur ad suum subiectum, alioquin omne accidens esset relatiuum, sed Proprium est accidens, ergo non refertur ad suum subiectum.

Resolutio apud omnes dialeticos, cõmunis est, quod proprium sit vniuersale: videatur Scotus in quest. 30. vniuersalium; Paulus Venetus in vltimo quęsito huius capitis; Sotus quest. prima ad vltimum argumentum; Toletus & alij: sed sermo nunc est de proprio in vltima significatione sumpto, quod, inquit Sco- D tus, duobus modis cõsiderari potest; vel quatenus est nomen primæ intentionis, penès quam considerationem, quia distinguitur contra commune, ideo sic nõ est vniuersale, neque de aliquo predicatur: vel prout est nomen secundę intentionis, iuxta quam considerationem in præsenti sumitur. Verum est tamen id quod in initio huius dilucidationis diximus, scilicet, non est postea omnium dialeticorum idem consensus, an ratio vniuersalitatis competat proprio, prout ad speciem refertur, & cum qua conuertitur, vel prout respicit indiuidua de qui-

de quibus predicatur:& ne in referendis alienis positionibus, tempus conteratur, ad conclusiones deueniatur.

1 Sit igitur prima conclusio. propriũ ad hoc quod sit vniuersale, sufficit quod conuertibiliter prædicetur de specie, cuius est proprium. probatur hac ratione.

Illud est vniuersale, quod de aliquo vniuersali per se & immediatè predicatur, atque de illo demonstratur, sed proprium quarto modo sumptum, de aliquo vniuersali per se & immediatè predicatur, & de illo etiam demonstratur, ergo proprium est vniuersale: maior propositio est omnibus receptissima, quia prædicatum per se de aliquo vniuersali non potest esse singulare; minor quo ad singulas partes manifestatur, & primo proprium prędicatur per se, & immediatè de specie, quę est quoddam vniuersale, & conuertibiliter de ea predicatur, sicut Aristoteles in libro primo topicorum cap.4. scribit, ergo predicatur de subiecto vniuersali: sed quod proprium demonstretur de eo cuius est proprium per definitionem subiecti, & quod demonstratio sit de vniuersalibus, doctrina clarissima habetur apud Aristotelem, in libro primo posteriorum: longo processu.

1 Contra ea, quę in hac ratione sunt dicta, sic arguitur: si proprium predicatur per se de specie, cuius est propriũ, vel predicatur in primo vel in secundo modo dicendi per se: non in primo, quia tunc proprium esset de essentia speciei, vt Aristoteles in libro primo poster. textu decimo docet: si in secundo modo, ergo species clauditur in definitione essentiali proprij, ac per consequens erit de illius essentia.

2 Præterea probatur quod proprium non prædicetur immediatè de specie: actiones sunt suppositorum, & non vniuersalium, nisi per accidens, vt dicitur in libro primo metaphys. capit. primo, ergo esse risibile, cum sit quędam actio, per se & immediatè inest Sorti & Platoni, homini verò per accidens, & per con-

A sequens proprium non est vniuersale, cũ non predicetur immediatè de vniuersali, sed de singularibus.

3 Confirmatur, subiectum huius propositionis, homo est risibilis, supponit pro aliquo primo; igitur aut supponit pro homine communi, aut pro aliquo homine particulari, primum est falsum, quia homo communis non est per se risibilis: quod si secundum admittitur, ergo esse risibile inest per se & primo particulari.

B Ad primum respondetur quod proprium predicatur de specie per se, & in secundo modo dicendi per se: & quãdo subditur, ergo subiectum est de ratione essentiali proprij, conceditur; & quando subinfertur, ergo subiectum est de essentia proprij, negatur consequentia: ac respondetur quod aliud est, subiectum esse de ratione essentiali suæ propriæ passionis, & aliud, subiectum esse de essentia suę passionis: primum est verum, quia subiectum ingreditur definitionem

C suæ passionis, vt dicitur in libro primo posteriorum capit. quarto: secundum est falsum, quia nullum subiectum est de essentia sui accidentis, sicut nec materia suę formę.

Ad secundum negatur consequentia, ad cuius probationem, quę ex antecedenti sequitur, respondetur quod aliud est loqui de actu ridendi, & aliud de aptitudine ad ridendum: actus ridendi, primo & immediatè inest indiuiduis, vnde homo actu ridet, quia hic aut il-

D le homo actu ridet; sed aptitudo primò & immediatè inest speciei, nam Sortes est risibilis, quia homo est risibilis, ad cuius rei faciliorem intelligentiam, sciendum discrimen maximum esse inter accidens proprium & commune: nã accidens commune primo & immediatè predicatur de singularibus, secundario & mediatè verificatur de vniuersalibus; vnde Aristoteles in libro primo metaphysicæ inquit quod homo ideo sanatur, quia Callias sanatur; & in prædicamento substantiæ dicit, quod corpus est album, quia aliquod corpus est

album:

album: sed accidens proprium, quod est propria passio speciei, primò & immediatè inest vniuersali, quia ex principijs essentialibus speciei emanat, at de indiuiduis secundario predicatur, vnde risibilitas primò & immediatè inest homini, deinde indiuiduis, nam Sortes est risibilis, quia homo est risibilis: ad propositum actus ridendi non est Proprium homini quarto modo, alioquin omnis homo semper actu rideret, sed est illi proprium primo modo, iuxta quam cōsiderationem, inducit naturam quasi accidentis communis respectu omnium indiuiduorum illius speciei, cuius est proprium: & hoc est quod quidam dicunt, quod accidens quarto modo dicitur accidens per se, & propria passio; sed Proprium secundum alios modos dicitur accidens, aut accidentalis proprietas: vel vt alij asserunt, Propria passio respectu sui subiecti formalis, quod est species, vocatur propria passio, vt risibilitas; sed respectu sui subiecti materialis, quod sunt indiuidua, si ad actum reducatur, habet se, vt accidens commune: & ex his dictis patet solutio ad tertium argumentum, scilicet quod esse risibile, supponit immediatè pro specie, sed vt designat actum ridendi, supponit pro aliquo singulari.

Sit secunda conclusio, prędicatio, in qua proprium de indiuiduis predicatur, est prædicatio Proprij. probatur hęc conclusio, per illam regulam Aristotelis in ante prædicamentis, quidquid prędicatur per se de superiori, predicatur per se etiam de suo inferiori; quę regula est intelligenda in eodem genere prædicationis, exempli gratia, si hæc est prædicatio generis, homo est Animal, etiam & hæc erit prędicatio generis, Sortes est Animal: sed esse risibile prædicatur de specie prędicatione proprij, quando dicitur homo est risibilis, ergo & de indiuiduis prædicatur prędicatione proprij, quando dicitur Sortes est risibilis.

2 Confirmatur, Eadem est essentia speciei, & indiuidui, quod ex hoc ma- A nifestatur, quia species dicit totam essentiam indiuiduorum, ergo si proprium prędicatur de sua specie prædicatione proprij, etiam & de indiuiduis illius speciei, eadem predicatione prædicabitur.

Sit tertia conclusio. Proprium quarto modo sumptum, predicatur de vna sola specie, scilicet de ea cuius est Proprium: Conclusio est expressissima apud Porphyrium in capite de genere, in quo explanans quomodo genus ab alijs prędicabilibus distinguatur, inquit quod B genus distinguitur à proprio, quia Proprium de vna sola specie, cuius est proprium prędicatur, & de his quæ sub ipsa specie sunt, indiuiduis, quod & in hoc capite & infra in communitatibus insinuat.

Contra hanc conclusionem, est argumentum quorundam iuniorum, ita dicentium, sensitiuum est Proprium Animalis, & tamen dicitur de pluribus specie differentibus, vt puta de homine & de leone, & de Equo, & de alijs. igitur.

C Ad hoc negatur consequentia; ad cuius solutionem notant Paulus Venetus, & Sotus in questione prima ad secundum; quod sicut genera subalterna non definiuntur inquantum genera sed inquantum species; pari ratione vnumquodque eorum habet proprias passiones, non quatenus genus, sed quatenus species: vlterius Proprium non respicit speciem subalternam tantùm, aut specialissimam tantùm, sed speciem in cōmuni; accidit deinde quod hęc passio D v.g. risibilitas de homine, & hinnibilitas de Equo dicantur, prout ex principijs essentialibus earum fluunt: ex his soluitur argumentum, & dicitur quod sensibile prędicatur de Animali, tanquam Proprium quarto modo sumptum de sua specie: sed quando arguitur quod dicitur de homine & de Equo, qui differunt specie; respondetur quod non dicitur de his, inquantum specie distinguuntur, sed quatenus sunt vnum & idem in ratione animalis, de quo primo & conuertibiliter prędicatur; de contentis autem sub animali, non prædicatur

conuer-

conuertibiliter;nam & si homo sit sensitiuum,non tamen conuertitur quod omne sensitiuum sit homo,vel Equus:& ita soluantur cętera argumenta quæ fieri solent,de vegetatiuo,quod est proprium animati, & prædicatur de Animali & de planta,quę plusquam specie distinguuntur; similiter de volatiuo respectu auiū; & de habere tres angulos respectu trianguli, & dicitur de pluribus triāgulis specie differentibus, vt de ysochele & alijs: his dictis,ad prima argumenta.

Ad primum negatur minor, cuius solutio patet ex ijs quę in prima conclusione dicuntur, scilicet quod Proprium est vniuersale respectu speciei de qua prędicatur: & de indiuiduis predicatur eadem predicatione Proprij, qua de specie prędicatur, vt in secunda conclusione explanatum est.

Ad secundum negatur minor, ad illius probationem respondetur, quod Proprium pro re primæ intentionis, opponitur communi; sed pro re secundæ intentionis, vt nunc sumitur,non opponitur communi, sed idem est quod vniuersale.

Ad tertium negatur minor, ad cuius probationem respondetur, quod esse rei est duplex, vnum substantiale, & hoc nō dicitur nisi ab his, quæ rei substantiam conficiunt, vt sunt proprium genus & vltima differentia:aliud esse est accidentale, quod datur à forma per proprium nunc designata:& ita Proprium dicit totum illud esse accidentale speciei, verbi gratia,totam illam aptitudinem, per illud proprium significatam.

Ad quartum negatur minor, ad cuius probationem respondetur, quod illa propositio, accidens non refertur ad suū subiectum, vera est de subiecto inhesionis, non predicationis:vel vt alij dicunt, vera est de accidente communi, fallit autem de Proprio, quod refertur ad speciem, cuius est Proprium: Quod si quis obijciat, species vt species refertur ad suum genus, ergo non ad suum proprium; respondetur quod species non quatenus species refertur ad Proprium;

A sed vt subiectum ad suum propriū prędicatum, quod per se ei inest, & ex cuius principijs essentialibus originem ducit:& hæc quæ dicta sunt, de toto capite sufficiant.

De Accidente. Capitulum quintum.

Dilucidatio I.

B *Text.* Accidens autem est, quod adest,& abest præter subiecti corruptionem.

NEmini dubitare licet,cur inter quinque predicabilia, accidens commune postremam sedem fuerit sibi adeptū: etenim iure optimo id factum esse, omnes huius literę interpretes in vnum cōueniunt; eo quod inter reliqua predicabilia, accidens imperfectius est,rei ab
C extrinseco contingit, & non solum essentiam, ex genere & differentia constitutam, sed etiam ipsum Proprium, quod ex principijs essentialibus speciei profluit,supponit,neque conuertibiliter de eo, cuius est accidens prædicatur. Totum hoc caput, in quo de accidentis natura disseritur, & si paucis verbis absoluatur; tamen penès quatuor quę in ipso pertractantur, etiam in quatuor partes diuidi potest; in quarum prima vnā accidentis descriptionem assignat:
D in secunda eiusdem accidentis diuisionem ponit: in tertia alias definitiones explanat: in quarta tandem horum quinque prædicabilium tractatum epilogat. at quia accidentis nomen, non secus ac vnumquodque aliorum quatuor predicabilium, ex illorum numero est, quæ multipliciter dicuntur, meritò ab Auicenna reprehenditur Porphyrius, quod ipsum prius definiuerit, quàm diuiserit; à definitione namq; hoc caput de accidente Authorem exordiri, fit notum omnibus, qui ipsum legerint: nam in singulis capitibus aliorum predi

cabilium, post multiplicis nominis vniuscuiusque predicabilis significatorum assignationem, illud, definiens, recipit, quod verè suo proposito aptum erat: quem quidem peripateticum ordinem, scilicet diuidendi prius quàm definiendi, in hoc loco neglectũ dimittere, Porphyrius nequaquam debuisset: etenim Arist. in lib. 6. topic. in explanatione locorum quarti & quinti, hanc regulã docet, quod æquiuoca prius diuidenda, quàm definienda sunt; oportet enim definientem, vt contingit, quàm clarissima interpretatione vti, eo quod cognoscẽdi gratia assignatur definitio: vnus autem locus eius, quod obscurè est, si sit æquiuocum alicui, quod dictũ est: quod autem accidens multipliciter dicatur, siue sit de numero æquiuocorum, ex vniuersali peripateticorum sententia fit manifestum; atq; à S Thoma in q vnica de spiritualibus creaturis, art. vltimo, lucidissima doctrina enodatur: inquit enim quod accidens apud phylosophos, duobus modis sumitur, vno modo vt à substantia contra diuiditur in ea diuisione, qua ab Aristot tùm in lib. 5. met. tex. 14. tum in lib. 7. tex. 1. Ens in substantiam & accidens partitur; & ita accidens est nomen primæ intentionis, ac nouem prædicamentorum naturas designat; atque hoc modo sumptum à Proprio non distinguitur, eo quod & Proprium sub accidente, vt à substantia cõtra diuiditur, continetur: alio modo sumitur accidens vt diuiditur contra genus, speciem, differentiam, & Proprium, in ea diuisione, qua Prædicabile in quinque prędicabilia diuiditur; & ita accidens nihil aliud designat, nisi quoddam predicatum accidentale, prout à quocunque prædicato per se, siue in primo, siue in secundo modi dicendi per se contra diuiditur, & secundum quem sensum, genus, species, differentia, & Proprium dicuntur prædicata per se; differenter tamen, quia tria priora predicantur in primo modo dicendi per se; & hoc est quod Caietanus in hoc loco, vocat ea predicata essentialia intrinseca; at Proprium A in secundo modo dicendi per se predicatur, quod à Caietano prædicatum essentiale extrinsecè nuncupatur; essentiale quia à principijs essentialibus subiecti fluit, extrinsece quia rei naturam non indicat, nisi à posteriori, vt in præcedenti capite dictum est: sed accidens constituit propositionem, & prædicationem pure per accidens, & hoc modo acceptum est nomen secundæ intentionis, & nullam naturam determinatam designat, sicut nec genus, nec species; sed vt B S. Thomas ait, quandam habitudinem accidentalem prædicati ad subiectum; vel vt Caietanus exponit, quamdam relationem rationis, vt reliqua predicabilia, significat: atque per hoc à Proprio quarto prædicabili separatur, eo quod Proprium propositionem in secundo modo dicendi per se constituit, accidens autem prędicationem pure per accidẽs facit, igitur quia accidentis nomẽ ex eorum numero est, quæ multipliciter dicitur, ob eam rem non à definitione, sed C à diuisione, hoc quintum Capitulum exordiri Porphyrius debuisset; quem ordinem cum dimiserit, ab Auicenna meritò reprehenditur.

Non soluitur huiusmodi allata dubitatio, si quis respondeat, quod accidens in hoc capite à Porphyrio definitum, sumitur secundum primam accidentis significationem, quatenus scilicet à substantia in diuisione entis contra diuiditur: quoniam vt Caietanus ex doctrina S. Thomę in prædicto loco, optimè deducit, tunc duo non modica absurda D sequerentur: quorum primum est, quod nullum ex nouem prædicamentis esset genus, neque species, neque differentia, neque Proprium, quod est falsissimum; sequela ex secunda definitione accidentis in hoc capite à Porphyrio tradita, patet, vbi ait quod accidens neq; est genus, neq; species, neq; differentia, neque Proprium; quę doctrina ab Aristot. in c. 4. libri primi topicorum assignatur: falsitas ex eo manifestatur, quia ordinationes secundum sub & supra; generum, specierum, differentiarum, ac Propriorũ,

non minus in prędicamentis accidentium, quàm in prædicamento ſubſtantię reperiũtur: alterum abſurdum eſt, quod ſi accidens penès primam ſignificationẽ acceptum, nũc à Porphyrio definiretur, tunc fieret conſequens quod predicatũ accidẽtale in hoc quinto loco poſitum, & contra reliqua predicabilia diſtinctũ, in nullo prædicamentorum de genere accidentis locum haberet, neque in aliquo eorum reperiretur, quod eſt falsũ: prima ſequela probatur, eo quod tale predicatum eſſet idẽ accidens in nouem predicamenta diſpoſitum, & ita in nullo eorum fieret hæc accidentalis predicatio: falſitas deinceps manifeſtatur, quia prædicata accidentaria non minus reperiuntur in generibus accidentium, quàm in genere ſubſtantiæ; quia ſicut in genere ſubſtantiæ, hæc eſt predicatio accidentalis homo eſt albus, vel longus, aut in foro; ita in predicamento accidẽtis, hæc eſt prædicatio accidentalis figura eſt aurea, triangulus eſt ligneus, albedo eſt marmorea: igitur concludatur quod cum accidens ſit de numero eorum, quę multipliciter dicuntur, ſcilicet realiter vt eſt ens à ſubſtantia contra diuiſum, & intentionaliter, vt ſonat predicatum accidentale, omnibus predicamentis commune, ſecundum quam ſignificationem nunc à Porphyrio de eo tractatur; ideo non à definitione, ſed ab ipſius accidentis diuiſione, hoc capitulum inchoare author debuiſſet: cuius dubij reſolutio ad ſequentem lectionẽ differatur; nam huius rei explanatio, ob varia phyloſophorum placita, haud facilis eſt.

Diſputatio prima.

Cur à Definitione accidentis & non à Diuiſione Porphyrius hoc capitulum inchoauerit.

Dilucidatio I.

Referuntur opiniones Dialeticorum, cum Author non à diuiſione, ſed à definitione hoc capitulum exorſus ſit.

Dixımus in ſuperiori lectione, Regulam traditam fuiſſe ab Ariſt. in lib. 6. topic. in explanatione locorũ quarti & quinti, quod Equiuoca prius ſunt diuidenda, quàm definienda; quapropter quia accidẽs eſt de numero eorum, quæ multipliciter dicuntur, ideo prius diuidi, quàm definiri à Porphyrio debuiſſet; quem ordinem eo quia neglexit, meritò ab Auicenna reprehenditur: quare autem hoc ab Authore fuerit factum, non eſt omnium interpretum vna eademque ſententia. Ammonius vir quidem doctiſſimus, in initio commentariorum huius capitis, illud conſiderans quod Porphyrius in reliquis prędicabilibus explanandis, varias eorum ſignificationes prius expoſuit, ac de qua eſſet intentio oſtendit; hoc verò in loco id non agit, ſed accidẽtis deſcriptionem confeſtim aggreditur: inquit Porphyrium pro tanto hoc feciſſe, quia nulla accidentis ſignificatio eſt, de qua Phyloſophi non diſſerant, quamobrem neceſſarium non fuit ante definitionem, illius ſignificata diſtinguere: Verumenimuerò ſi hęc ſolutio intimius conſideretur, tũc omnibus in propatulo erit, tantum interpretem eam nequaquã decere: quia & ſi omnia accidentis ſignificata phyloſophicæ conſiderationi ſubijciuntur, nõ tamen logicæ: debebat ergo, eam ſolùm tradere definitionem, quæ accidentis logicæ ſignificationi congruebat, & de qua tantum verba facturus erat.

Præterea eſto quod per phyloſophicam conſiderationem, Ammonius logicam intellexerit, vt quidam iuniores eum interpretari videntur: tũc duo nec modica quidem abſurda ſub oriuntur, quorum vnum eſt, quod Ammonij expoſitio à veritate alieniſſima eſt; non enim eſt veritati conſonum, omnia accidentis ſignificata logicam conſidera-

tionem ſubire;alterius enim, nec non altioris negocij eſt,accidens,quatenus ens reale,contemplari; alterum,quod ſi aliquod multipliciter dictum in vna & eadem ſcientia tractaretur, cui omnia illius ſignificata ſubijciuntur, illud tale diſtinguendum non eſſet,quod aſſertũ pro ab ſurdo exiſtimatur: etenim omnia differentiæ ſignificata, logicam conſiderationem ſubeunt, vt ibidem explanauimus,& tamen Porphyrius prius eam diſtinxit,quàm definierit.

Alij ſunt,qui dicunt Porphyrium reprehenſione dignum nequaquam extitiſſe,quia cum accidens in Proprium & cõmune diuidatur,atque de accidẽte propriò prius egiſſet in quarto capite, non fuit præterea neceſſarium de actidente communi in quinto capite diſtinctionẽ præponere: Attamen etiam hic modus dicendi à veritate dupliciter aberrat; tùm primo quia cum in pręcedenti capite, nullam Proprij definitionem aut deſcriptionem Porphyrius aſſignauerit, (quãuis ex appoſitis verbis colligi poſſit) inde fit vt ſumi nequeat,quod Proprium ſit quoddam accidenti ſignificatum; aut quod accidens quartũ & quintum predicabile, vt intentionaliter ſumuntur totam accidentis naturam euacuarent:Præterea vt ex dictis fit notum, de accidente communi tantùm præſens inſtantia fertur,eo quod duobus modis, ſcilicet realiter & intentionaliter ſumi poteſt, vt dictum eſt.

Caietanus, alia via, ab hac inſtantia Porphyrium tueri nititur: inquit enim quod cum Author in logica ſcribat, ideo quod logicaliter termini eſſent intelligendi, cenſuit, ac propter hoc accidentis diſtinctionem dimiſit, tanquam omnibus per ſe notum eſſet, quod ſuus ſermo eſſet logicus, & logicè intelligendus: ſed Contra hunc modum dicendi quidam ſic obijciunt; ſi Porphyrius pro tanto accidentis diuiſionem dimiſit, eo quod cenſuit ſermonem ſuum fuiſſe logicè intelligendum, cum in logica ſcriberet; ergo per eandem rationem de genere ac de ſpecie agens, eorumdem A diuiſionem dimittere debuiſſet, nempè quod Genus & ſpecies multipliciter dicantur; etenim omnibus fit per ſe notum quod cum ſuus ſermo eſſet logicus, multæ illorum ſignificationes, logicam conſiderationem non ſubeunt; quod attamen non fecit, imo diſtinctione pręmiſſa, ac nonnullis ſignificationibus reiectis, eam tantum dilucidandam aſſumpſit, quæ logico ſermoni apta erat: Verumtamen quia à Caietano allata defenſio, inter cæteras B veriſimilior cenſetur; ideo reſponderi poteſt obiectionem in ipſum non magni roboris eſſe; neque rationem de genere ac ſpecie ex vna parte,& de accidente communi ex altera parem eſſe: quia cum genus ac ſpecies non ſolum apud logicum & phyloſophũ, ſed etiam apud gramaticos,rethores,ac ciuiles,varias ſignificationes habeant, ideo neceſſarium fuit horũ aliquas diuiſiones proponere,ne per tot,tantaſq; ipſorũ ſignificationes quis vagaretur:ſed accidens C cõmune, eo quod duobus modis tantũ dicitur,ſcilicet realiter, & intentionaliter, atq; omnibus per ſe notũ eſſet, de accidente ſecundum ſuum eſſe reale à logico minimè agi,ideo remanſerat, vt Porphyrij ſermo, logicè tantum intelligeretur; hoc igitur modo ab Auicennę reprehenſione Porphyrio defenſo, ſcilicet accidentis diuiſionem ideo in initio capitis dimiſit, quia ſuus ſermo logicè intelligendus erat, ad literę explanationẽ nũc deueniatur,inquit ergo Porphyrius, D Accidens eſt quod adeſt, & abeſt præter ſubiecti corruptionem: hæc eſt prima pars huius capitis, in qua Porphyrius accidentis diuiſione dimiſſa,ad illius deſcriptionem ſtatim ſe contulit, & inquit; Accidens eſt quod adeſt, & abeſt pręter ſubiecti corruptionem; ad huius definitionis terminorum intelligentiam, ſciendum eſt, quod adeſſe, & abeſſe duobus modis ſumuntur,vno modo primo intentionaliter, videlicet, vt adeſſe ſignificet realem inhærentiam accidentis ad ſubiectum, & abeſſe realem ſeparationem eiuſdem ab eo cui inerat;

corru-

A corruptio subiecti idem sit quod realis subiecti destructio, vt sit sensus, Accidēs est, quod realiter subiecto inheret, vel ab eo separatur, absque vlla subiecti reali corruptione: alio modo secundè intentionaliter, ita vt adesse sit idem quod affirmari, abesse idem quod negari, subiecti corruptio sit repugnantia naturę subiecti, vt sit sensus; accidens est quod adest, idest, accidens est predicatum vniuersale quod affirmatur: & abest, idest negatur de subiecto, præter subiecti corruptionem, B idest absque vlla repugnantia naturę subiecti de quo affirmatur vel negatur, vt si dicatur homo est albus, siue homo nō est albus, nihil dicitur quod naturæ hominis repugnet: nunc verò an iuxta primum vel secundum sensum, accidentis definitio sit intelligenda, expositores in eandem sententiam non concurrunt. Toletus, cui quidam recentiores subscribunt, inquit quod hæc definitio in sensu primæ intentionis aptè quidem intelligi potest, ita vt adesse & abesse C sit idem quod realiter subiecto inherere, vel ab eo separari; qui sensus & si non sit logicus, attamē verus est, ac phylosophicæ considerationi receptissimus: imo inquit, absurdum nullum inde suboritur si penès realem sensum hæc accidentis definitio explanetur, quia cum logica metaphysicę innitatur, potest aliquando ab ea aliqua petere, præsertim cum clara atque nota sunt, quemadmodū hæc se habent. ex altera parte Auerroes in sua pharafrasi, Scot. in q.35. vni- D uersalium, Paulus Venetus, Caietanus, Iauellus, & Sotus, iuxta secundum sensum hanc definitionem intelligunt, tum quia hic logicus est, atq; logicè sunt intelligenda ea quæ in logica pertractantur: imo huic interpretationi valde fauent Porphyrij verba, qui post assignatam accidentis diuisionem, cuidam tacitæ obiectioni faciens satis, inquit quod Coruus potest intelligi albus, & Etiops candore nitens; in quibus verbis liquidò comprehenditur, Porphyrium loqui de adesse & abesse secundè intentionaliter. Præterea agere de accidente secundū suum esse reale, altioris scientiæ est, ac maioris inquisitionis, quàm sit logica. qua propter ad alterius opinionis rationem respondetur, verum esse, quod logica metaphysicæ innititur quo ad suppositionem sui subiecti, nam logica recipit à metaphysica ens rationis, vt in quadam questione proemiali diximus, attamen quo ad logicas definitiones haud necessarium est logicā metaphysicæ inniti, igitur concludatur quod termini sunt logicè intelligendi, ac secundè intentionaliter sumendi, vt sit sensus, Accidens est quod adest & abest præter subiecti corruptionem; idest, accidens est prædicatum accidentale quod de subiecto affirmatur & negatur absque vlla naturæ subiecti repugnantia: dubitationes autē quæ huic elucidatæ definitioni aduersantur, in sequēti lect. explanabūtur.

Disputatio secunda Dilucidatio 1.

Dubitationes aliquot, aduersus primam accidentis definitionem proponuntur.

QVANTVM vtilitatis sit, circa vniuscuiusq; rei naturam indagandam, dubitationes afferre, Aristot. Peripateticorum Princeps in lib. 3. met. text. 1. testatur, dum scribit, quod qui de re aliqua quærunt, nisi primò dubitent, illis similes efficiuntur, qui quo nā ire oporteat, ignorant; & adhuc neq; vtrū inuenerint quod quæritur, an nō, cognoscere possunt: nos igitur, qui accidētis naturam indagare studemus, ideo vt eam verè agnoscamus, dubitationes aliquot proponemus, quarum solutiones ad accidentis naturam modo perfectiori intelligendā, multū conferre, nemo sit qui dubitet: Dubitationes autē hæ sunt.

1 Prima dubitatio, circa ipsum accidens, quatenus est predicabile, versatur: Etenim manifestū est, quod Porphyrius in hoc suo tractatu, cōsiderās vnūquodq;

prædicabile, quatenus prędicabile, iuxta hanc formalem considerationem ipsum definiuit: genus cum dixit de pluribus specie differentibus: speciem de pluribus numero differentibus in quid predicari: Differentiam de pluribus specie differentibus in quale quid: atque proprij definitionem insinuauit, cum dixit quod inest omni, soli, & semper, & conuertitur cum ea specie, cuius est Proprium: Igitur quia & ipsum accidens est de numero prædicabilium, ob id Porphyrius debuisset aliquam definitionem ipsius assignasse, per quam sub ratione, qua de pluribus prædicatur, definiretur, eo quòd talis est ratio formalis, & modus considerandi omnium eorum, quæ in hoc opusculo tractantur.

Nec valet quorundam solutio asserentium, ex omnibus assignatis definitionibus accidentis, sumi posse ipsum esse predicabile: quia in vtraque definitur accidens sub ratione, qua alteri inest, vel ab eo separatur, & non quatenus de illis predicatur.

2 Præterea, esto quod accidens, quemadmodum & reliqua predicabilia, de pluribus predicetur: adhuc Porphyrius exponere debuisset, quomodo illa plura, de quibus accidens predicatur, inter se differãt, num scilicet numero, an specie, an genere: si in quid, vel in quale prędicatur; si in quale, aut essentiale, aut accidentale: & si accidentale, nùm conuertibiliter, an non.

3 Præterea, in hac definitione accidentis, duo actus ipsius exprimuntur, scilicet ad esse & ab esse, quia dicitur Accidens est, quod adest & abest; & subiungitur præter subiecti corruptionem: tunc quæritur de his particulis, prętcr subiecti corruptionem, aut limitant illũ actũ tantùm, adesse, aut alium tantum, abesse, vel vtrunque simul, vel nullum ipsorum: si primum tantum scilicet, adesse, aut secundum tantum scilicet, abesse; Contra de natura accidentis est, quod non minus ex illius accessu, quã ex eiusdem recessu, essentia subiecti non varietur. si vtrunque simul, Contra ad accidē-

A tis præsentiam in subiecto sequitur aliqua subiecti generatio, quemadmodum ad absentiam eiusdem à subiecto sequitur aliqua subiecti corruptio, vt in lib. 1. de generatione scribitur, ergo non adest vel abest pręter subiecti generationem aut corruptionem: si nullum ipsorum, ergo definitio assignata, definiti naturam plenè non explicat; contra regulam in libro sexto topicorum traditam.

Ad hoc argumentum, quidam respondent Porphyrij intentionem esse, quod

B illæ particulæ limitent illum actum tantùm, abesse, vt sit sensus, quod ex accidētis absentia à subiecto, nulla sequitur subiecti corruptio. Sed hæc responsio Porphyrium diminutum ostendit, quia sicut exposuit quod ex accidentis absentia nulla sequitur subiecti corruptio, ita exponere debuisset, quod ex eiusdē accidentis pręsentia, aut inherentia, nulla sequitur subiecti generatio; contrariorum enim par ratio est.

Quod si quis soluendo respõdeat hãc

C obiectionem veram esse de accidēte penès suam realitatem considerato, nõ autem penès intentionalem definitionem, secundum quam accidens nunc definitur, quia adesse & abesse sonant idem quod affirmari, & negari; & est sensus, Accidens est prędicatum accidentale, cuius nec affirmatio nec negatio subiecti rationem tollit.

4 Huic solutioni sic obijcitur, si ad aliquam harum predicationum spectaret subiecti rationem tollere, quod ad

D negatiuam maximè spectaret, nemo sentit oppositum: ergo sicut in accidentis definitione explanatur, quod ad illius negationem de subiecto, non sequitur eiusdem subiecti ablatio, ita subdi debuisset, quod ad eiusdem accidentis affirmationem de subiecto, non sequitur subiecti positio: nàm par ratio est de generatione & corruptione subiecti per realē pręsentiam & absentiam accidentis ab eo; & de positione & ablatione eiusdem per negatiuum, vel affirmatiuum prędicatum accidentale.

5 Præterea cum in eadem definitione di-

ne dicitur, Accidens adeſt & abeſt præter ſubiecti corruptionem; tunc dubitatur, quid nomine ſubiecti intelligatur; aut intelligitur compoſitum ex materia & forma, aut aliquod ſimplex: ſi compoſitum, ergo ſequitur quod nullum accidens ſit in anima; Anima enim non eſt compoſita, ſed eſt principium compoſiti ex materia & forma, & ita intellectiones, ſimiliter & affectiones, quæ animę aduenıunt, & ab ea recedunt, non erunt accidentia, quod eſt falſum: ſi aliquod ſimplex, ergo in hoc loco non definitur à Porphyrio accidēs materiale, quia hoc ſimplici ſubiecto non ineſt, & ita exempla in litera, ad rem non adtinent.

6 Preterea ſi accidens eſt illud quod adeſt & abeſt preter ſubiecti corruptionem, ſequitur quod forma ſubſtantialis ſit accidens; quia adeſt, & abeſt à prima materia, preter ipſius materiæ corruptionem, quæ eſt in generabilis & incorruptibilis, vt in libro primo phyſic. text. 82. & lib. 7. met. text. 26. ſcribitur.

7 Præterea Definitio non datur per notam copulationis, neque per oppoſita, vt Ariſt. in lib. 6. topic. docet: ſed hæc accidentis definitio datur per notam copulationis, & per oppoſita, ergo non eſt bona: minor quo ad vtranque partē probatur, & primo quo ad notam copulationis, quia ponitur illa particula, &, quando dicitur quod adeſt, & abeſt: quo ad aliam partem, notum eſt, quod adeſſe & abeſſe, reſpectu eiuſdem ſubiecti, ſunt termini oppoſiti.

8 Præterea, multa accidētia ſunt, quæ cum ſubiectis inſunt, illorum corruptionem faciunt, cuiuſmodi ſunt febris, mors, combuſtio, corruptio: Preterea ſanitas & vita cum abſunt, ſubiecti corruptionem arguunt; ergo aſſignata definitio omni accidenti non conuenit. & hæ ſunt dubitationes, quarum ſolutiones ad accidentis naturam indagādam, multam vtilitatem allaturas eſſe, nemo ſit qui dubitet; ſed ne ſermonis prolixitate, hi qui audiunt, vel legunt, tedio afficiantur, ideo ſolutiones earum, ad ſequentem lectionem differantur.

A

Dilucidatio 2.

Diluuntur octo dubitationes propoſitæ.

EST autem opere pretium, aliquid facultatis habere volentibus, benè accurateque dubitare; nam poſterior facultas, ſolutio eorum eſt, quæ ante dubitata fuere, inquit Ariſt. in lib. 3. primę phylo-
B ſophiæ textu primo nos igitur, qui accidentis, ſeu accidentalis predicati naturā indagare intendimus, quàm plurimas dubitationes conſideratu dignas in ſuperiori lectione propoſuimus: nunc verò supereſt, vt earum ſolutiones in mediū afferamus, diſcutiamuſque, vt inde huius accidentalis predicati conditio & natura, magis magiſque eluceſcat: octo dubitationes propoſitæ ſunt, quæ aſſignatam accidentis definitionem contra ire videbantur, quarum ſolutiones eodem ordi-
C ne adducentur, quo & ipſæ propoſitæ fuerunt.

Ad primum negatur minor, videlicet, quod Porphyrius nullam definitionem accidentis poſuerit quatenus predicabile eſt, ceu & aliorum prædicabilium poſuit: nam cum accidentis definitio non realiter ſed intentionaliter ſit intelligēda, vt in lectione ſuperiori dictum eſt, & adeſſe & abeſſe ſit idem quod affirmari & negari, ideo idem eſt ac ſi dixiſſet, Accidens eſt predicatum vniuerſale acci-
D dentale, cuius neque affirmatio neque negatio ſubiecti rationē tollit; quę quidem definitio, ipſum accidens explanat, quatenus ens rationis, & predicabile eſt.

Ad ſecundum dicitur non fuiſſe neceſſariū apertis verbis explicuiſſe quomodo ea differant de quibus accidens predicatur: quia cum ſit accidens cōmune, ex hoc apertè intelligitur ipſum nō habere determinatum ſubiectum, aut genericum, aut ſpeccifium, vel numericum; ſed de infinitis ſubiectis abinuicem differentibus nunc genericè, nunc ſpecificè, nūc numericè enunciari poſſe: ſimi-

liter neque opus fuit exposuisse an prædicetur in quale accidẽtale conuertibiliter, aut non; nam cum sit accidens ex hoc intelligitur quod in quale accidentale predicatur; cum sit commune, quod non conuertibiliter; ac præsertim cum in definitione Proprij dixerit ipsum esse quod conuertitur cum eo, cuius est Proprium.

Vel dicatur cum Paulo Veneto in responsione ad quartum ex eo quod logicus considerat accidens quatenus habet modum prędicandi & non essendi, ideo Porphyrius accipit adesse & abesse vt sunt intentiones secundæ importantes modum predicãdi: quibus intellectis habetur definitio, quam Porphyrius intẽdit, & in qua, loco generis ponitur vniuersale, per adesse & abesse, accidentaliter predicari: per illud quod addit præter subiecti corruptionem, intendit non conuertibiliter dici, & tunc definitio talis est, Accidens est vniuersale, quod est prædicabile accidentaliter, & non conuertibiliter de subiecto cui inest.

Ad tertium neotericorum quidã, eam rationem tanti faciunt, ita vt arbitrentur neminem posse eam soluere, ac propterea Porphyrium reprehensione dignum prædicant, quia in quo vis sensu siue reali siue intentionali definitio accidentis sumatur, exponere debuisset, quod sicut per accidentis realem absentiam aut negationem de subiecto, nulla sequitur subiecti corruptio, vel ablatio, ita per eiusdem accidentis realem præsentiam, vel affirmationem de subiecto, nulla sequitur subiecti generatio aut positio: quam quidem rationem confirmant per Auerroem, qui in sua paraphrasi in principio capitis de accidente, animaduertens duos actus accidentis nempe adesse & abesse, duas limitantes conditiones apposuit, vt ita ipsũ definiat; Accidens est quod estimatur esse & euanescere, absque eo quod estimetur corrumpi subiectum eius, aut generari.

Sed hi ex falsa suppositione, quam habent, à veritate quàm longius distant;

A Etenim credunt quod illæ particulæ, præter subiecti corruptionem, tàm in reali quàm in intentionali definitione accidentis, determinent ipsius absẽtiam vel illius de subiecto negationem tantùm, quod est falsum, quia in vtroque sensu ambo determinant; ideo vt Sotus in quest. vnica huius capitis ad tertium inquit, sano & proportionali modo illa particula est intelligenda, videlicet Accidens est quod postquam semel adest potest abesse præter subiecti

B corruptionem; idest quod causa quare accidens abest non sit subiecti corruptio: & postquam abest, potest adesse præter subiecti corruptionem: aut si intentionaliter exponatur, sensus est talis, Accidens est scilicet predicatum accidentale, cuius nec affirmatio, nec negatio de subiecto, subiecti rationem tollit: ex qua definitione sic intellecta patet esse falsum id quod ab aduersariis supponitur. nempe illas particulas, (pręter subiecti corruptionem) acci-

C dentis absentiam aut illius negationem tantùm determinare, cum vtranque partem videlicet absentiam & præsentiam, negationem & affirmationem determinent: nam accidens commune siue adsit, siue absit, siue affirmetur siue negetur de subiecto, subiecti rationem nunquam tollit, neque in illius essentia aliquam variationem efficit: hanc resolutionem ex commentarijs Caietani elicio, qui illam particulam (præter, &c.) explanans inquit quod bifa-

D riam constructionem potest habere, primam cum ly subiecto quod sub intelligitur, & est sensus Accidens est quod adest, & abest subiecto, pręter subiecti corruptionem, idest manenti; & hoc modo accidentis definitio non construitur, quia superfluè adderetur illa particula (præter) eo quod in omni affirmatione & negatione subintelligitur subiecti rationem manere, alioquin non de subiecto, sed de aliquo alio affirmatio & negatio verificaretur: secundam cum ly adest & abest, tanquam copulę verbalis modificatio, vt sit sen-

sit sensus, Accidens est quod de subiecto affirmatur & negatur, non quocunque modo sed tali modo, nempè non destruendo illius rationem, & iuxta hunc sensum nunc intellectum sic definitur, Accidens idest prædicatum accidentale est quod adest & abest, idest indifferenter affirmatur & negatur de subiecto præter subiecti corruptionem, idest absque hoc quod subiecti rationem destruat: igitur manifestũ est quod illæ particulæ nõ supponunt pro absentia vel negatione accidẽtis tantũ, sed pro vtraque quam expositionẽ Scotus etiam in q. 35. vniuersalium habere videtur.

Ad quartum solutio ex his quę dicũtur ad tertium habetur.

Ad quintum S. Thomas in lib. 2. contra gentiles capite 81. in solutione quartę rationis, inquit quod in definitione accidentis, nomine subiecti intelligitur compositam ex materia & forma, vt sit sensus Accidens est quod adest & abest præter corruptionem subiecti compositi ex materia & forma.

Sed contra hanc expositionem, nisi aliter intelligatur, militat argumentum de prædicatis spiritualibus in Anima, quæ est simplex substantia.

Ideo Franciscus Ferrariensis in commentarijs eiusdem capitis octuagesimi primi, ita soluit, Accidens duobus modis sumitur vno modo vt est commune absolutè ad omne prædicatum accidentale siue sit naturale & materiale, siue spirituale & intelligibile, & tunc in illa descriptione nomine subiecti sumitur quodcunque subiectum propositionis, quia omne tale prædicatum accidentale potest affirmari & negari à subiecto, respectu cuius dicitur accidentale prædicatum absque hoc quod subiecti ratio remoueatur; & omne prædicatum quod taliter se habet ad subiectũ, quod possit affirmari & negari, quod idem est, quod adesse & abesse à subiecto absque detrimento rationis illius est accidens, siue accidentale prædicatum, si vero accidens sumatur pro naturali & materiali accidente tantum, vt distinguitur

A contra accidens spirituale & intelligibile, tunc nomine subiecti intelligitur cõpositum ex materia & forma, nam omne tale accidens potest adesse & abesse siue secundum esse reale, siue intentionale absque corruptione subiecti compositi ex materia & forma: ad propositũ dicitur quod S. Thomas eo in loco accipit accidentis descriptionem, vt accidẽti dumtaxat materiali & naturali conuenit; horum enim accidentium subiectum est compositum ex materia & forma, quod est ens in actu, de quo quidem

B accidente Porphyrius loqui videtur, eo quod de spiritualibus & intelligibilibus nullam mentionem fecerit, vt exempla in litera textantur.

Dicatur igitur ad argumentum, quod cũ Porphyrius in ea descriptione loquatur de accidẽte, hoc est de prædicato accidentali naturali & materiali, tunc nomine subiecti intelligitur cõpositum ex materia & forma: at cum arguitur ergo intellectiones & affectiones Animę non

C sunt accidentia, conceditur quod non sunt accidentia secundũ quod Accidens à Porphyrio describitur, eo quod definitur accidens naturale & materiale, absolutè tamẽ sũt accidẽtia, id est prædicata accidentalia spiritualia, & intelligibilia.

Hęc doctrina verissima est, & Porphyrij intẽtioni aptissima: verùm vt argumẽta quę de accidentibus spiritualis fieri consueuerunt, percipiantur; dicatur quod nomine subiecti accipitur quodcunq; subiectum propositionis: vnde si ar

D gumenta fiant de prædicatis accidentalibus spiritualibus tunc illorum subiectũ est simplex vt Anima aut Angelus: si prædicata sint naturalia materialia, tunc nomine subiecti intelligitur compositã: quãobrẽ sicut huiusmodi accidẽtia materialia adsũt & absunt, vel affirmantur & negantur absque hoc quod subiecti ratio remoueatur, ita contingit de prędicatis spiritualibus respectu subiecti simplicis. Ad authoritatem Sancti Thomæ dicatur cum Caietano quod D. Thomas non intendit ibi glosare hãc definitionem ad literam; sed quia inter

realem

realem vnionem formę accidentalis cũ suo subiecto, de qua ibi loquitur, & predicationem predicati accidentalis de subiecto est aliqua similitudo ac proportio, ideo accepta applicatione huius definitionis ad formam accidentalem respondendo glosat modo prædicto, & ita patet solutio ad quintum.

Ad sextum negatur consequentia, & respõdetur quod subiectum formę substantialis est duplex vnum proximum & mediatum quod est compositum, alterum remotum & immediatum quod est prima materia: etenim si forma substantialis adsit & absit pręter generationem & corruptionem subiecti remoti & immediati, idest primæ materiæ, non tamẽ pręter generationem aut corruptionem subiecti proximi & immediati, quod est compositum, vel respõdeatur quod modus quo forma inest materiæ, distinguitur ab eo, quo accidens inest subiecto, vt scribitur in lib. 4. physicorum textu 23. & ita modus separandi est alius & alius: aut dicatur quod & si ad separationem formę substãtialis à prima materia, ipsa materia non corrumpatur per se, corrumpitur tamen per accidẽs, vt in lib. 7. met. text. 23. & lib. primo physicorum text. 82. scribitur.

Ad septimum sciendum ex Paulo Veneto in responsione ad quartum & ex Caietano, quòd illa particula (&) in definitione posita, cum sit copulationis nota, non signat simultatem accidentis in subiecto, ita vt idem accidens respectu eiusdem subiecti, in eodem tempore adsit, & absit, affirmetur & negetur, quia contradictionem implicaret, sed successionem designat. pro diuersis temporibus absque aliquo ordine, ita vt tale accidens indifferenter nunc adsit, & postea absit, nunc affirmetur deinde negetur, absque hoc quod subiecti ratio tollatur: hinc ad argumentum respondetur, quado dicitur quod definitio non datur per notam copulationis, vera est propositio de definitione quidditatiua, at in definitione descriptiua, seu notificatiua nullum absurdum sequitur, si per notã copulationis, siue per disiunctionem detur: sic etiam Sotus q. vnica ad secundũ respondet: ad aliam verò partem argumenti, negatur quod adesse & abesse opponantur, quia non intelliguntur pro eadẽ mensura temporis, sed pro diuersis temporibus vt dictum est: vel dicatur quod adesse & abesse bifariam considerantur, primo vt dicunt actum, secundo vt dicũt aptitudinem, primo modo opponuntur contradictoriè, sed non penès hanc considerationem in definitione ponuntur, sed vt aptitudinem signant, & sic non opponuntur, vnde est sensus quod Accidẽs in vniuersali adest & abest secundum aptitudinem, in particulari adest & abest actu, quod successiuè ipsi conuenit.

Ad octauum ob varias opiniones, ad sequentem lectionem resolutiones referantur.

Disputatio tertia.

Quomodo quædam Accidentia, vt mors, corruptio, combustio, febris, sanitas, vita, adsint, & absint pręter subiecti corruptionem.

Dilucidatio I.

Pauli Veneti, Toleti, & quorundam recentiorum sententiæ afferuntur, & repelluntur.

RVRSVS alias dubitationes afferunt, qui primam accidentis definitionem à Porphyrio assignatã exponunt, eamque non omni accidenti conuenire manifestant: rationes autẽ quibus illud monstrare nituntur, sunt hæ: verùm ad illarum intelligentiã meminisse oportet, quæ sit prima accidentis descriptio, videlicet, Accidens est quod

quod adest & abest prçter subiecti corruptionem.

1 Contra hanc definitionem sic arguitur, multa accidentia sunt, quç cum subiectis aduenlant illorum corruptionem efficiunt, cuiusmodi sunt febris, mors, combustio, corruptio, & alia huiuscemodi, quç cum sint accidentia, subiectis euenire absque eorum corruptione nequeunt, ergo assignata definitio nõ omni accidenti conuenit.

2 Prçterea quemadmodum quorundam accidentium prçsentia in subiecto, A ipsius subiecti corruptionem inducit, vt dictum est, ita quorundam absentia eiusdem subiecti corruptionem arguit: sanitas enim & vita, quæ sunt accidentia, (nam & ipsorum opposita, vt infirmitas & mors, sunt accidentia) à subiecto abesse non possunt, absque illius corruptione, ergo &c.

Hç dubitationes neque pueriles, neq; faciles sunt, vt quidam arbitrantur, propterea pluscula consideratione egent: graues etenim Porphyrij interpretes Arabes, Grçci, Latini, in earum solutione multum laboris impendunt, neque in eandem sententiam concurrunt: vt autẽ ipsorum solutiones faciliori modo percipiantur, à iuniorum sententia sermo noster exordiatur. Sunt igitur quidam iuniores, qui has difficultates diluere nitentes, eo modo soluunt, quo Porphyrius obiectionem de accidente inseparabili soluit: ad cuius intellectum sciendum (& hoc infra apertius dilucidabitur) quod cum Author primam accidentis definitionem apposuerit, illicò eiusdem accidentis diuisionem subdit in separabile & in inseparabile; ac quçrens deinde quomodo illa pars definitionis qua dicitur. Accidens potest abesse, ipsi accidenti inseparabili aptetur, respondet quod & si inseparabilia accidẽtia nequeant realiter separari à subiectis quibus insunt, tamen intellectu separata intelliguntur prçter subiecti corruptionem: Coruus etenim nostra consideratione, absque illius corruptione albus intelligi potest: pari ratione inquiunt hi, possunt intelligi huiusmodi accidentia inesse absque corruptione subiectorum, quibus insunt.

Sed hic modus dicendi, à vero quantum distet, multis verbis aperire haud necessarium est. nam cum secundæ intentiones, non nisi in primis fundentur, vt Auicenna textatur, non apparet quomodo noster intellectus possit intelligere mortem, corruptionẽ, & combustionem subiectis inesse, absq; eo quod ipsorum subiectorum corruptionem intelligamus: nam contradictionem implicare B videtur corruptionem aut mortem subiecto inesse, & subiecti corruptionem nõ intelligere: Nec par ratio est de intellectu accidentium inseparabilium, & de corruptione ac morte; illa namque suorum subiectorum constitutionem non arguunt, ideo vt subiectum sub opposito accidenti, ab intellectu comprehendatur absque subiecti corruptione, nullum absurdum oritur; at quia corruptionis & mortis opposita, nempe generatio & C vita suum subiectum constituunt, nõ est quomodo intelligantur: ea accidentia subiecto adesse, & subiecti corruptionẽ prç se non ferre.

Alter modus dicendi est Toleti, (& inquit hanc esse Burlei sententiam) asserentis subiectum mortis corruptionis, ac combustionis non esse aliquid cõpositum, sed materiam primam, quæ cum sit ingenerabilis, & incorruptibilis semper manet mortuo homine, vel domo combusta. & hoc est quod Burleus di- D cit, quod corruptio substantiæ est accidens substantiæ, & quod adest & abest substantię præter substantiæ corruptionem; id est, potest non inesse substantiæ, manente substãtia, idest materia prima. Sed neque his modus dicendi consonus est; tùm primo quia & si remaneat materia, non tamen remanet illud, cuius mors aut corruptio fuerunt accidens; immediatum etenim ac proximum subiectum mortis, & corruptionis in viuentibus non est nisi compositum: tum quia predicationes tunc fierent de materia, ita vt diceretur materia est mortua, lapides

pides sūt combusti, quod est falsum: nec valet Toleti solutio dicentis quod illæ mutationes inducunt alicuius præexistentis priuationem, vel alicuius quod non erat priuationem, & propter hoc de eodem predicantur, dicendo domus est combusta, quia priuatio est domus; homo est mortuus, quia homo non est: & è contra ignis est genitus, quia ignis acquirit esse: nam si illę mutationes inducunt compositorum priuationes, ergo ipsa composita debent esse predicatorū subiecta; quare hic modus dicendi veritati consonus non apparet.

Paulus Venetus in responsione ad tertium distinguit de accidente, & inquit quod duplex est Accidens, vnum positiuum, alterum priuatiuum: iterū de vtroque distinguit quod est duplex, vnum abstractum, & alterum concretum: exempla positiui abstracti, vt albedo, nigredo, dulcedo; exempla positiui concreti, vt album, nigrum, dulce: exempla priuatiui abstracti, vt mors, corruptio, combustio; exempla priuatiui concreti, mortuum, corruptum, combustum: vlterius distinguit, quod subiectum est duplex, vnum in actu vt compositum, alterum in potētia vt materia prima: his positis, inquit Paulus, quod Definitio à Porphyrio assignata est intelligenda de accidentibus positiuis concretis, quorum subiectū est ens in actu; non autem de priuatiuis abstractis, quorum subiectum est materia prima, vt sunt mors, corruptio, combustio, quę sunt predicata repugnantia, & nomen & rationem subiecti auferentia.

Contra hunc modum dicendi sic arguitur: ab accidentibus priuatiuis abstractis, fiunt denominationes in concreto, vt à morte mortuum, à corruptione corruptum, à combustione combustum: ideo adhuc dubitatur quales predicationes sint hæ, homo est mortuus, lignum est corruptum, domus est combusta: quod si accidentalis sint, ergo hæc prædicata accidentalia priuatiua, nequeunt in esse absque subiecti corruptione: Præterea peccat opinio dicendo quod accidentium priuatorum abstra-

A ctorum subiectum sit prima materia; non enim in materia, sed in composito tanquam in subiecto immediato & proximo est mors, corruptio, atque combustio vt dictum est: sed ne multa verba his qui legunt tedio sint, ideo reliquas opiniones ad aliam lectionem referamus.

Dilucidatio 2.

B **Burlei, Caietani, & Ammonij opiniones referuntur circa dubitationes in superiori dilucidatione propositas.**

QVID de propositis dubitationibus, nonnulli dixerint, in superiori lectione satis superque explanatum fuit: nunc quid de eisdem alij sentiant exponendum est: atque tres opiniones nempe Burlei, Caietani, & Am-

C monij recensendæ sunt: Burleus igitur in hoc eodem capite, cui quidam recentiores in libro secūdo quest. logicalium, in q. *14.* in solutione primi argumenti subscribit, debilem quamdam solutionē apponit, scilicet, quod illæ particulæ (prętet subiecti corruptionem) determinent alteram partem definitionis tātum, illam videlicet, in qua dicitur accidens, posse abesse; qua sic exposita, hoc modo Porphyrij textum interpretatur:

D Accidens est, quod adest enti in actu, & abest, idest abesse potest à subiecto pręter ipsius subiecti corruptionem: ex qua quidem interpretatione fit notum, quod & si huiusmodi accidentia, mors, corruptio, & combustio adsint, ac sua pręsentia subiectum corrumpant, hoc non est est contra naturam definiti accidentis, cuius est posse abesse tantùm pręter subiecti corruptionem: nam corruptio substantię compositæ, est ipsius substantię accidens, cui sine illius detrimento, & corruptione adesse nequit.

1 Sed contra Burleum arguitur primo,

mò, quod Porphyrius subdens secundam accidentis definitionem ex Aristotele in lib. primo topicorum capit. 4. desumptam, inquit Accidens esse illud, quod contingit eidem inesse, & non inesse; quæ definitio cum à priori non sit dissimilis, vt suo loco dicetur, ostendit illam particulam (præter subiecti corruptionem) non magis vnam, quàm alteram partem prioris definitionis determinare.

2 Præterea, si illę particulæ determinant illud verbum (abest) tantùm, ergo sanitas cum sit accidens, abesse poterit a subiecto, sine aliqua subiecti corruptione: ad hęc item sunt ea, quæ dicta sunt, videlicet, quod vtrunque verbum determinant.

Altera opinio est Caietani, imo magni Alberti, in tractatu de accidente, & Soti q. vnica ad tertium hi distinguunt, quod propositionum est triplex materia, scilicet naturalis, cõtingens, & remota, ac inquiunt quod assignata definitio accidentis, est vera de predicatis accidẽtalibus contingentibus, fallit autem de remotis, ac disparatis, sed vt iuniores hunc modum dicendi intelligant, exponendum est quid sit materia naturalis, quid contingens, quid remota, paucis namque verbis, & nouitio intellectu difficilibus explicantur. Materia naturalis est illa, in qua prædicatum vel est de essentia subiecti, vel proprium illius; ita vt prędicatum dicitur de subiecto aut in primo, aut in secundo modo dicendi per se; quo pacto generis, speciei, differentiæ specificæ, ac Proprij fiunt predicationes in materia naturali, vt si dicatur homo est Animal: Sortes est homo: homo est rationalis, vel risibilis: & dicitur materia naturalis propter naturalem habitudinem prædicati ad subiectum, cui naturaliter conuenit; vnde fit quod predicatum sit de essentia subiecti, quemadmodum genus, species, & differentia, sunt de essentia eorum, de quibus predicantur; vel ipsum necessario consequatur, tanquam ex principijs essentialibus ipsius emanans, vt Pro- A prium respectu speciei. Materia contingens est illa, in qua prædicatum potest adesse & abesse subiecto præter illius corruptionem; & hoc est quod Caietanus dicit, propositio in materia contingenti est illa, in qua accidens predicatur de eo, cuius est accidens; v.g. homo est albus, homo non est albus: & dicitur contingens quia predicatum conuenit contingenter subiecto; & quod alicui cõtingenter conuenit, potest illi adesse, quia ei non repugnat, & abesse, quia non B necessario inest. Materia remota est illa, in qua prædicatum nullo modo conuenit subiecto, eo quòd repugnat illi, de quo enunciatur: vt si dicitur, homo est Asinus, lignum est lapis: & dicitur remota, quia predicatum secundum suum significatum multum distat à subiecto, ita vt ei repugnet; v.g. si dicatur homo est Asinus, illud prędicatum, Asinus, multum distat ab hominis natura, eique repugnat, quia homo est rationalis, Asinus verò irrationalis: C his ita explanatis, inquit Caietanus, quod cum Porphyrius scribit Accidens posse adesse & abesse præter subiecti corruptionem, intelligit de prędicatis accidentalibus contingentibus, non de remotis aut disparatis: modo mors, corruptio, combustio sunt prędicata remota, siue disparata, seu repugnantia: constat enim quod si homo est, corpus animatum est, & si corpus animatum est, iam mortuum non est: & è conuerso si aliquid mortuum est, corpus anima- D tum non est, & si corpus animatum non est, homo non est: idem dicitur de combusto & de Domo; & consequenter denominatiua a morte, & reliqua huiusmodi cum sint predicata repugnantia, eam rationem sibi non vendicant, vt sine subiecti corruptione adesse possint.

1 Sed Contra hunc modum dicendi, sic arguitur: illa predicata remota, vel disparata, aut sunt predicata accidentalia, aut essentialia, non hoc secundum, vt omnibus in confesso est, ergo primũ, & ita quia accidentaliter eueniunt, ideo acci-

accidentium rationem & definitionem subibunt, ac per consequens aderunt & aberunt præter subiecti corruptionem.

2 Præterea lex propositionum in materia remota hæc est, quod affirmatiua semper est falsa, vt dicendo homo est Asinus, & negatiua vera, vt homo nõ est Asinus: sed in his ambæ sunt veræ homo est mortuus, homo non est mortuus, ergo non sunt in materia remota.

Ad primum Caietanus solutionem insinuat, quam dat etiam magnus Albertus, quod huiusmodi predicationes, co modo quo sunt veræ, non sunt essentiales, aut purè accidentales, sed propriæ & per se, pertinentes reductiuè tamen ad quartum & secundum modum perseitatis: ad quartum (qui est causalis, vt dicitur in libro primo post. de interfecto, qui secundum interfectionem interijt, quoniam propter id quod interfectum est, interijt) reducuntur quia causa & ratio quod homo est mortuus; est quia olim fuit homo, nam si non fuisset homo, non esset mortuus, nam ex præteritione vitæ causatur mors: ad secundum verò reducũtur, vt hęc propositio sit per se in secundo modo dicendi per se, homo est mortuus, quia & si subiectum talis propositionis sit totum disiunctum, scilicet quoniam est, vel fuit homo, de quo non predicatur per se mortuum esse, tamen in sensu verò si predicatũ comparetur ad illam partem subiecti, ratione cuius propositio verificatur, tunc est predicatio per se in secundo modo perseitatis.

1 Contra hanc solutionẽ magni Alberti, & à Caietano positam, arguit Paulus Venetus sic: Accidentia per se non corrumpunt suum subiectum, sed magis illud præseruant, vt patet de risibili, hinnibili, & huiusmodi: sed hæc corrumpũt, ergo non sunt accidentia per se.

2 Item, accidẽtia per se fluunt à principijs speciei: sed hæc non fluunt à principijs speciei, sed à principijs indiuidui, taliter se habentibus, ergo non sunt accidentia per se.

3 Pręterea arguunt alij, quod hæc propositio, homo est mortuus, non sit in quarto modo perseitatis: nam Aristot. in libro primo posteriorum capit. 4. in explanatione quarti modi per se, qui est modus causalitatis, intendit de causalitate effectiua, sicut greci & latini interpretes adnotarunt: vnde Aristot. intendit quod ille effectus est per se alicuius causę, quando per ipsam est, vt interire secundum interfectionem est per se effectus interfecti, quia ex tali causa sequitur, nempe ex interfectione: sed quando effectus non propter illud est, per accidens ei dicitur, vt si alicui ambulanti accidat corruscare, non enim quia ambulauit ideo corruscauit: at manifestũ est quod fuisse vel esse hominem non est causa effectiua quod homo sit mortuus, aut quod moriatur ergo illa propositio non est in quarto modo perseitatis.

Verùm hę obiectiones procedunt ex malè intellecta cùm Alberti, tum Caietani interpretatione; non enim intendũt hi, quod huiusmodi propositiones sint propriè ac verè per se in secundo, aut quarto modo perseitatis, sed quod reducuntur ad modum, quo propositiones per se in secundo & quarto modo formantur: nam quando dicitur homo est mortuus, hæc predicatio non est simpliciter per se: sed quia in sensu verò, subiectũ pro quo verificatur, est hoc, quod olim fuit homo, seu homo pręteritus est mortuus, ideo se habet ad modum propositionum per se; nõ enim potest verificari esse mortuum de homine, nisi de eo qui olim fuit homo; nam ei qui nunc est homo, repugnat mortuum. vnde ad argumenta Pauli Veneti respondetur, (admisso nunc quod accidentia per se conseruent) procedere de accidentibus quæ sunt simpliciter accidentia per se.

Ad argumentum aliorum de causalitate, conceditur quod Aristoteles loquitur ibi de causalitate effectiua: & negatur quod fuisse hominem, non se habeat admodum causæ effectiuę respectu mortis, quoniam ex pręteritione vitę causatur mors, ex hoc enim quod vita præterijt, homo mortuus est, quemadmo-

modum ex interfectione homo interijt.

Ad ſecundum argumētum quod erat de lege propoſitionum in materia remota, ipſemet Caietanus reſpondet, quod illa regula intelligitur ſeruata idemptitate ſubiecti non ſecundum vocem, ſed ſecundum rem, quod in propoſito non cōtingit, quia in affirmatiua ly mortuus non denominat hominem cum non ſit, nam homo mortuus non eſt homo: ſed verificatur propter ampliationem, quia ly mortuus cum ſit participium pręteriti temporis, ſupponit pro eo qui fuit homo, & eſt ſenſus qui fuit homo eſt mortuus; negatiua verificatur de eo, qui eſt homo: ampliat enim ad eos qui ſunt, vel qui fuerunt homines: Concludit tandē Sotus quod ad rationem predicationis accidentalis, requiritur, quod ſubiecto manente, ſeu ſubiecto propoſitionis ſine ampliatione ſupponente, predicatū poſſit affirmari, & negari. & hic eſt ſecundus modus dicendi.

Tertia ſententia eſt Ammonij, viri quidem doctrina clariſſimi, qui hoc modo obiectis ſatisfacit; & quia in obiectis duo genera accidentium proponuntur, febris ex vna parte, mors atque corruptio ex altera: ideo reſpectu febris diſtinctionem iuſinuat, quod duplex ſit illius ſubiectum, vnum principale quod eſt corpus mixtum animatum ſenſitiuū, vt Animal: alterum non principale, vt ſunt quatuor qualitates, in quarum temperie, ac moderatione ſanitas conſiſtit, quæ quidem temperies corpori ineſt: at quando eidem corpori, aliquis qualitatis exceſſus, vel caloris, vt eſt in febre, vel ſiccitatis, vel humiditatis, aut frigoris aduenit licet illarum qualitatum temperies ledatur & aliquo modo deuaſtetur; ſubiectum tamen principale, quod eſt ipſum Animal, cui ea temperies inheret, illeſum atque incorruptum remanet: ex quo patet quod febris cū ſit accidens, adeſſe poteſt præter ſui ſubiecti principalis corruptionem: quæ doctrina ad aures phyloſophorum eſt, cum nemo ſit, qui dubitet, quod dum febris eſt, Animal eſt, & cum Animal non eſt, febris nō eſt, & quam diu febris durat, Animal durat; igitur ad febris pręſentiam cum ſit accidens commune, non ſequitur ſubiecti corruptio.

Ad aliam verò partem de morte, corruptione, combuſtione, ac huiuſmodi, ad quorum præſentiam ſequitur principalis ſubiecti corruptio, vnde accidentis ratio & modus ſeruari non poſſe videtur, vt adſit abſque ſubiecti corruptione: ſupponit Ammonius ex Ariſtotele in libro primo de generatione textu 18: & in libro quinto phyſici auditus, quod mutatio eſt duplex, vna ſubſtantialis ſimpliciter dicta, altera accidentalis, ſecundum quid appellata: in prima & nomen & ratio ſubiecti variatur: igitur cum Porphyrius dicit Accidens poſſe adeſſe & abeſſe pręter ſubiecti corruptionem; Reſpōdet Ammonius quod Porphyrij definitio vera eſt in tranſmutatione purè accidentali, fallit autem in ſubſtantiali; modo mors, corruptio ſunt tranſmutationes ſubſtantiales, reductiuè ſaltem, quibus ſubiectum mutatur de eſſe ad non eſſe, quemadmodum & motus reducitur ad genus ſui termini ad quem; hinc fit quod huiuſmodi abſque ſubiecti corruptione adeſſe nequeunt: & pari ratione, quia viuere dicit ſubſtantiale eſſe viuentis, quo ipſum viuens eſt, nā viuere viuentibus eſt eſſe, hinc fit quod vita nequeat abeſſe à ſubiecto, quin ipſum ſubiectum corrumpatur: hic modus dicendi, multis probatur: & de præſenti quæſito, hęc dicta ſufficiant.

Dilucidatio 2.

Text. Diuiditur enim in duo hoc ipſius ſeparabile eſt, illud verò inſeparabile: dormire quidem ſeparabile accidens eſt: nigrum verò eſſe inſeparabiliter coruo, & Etiopi accidit.

HAec eſt ſecunda pars principalis huius capitis, in qua Porphyrius duo facit

facit: primo diuisionem quamdam accidentis assignat, secundo dubitationem contra eandem diuisionem insinuat eo quod assignatę definitioni aduersari videtur, & soluit. quantum ad primũ, posita prima accidentis definitione, qua dicebatur Accidens esse illud, quod subiecto præter illius corruptionem adesse & abesse potest: illicò illius diuisioné subdit dicens; Accidentium communium, quæ de subiecto accidentaliter predicãtur, quoddam est separabile, & quoddam inseparabile; atque vtriusque exempla ponens, inquit, quod Accidens separabile est, vt dormire, nam aliquis homo dormiens potest non dormire, & vigilãs potest non vigilare: inseparabile autem vt nigredo in Coruo & Etiope, Albedo in cigno, lacte, ac niue, & reliqua huiusmodi. sed priusquã noster sermo vlterius protendat, multa circa positam accidentis diuisionem, consideratu digna occurrunt; quorum primũ est hoc, cũ Porphyrius in hoc capite tractet de accidente, non primè intentionaliter, idest quatenus est ens à substantia contra diuisum, (nam de eo agere penès hanc considerationem altioris ac maioris negocij est) sed secundè intentionaliter, idest quatenus est accidentale predicatum, quod accidentaliter prædicatur de eo cui accidit, ideo assignata diuisio intelligitur de accidente secundè intentionaliter considerato; ac propter hoc iure optimo processit Porphyrius, vt ipsum accidens penes secundam considerationem sumptum prius definiret, quàm diuideret, cuius processus ratio est, quia vtrunque diuisionis membrum, assignatæ definitionis rationi subijcitur, eo quod vtrunque accidens separabile scilicet & inseparabile iuxta logicam cõsiderationem adesse & abesse potest, cũ subiectũ percipi possit ab intellectu, accidente etiam inseparabili nõ percepto, neque considerato: in reliquis autẽ predicabilibus, ideo prius assignata fuit nominis cuiusque predicabilis distinctio, & posterius definitio, quia non omnia illorum multiplicia significata (differentia

A excepta, vt ibi diximus) naturam, quidditatemque definitionis poterant ingredi; sed quoddam vnum dumtaxat, de quo principalior erat eo in loco tractationis intentio. Sed obijciet aliquis, si omne accidens etiam ipsum inseparabile iuxta logicam considerationem, à subiecto separari potest; igitur cur ipsũ diuidit? frustra enim ac vana apud logicum est accidentis diuisio in separabile & in inseparabile, si logica consideratione omnia sunt separabilia: Soluitur ob-
B iectio, quod cum secundę intẽtiones fundentur in primis, est enim Logica de secundis intentionibus adiunctis primis, vt Auicenna scribit, ostendere voluit quod & si quoddam accidens primè intentionaliter sumptum ex sua natura sit inseparabile, attamen secundè intentionaliter acceptum separari potest. Prętcrea circa eandem diuisionem sciendum est, quod cum omne accidés sit in subiecto, nam accidentis esse & inesse, vt dicitur in libro 7. met. tex. 2. duobus modis in
C subiecto causatur, ac propter hoc est duplex; vel causatur à causa naturali fixa & permanente, quasi immutabiliter, & ita est accidens commune inseparabile, vt nigredo in Coruo, quę ex intensa caliditate & siccitate complexionali predominium habente super frigiditatem ac humiditatem, causatur: & in Etiope, quæ ex adustione regionis, à qua nullo tempore sol multum elongatur, habitant enim circa tropicum Cancri; aut causatur à causa instabili, quę diuerso tempo-
D re diuersimode se habet, & variatur, & sic est accidens separabile; vnde separabile & inseparabile sunt quidam modi accidentales conuenientes accidẽti per respectum ad subiectum, cui inest.

Præterea quia separabile & inseparabile aptitudinem quamdam designãt ad posse vel non posse separari; ideo de separabili prius loquendo dicitur quod accidens posse separari à subiecto, cui inest, bifariam intelligitur, vno modo per realem separationem, ita vt hac separatione facta, ambo extrema nempe subiectum ex vna parte. v.g. lac, & accidens ex

dens ex altera ; verbi gratia, albedo remaneant; & hoc modo nullum accidens A est naturaliter separabile à subiecto, cui inheret, alioquin Accidens sic separatum per se subsisteret, quod est contra accidentis naturam : nam sicut Aristoteles in libro septimo metaphysicæ textu secundo scribit, & est famosa propositio, Accidentia sunt entia eo quia taliter entis, hoc est existere non possunt absque subiecto in quo fundātur & substentantur, ita Auerroes in libro 12. metaphys. comm. 3. exponit, per se namque B subsistere Proprium est eorum entium, quorum esse est simpliciter ac perfectè esse, cuiusmodi sunt substantię; videatur Zimara in theoremate tertio (& dictum est naturaliter propter accidentia in sacramento altaris, quæ supernaturalitèr & miraculose à subiecto separata existunt.) alio modo separari potest per ipsius accidentis corruptionem, & hoc modo Accidens est á subiecto separabile; quia ex eo quòd causam variabilem in subiecto habet, fa- C ciliter corrumpitur, & ita ab eo separatur : & quemadmodum separabile duobus modis dicitur, ita & duobus modis inseparabile dici potest ; vno modo negatiuè, ita vt ly, in, negatiuè sumptum, & separabili additum, neget actum & potentiam simul ad separari ; & hoc modo accidens commune non dicitur inseparabile, quoniam (texte magno Alberto) coruus & si naturaliter sit niger, tamen ouo coruino accepto cum argento viuo, in humore vi- D scoso anseris, vel catti, quę sunt Animalia frigida, ac posito in frigidissimo loco summorum montium, ibique foto, tunc coruus albus ex eo generabitur, vnde etiam in his nostris regionibus Aetiopes paulatim albescunt, nec non filios albos procreant. alio modo dicitur inseparabile priuatiuè, ita vt ly, in, priuet actum & relinquat potentiam, vnde inseparabile priuatiuè dicitur illud, quod vel actu, aut non faciliter separatur, & hoc modo accidens commune quod non faciliter separatur, dicitur inseparabile, relinquit tamen potentiam, quæ separari possit, vt expositum est. sequitur textus.

Tex. **Potest enim intelligi & coruus albus, & Etiops abijciēs colorem, præter subiecti corruptionem.**

PОrphyrium sibimet haud constitisse, atque assignatę definitionis nequaquam meminisse, posset quis meritò obijcere, eo quod huius diuisionis verba, his quę in definitione dixit minimè connectuntur; neque ea quę in accidentis definitione ponuntur, eiusdem accidentis diuisioni, quam modo assignauit aptè commodari queunt : si enim accidentis natura est, quod à subiecto separari possit, quia Accidēs est, quod adest, & abest pręter subiecti corruptioné, & definitionis munus est, definiti naturā explicare, vt in lib. 4. top. scribitur, quomodo igitur ipsum accidens erit inseparabile? & si est inseparabile, qua ergo ratione subiecto abesse poterit? nec verum est quod quidā dicunt, nempe non esse eiusdem accidentis nunc assignatā diuisionem, cuius prior fuit posita definitio; quoniā diximus iam eiusdem accidentis iuxta logicā considerationem sumpti, assignari nunc diuisionem, cuius fuit in initio capitis posita definitio, etenim vtrūque diuisionis mēbrū, illius rationé definitionéq; subibat. huic tacitę obiectioni, quam Porphyrius præuiderat, in hoc textu satisfacere nititur, dū dicit quod; & Coruus albus, & Aetiops abijciens colorem intelligi possunt præter subiecti corruptioné; & est ac si dicat, accidens inseparabile, posse a subiecto, cui inest, separari, duobus modis intelligitur, vno modo physicè, quod est realiter separari, & hoc modo accidēs inseparabile separari nequit, alio modo logicè, quod est intellectu cōsiderari, & hoc modo omne accidens, quāuis ex sua natura sit à subiecto inseparabile, tamen secundum nostrum modū cōsiderandi, separari potest: nostra

etenim intellectuali consideratione, possumus intelligere Coruum, vel Etiopem absque nigredine, & Cignum sine albedine: in quo quidem modo separandi, qualiter noster intellectus ad veritatem & falsitatem se habeat, atque qualiter accidentis assignata diuisio intelligatur, ad sequentem proximam lectionem hęc omnia dilucidanda differantur.

Disputatio quarta.

Quomodo intelligatur Accidens inseparabile, posse à subiecto separari.

Dilucidatio I.

Argumenta proponuntur. & Burlei assertum explanatur, & abijcitur.

DEFINITIONES, quæ dãt quidditatem, tria propria habere debent; quorum vnum est, vt per eam, omnes quæstiones in re contingentes dissoluantur; secundum vt propria accidentia appareant, quia definitiones cõpletæ innatæ sunt omnium accidentiũ causas reddere; tertiũ, vt ex ipsa definitione appareat difficultas, idest difficultatis motiuũ; ita scribit Auerroes in lib. 4. physice ausculrationis in com. 32. quę omnia eliciuntur ex officina Arist. in libris 1. & 2. de Anima in tex. 11. 12. & 26. & quæ de rerum definitionibus asserũtur, eadẽ de rerum descriptionibus asseri possunt: igitur cum Porphyrius definiuerit accidens, seu quadam descriptione ipsũ explanauerit, dixit Accidẽs esse illud quod adest & abest præter subiecti corruptionem; cuius definiti accidentis diuisionẽ subiungẽs, inquit quod accidentiũ aliud est separabile, aliud inseparabile, vt nigredo à coruo, & albedo a Cigno: nunc

A autem dubitatur quomodo diuisionis alterum mẽbrum definitioni coaptetur: nam si alterum accidens est inseparabile, quomodo subiecto abest? & si abest, seu abesse potest, quomodo à subiecto erit inseparabile?

2 Quod si respondeatur, Accidens ex sua natura inseparabile, posse separari per nostri intellectus considerationem: tunc maior difficultas inde exoritur; dato etenim quod nigredo aut à Coruo, vel Etiope intelligatur separata: tũc dubitatur de hac propositione, quã dicitur,
B Coruus non est niger, an sit vera, vel falsa: si vera, ergo nigredo non operatione intellectus tantũ, sed re ipsa erit à Coruo separata, quia ab eo quod res est, vel non est, oratio dicitur vera vel falsa, vt scribit Aristoteles in c. de substantia, & ita accidens naturaliter inseparabile, erit actu separatum; si falsa, ergo intellectũ non vero, intelligo Coruum non esse nigrum; & hoc logicæ veritati maximè aduersatur.

C 3 Præterea stãte hac solutione, aliud absurdum emanat, nempe quod Proprium quarto modo sumptum, definitionem accidentis communis subeat: eadem namque ratione noster intellectus intelligere potest hominem, risibilitate non intellecta: & ita risibilitas aderit & aberit prĕter subiecti corruptionem; ac ita Proprium erit accidens commune.

4 Præterea probatur quod nullum accidens sit separabile: sic omni substantiæ Proprium est in subiecto non esse;
D se; ita omni accidenti proprium est semper in subiecto existere, ergo nullum accidens erit separabile.

5 Confirmatur illud quod rei naturam consequitur, ab ea separari nequit, sed esse semper in subiecto, naturam accidentis consequitur, ergo ab ea separari nequit, & per consequens omne accidens erit inseparabile: minor est Arist. in libro 7. met. tex. 2. dicentis, Accidentia sunt entia, eo quia taliter entis, idest quia in subiecto existunt.

6 Præterea masculinus & fœmininus sexus, sunt accidentia ab Animali inse-

parabilia, & ab eo nunquam separari possunt: igitur.

Horum argumentorum solutiones difficiles sunt, neque vnum & eundem modum dicendi, Porphyrij interpretes habent: diuersi enim diuersa sentiunt; vnde nos non tantum fecisse, sed multum fecisse existimabimur, cum ad peripateticas aures his obiectis responsa attulerimus: igitur, quo ad illud quod in primo argumento tangebatur, videlicet quomodo accidens inseparabile abesse possit, & si abesse potest, quomodo inseparabile est? haud facile est resoluere.

Burleus, rem ipsam quasi altius exordiens, ac si Porphyrij mentem attigisset, hoc modo difficultatem soluit; quod & si vnum accidens per respectum ad vnum subiectum sit inseparabiliter, tamen per respectum ad aliud est separabile: sed vt hic modus dicendi à nouitijs percipiatur, sciendum hanc esse Burlei intentionem & mentem, scilicet quod definitio accidentis, qua dicitur, Accidens posse adesse & abesse, omni accidenti, etiam inseparabili conueniat: sed quia obijcitur de accidente inseparabili, quomodo abesse possit, ideo ad resoluendum, quamdam distinctionem, tum accidentis inseparabilis, tum subiectorum, quibus inest: distinctio accidentis est hęc; Accidens inseparabile duobus modis considerari potest, vno modo secundum speciem; verbi gratia, albedo; alio modo secundum suum esse indiuiduale, vt hæc albedo. Pręterea subiectorum, quædam sunt eiusdem speciei, vt omnia indiuidua Cignorum: & quędam alterius speciei, vt Cigni & homines. his ita expositis, inquit Burleus, quod assignata accidentis diuisio, priori definitioni nequaquam repugnat: quia Accidens inseparabile, & si respectu vnius subiecti sit inseparabile, respectu tamen alterius est separabile; ita quod omne accidens secundum speciem consideratum, est à suo subiecto separabile, & hoc vel respectu subiecti eiusdem speciei, vel alterius, & si ipsummet Accidens secundum suum esse indiuiduale consideratum, sit quandoque inseparabile: quę dicta exemplis explanans ait; accipiatur exempli gratia, curuitas; nam hoc accidens, quamuis sit inseparabile ab eo naso, qui est curuus, tamen ab alio naso eiusdem speciei, qui est rectus vel aquilus, est separabile: ecce ergo quod accidens secundum speciem sumptum, est separabile à suo subiecto, quod est nasus, & si secundum suum esse indiuiduale sit ab hoc naso, cui inest, inseparabile: similiter nigredo respectu cuiuscunque indiuidui naturæ coruinæ est inseparabilis, tamen si ad subiecta alterius speciei. verbi gratia, ad homines comparetur, sic est separabilis; nam Sortes qui nunc est niger albefieri potest; & sic concludit quod omne accidens per accidens, secundum speciem potest adesse alicui subiecto, & ab eodem secundum speciem abesse, vel ab alio alterius speciei, pręter illius subiecti corruptionem.

Sed hæc solutio, quàm sit risu digna, & à Peripatetica disciplina remota, recto iudicio relinquatur: multa namque absurda ex ea oriri, nemo dubitat.

1 Primum est, quod definitio accidentis à Porphyrio assignata, duobus membris eiusdem, equiuocè conueniret; quia cum in ea dicitur Accidens est, quod adest & abest; tunc alio modo intelligetur de accidente separabili, & alio modo de inseparabili; de separabili quod vni eidemque subiecto adesse & abesse potest; de inseparabili vero quod non respectu vnius & eiusdem subiecti, sed respectu diuersorum, definitionis rationem sortiatur.

2 Præterea, illud ipsum accidens, quod vni subiecto inseparabiliter contingit, & alteri separabiliter aduenit; verbi gratia, curuitas, quæ ab hoc naso curuo est inseparabilis, & ab aquilino separabilis: similiter nigredo, quæ à coruo est inseparabilis, & ab homine

separabilis: quando comparatur ad subiectum, cui inseparabiliter contingit tunc vel clauditur sub communi definitione accidentis, aut non: si non, ergo definitio non conuenit, neque omni definito æquatur; si sic, igitur cum à Proprio subiecto ammoueri nequaquam possit, (alioquin inseparabile non esset) quomodo potest adesse & abesse? & ita difficultas vt prius in suo robore remanebit.

3 Præterea quando Author definit accidens tàm separabile, quàm inseparabile, semper definit ipsum per comparationem ad subiectum, de quo prædicatur, cum sit accidentale prædicatum de illo subiecto cui accidit; & non per comparationem ad subiectum, de quo non prædicatur; sed nigredo corui de nullo alio prædicatur, nisi de coruo, ergo nigredo corui, non dicitur accidens separabile, vel inseparabile, nisi respectu corui.

3 Præterea iuxta hunc modum dicendi, sequitur quod Proprium quarto modo sumptum sit accidens commune separabile; probatur sequela ex eo quod risibilitas quæ est in Sorte inseparabiliter, separatur à risibili quod est in Platone; nam potest corrumpi hoc risibile, demonstrando Sortem, manente alio risibili, demonstrando Platonem; dimittatur igitur tanquam falsa, & risu digna, resolutio Burlei.

Dilucidatio 2.

Magni Alberti opinio adducitur: verior modus exponitur: & argumenta opposita diluuntur.

MAgnus Albertus assignata distinctione de duplici subiecti constitutione, videlicet essentiali, quę ex principijs essentialibus ad speciem, vel ad indiuidua speciei determinatis, conficitur, & ex qua Proprium emanat: & accidentali, quæ ex primis qualitatibus prouenit, & ex qua accidens tam separabile, quàm inseparabile fluit: probat à quodam signo, quod nigredo vel Corui, vel Etiopis, sit separabilis: nā de Aethiope cōstat, quod in his nostris frigidis regionibus albescit, filiosq; albos procreat. Pręterea à Coruo separatur, quia si ouū Corui sumitur, & cum argento viuo admixto humori viscoso Anseris vel Catti, quæ sunt Animalia frigida, circumliniretur, & nidus in frigidissimo loco summorum montium poneretur, fouereturque, tunc ex illo ouo generabitur coruus albus, imo aliquando ex sola loci frigiditate fit albus: igitur signum est, quod principia ex quibus huiusmodi accidentia inseparabilia, emanant, sunt variabilia; & non ex principijs speciei, sed indiuiduorum producuntur. Hæc doctrina Alberti vera est, sed Porphyrij mentem non referat, neque proposita dubia soluit.

At ne in alienis solutionibus referendis tempus conteratur; dicatur nunc, quod verior, & commodior solutio ad obiecta excogitari non potest, quàm sit illa, quæ ab Authore in textu ponitur: & est quod & si accidens inseparabile, nequeat separari realiter à subiecto cui inheret, tamen illius absentia absque subiecti corruptione intelligi potest; quia omne accidentale prædicatum potest affirmari & negari à subiecto, respectu cuius dicitur accidentale prædicatum absque hoc quod subiecti ratio remoueatur: nam vt Sanctus Thomas de veritate questione sexta articulo tertio ad octauum dicit, cum nigredo sit aliquid præter essentiam corui, quamuis non sit aliquid extra Coruum, ideo considerata tantùm Corui essentia, potest aliquid ei attribui, quod eius naturæ non repugnet, vt puta albedo; potest enim intelligi albus absque hoc quod intelligatur illius naturam desinere esse actu: ex quo enim coruus non est de ratione suæ nigredinis, neq; nigredo de ratione Corui, ideo non repugnat intelligere coruum, illius nigredine non

intellecta: hanc eandem solutionem habet etiam Scotus in q.35. vniuersalium, Paulus Venetus, Caietanus, Sotus, & Toletus: sed animaduertendum est, quod illa clausula (præter subiecti corruptionem) debet necessario semper intelligi, cum ea ipsa sit, quæ quamlibet huius generis difficultatem diruere potest; & per hæc habetur solutio ad primum.

Ad secundum de intellectu vero, vel falso earum propositionum, Coruus nõ est niger, aut coruus est albus: respondetur has propositiones esse veras aut falsas duobus modis intelligi potest; vno modo simpliciter, & iuxta hunc intellectum sunt falsæ, eo quòd in rerũ natura non inuenitur Coruus qui non sit niger, vel qui sit albus: alio modo vt sic, idest cum aliqua additione, & ita sunt veræ; quia apposita illa cõditione, præter subiecti corruptionem, nihil prohibet quin intelligatur Coruum non esse nigrum, vel esse album: ex quo enim coruus non est de ratione suæ nigredinis, neq; nigredo de ratione Corui, sicut non repugnat naturæ Corui vt sit sine nigredine, ita non repugnat naturæ nigredinis in Coruo corrumpi, ipso Coruo non corrupto.

Ex his, duo scitu digna, imo in proposito necessaria eliciuntur; vnũ, quemadmodum accidens, non absolutè definitur, sed cum hac conditione, scilicet absq; subiecti corruptione; pariter quãdo de accidente inseparabili dicitur quod potest adesse & abesse secundum intellectum, non absolutè asseritur, sed cum eadem conditione, scilicet absque subiecti corruptione; & propter hoc Porphyrius eam bis repetit; & hac particula apposita omnis difficultas è medio remouetur.

Aliud est, quod nulli cęterorum pręedicabilium inest, posse negari de suo subiecto eiusdem subiecti corruptione non intellecta: nam cum genus, species, & differentia specifica sint principia essentialia eorum, de quibus prędicantur, hinc fit vt ipsorum negatio de

A suis subiectis, eorumdem subiectorũ destructionem arguat: quod si quis petat de negatione Proprij, in sequenti argumento habebitur solutio.

Ad tertium multiplex est phylosophorum solutio. Magnus Albertus assignans discrimen inter proprium quarto modo sumptum, & accidens commune inseparabile, inquit quod subiectũ Proprij intelligi potest absque Proprio; v.g. homo absque risibilitate, sed risibilitas sine homine nullatenus: sed accidens inseparabile sine subiecto, & subiectum sine accidente intelligitur; Coruus enim absq; nigredine, & nigredo sine Coruo intelligi potest: sed hęc solutio non plenè docet, quo intellectu subiectum absque Proprio intelligi possit.

B

Caietanus distinguit, quod duplex est separatio alicuius prædicati a subiecto per intellectum prima & secunda: prima est separatio simplex, secundum quam subiectum intelligitur prędicato illius non intellecto; & hęc separatio ab alijs nuncupatur abstractio præcissiua de qua loquitur Aristoteles in libro secundo physicorum textu 18. quando dicit abstraentium non est mendacium: & iuxta hunc modum intelligendi, subiectum intelligi potest non solum sine accidente, sed etiam sine Proprio: nam si homo definiatur, satis est, quod illius genus & specifica differentia apponantur: Secunda est separatio composita, secundum quam formatur enunciatio negatiua prædicati de subiecto, vt si dicatur Coruus non est niger, homo non est risibilis, & penès hunc modum intelligendi, respondet quod aliud est loqui de accidente inseparabili, & aliud de Proprio: nam si sermo fiat de accidente inseparabili, tunc subiectum sine eo intelligi potest, vt Coruus absque nigredine, quia hoc non arguit sui subiecti corruptionem: at subiectum sine Proprio, vt homo sine risibilitate intelligi nequit, quia subiecti destructionem arguit, eo quod Proprium ex principijs essentialibus speciei emanat.

C

D

Vel dicatur cũ Scoto in q. 35. vniuersalium, cui Toletus libenter subscribit, quod subiectum Accidentis inseparabilis, potest intelligi eo accidente non intellecto, imo intelligi potest cum opposito illius accidentis absq; vlla repugnãtia; quia Accidens est predicatum nõ essentiale subiecti, sub cuius opposito subiectum complete intelligi potest sine repugnantia intellectuum: sed subiectũ cũ opposita forma Proprij intelligi nequit, quia contradictionem implicat. A

Ad quartum dicitur, quod Accidens esse semper in subiecto, duobus modis intelligitur; vno modo actu, & ita nõ est semper in subiecto, sed solùm quamdiu durat, eo quòd per corruptionem à subiecto separatur: alio modo aptitudine, & sic semper est in subiecto. B

Ad quintum negatur minor: ad cuius probationem ex Arist. in lib. 7. met. respondetur, quod duplex est inherentia accidentis in subiecto, vna aptitudinalis, altera actualis; prima consequitur naturam accidentis, ita vt accidẽs sine ea neque intelligi, neq; complete definiri possit: actualis verò illius naturam non consequitur, & sine hac intelligi potest: Aristoteles verò de prima inherentia intelligebat, cum dixit Accidentia esse entia, eo quia talitet entis, id est quia sunt in subiecto vel dicatur quod actualis inherentia consequitur naturam accidentis actu existentis, eo quod actu non existit sine actuali inherentia ad subiectum: videatur Caietanus in tractatu de ente & essentia in quest 15. pro hac materia. & Zimara in theoremate tertio. C

Ad sextum iam dictum est in precedenti capitulo, quod masculinum & fœmininum sunt potius Proprium Animalis, quàm accidentia cõmunia: & eo modo quo par & impar respectu numeri propriam passionem arguunt, ita masculinum & fœmininum respectu Animalis sunt propria passio consequens materiã; vt ibidem explanatum est. & de presenti lectione hæc dicta sufficiant. D

Dilucidatio 3.

Tex. **Definiunt autem sic quoque, Accidens est, quod contingit eidem inesse, & non inesse.**

HAec est tertia pars principalis huius capitis, in qua Porphyrius duo facit penès alias duas definitiones, quas hoc in loco assignat, quę ex Arist. in lib. 1. topic. c. 4. sumuntur: verumenimvero, quia earum vna est affirmatiua, & altera negatiua, ideo priori loco affirmatiuã explanat, posteriori autẽ negatiuã exponit: Quo autem ad primã definitionem, inquit Author hæc verba, definiũt autem sic quoq; in quibus insinuat quod Definitio quã ex Arist. sumit, non est diuersa ab ea, quã ex propria officina in initio capitis apposuit. ait igitur Accidens est, quod contingit eidem. s. subiecto inesse, & non inesse; vt esse sanum, tristem, albũ, nigrũ, est accidens. v. g. Sorti, qui aliquando est sanus, quandoq; eger, modo tristis modo letus, nunc albus deinde niger: etenim cũ Accidens cõmune nõ ex principijs essẽtialibus, queadmodũ Propriũ, sed ex accidentalibus variabilibus causis proueniat, hinc fit, vt ad vtrumlibet sit contingens, & consequenter eidem subiecto possit inesse, & non inesse.

Circa quam definitionem meminisse oportet eorum, quę in priori dicta sunt, scilicet, sicut adesse & abesse duobus modis sumuntur, primè intentionaliter, & secundè intentionaliter: ita nunc inesse & non inesse eisdem duobus modis sumuntur, atque in definitione secũdè intentionaliter cõsiderantur, quatenus significant idẽ quod affirmari & negari. Vlterius aliquod predicatum affirmari & negari de subiecto bifariã contingit, vno modo actu, alio modo aptitudine, & iuxta aptitudinem in hac definitione considerantur, quamobrem penès logicã considerationem, sẽsus definitionis est talis. Accidens est predicatũ vniuersale, quod est aptum natum predicari de subiecto, cui accidit, affirmatiuè & negatiuè: & addatur simul vel successiue, sicut Paulus Venetus in solutione quarti argumenti

appo-

appoſuit;& benè quidem, nam ly ſimul apponitur reſpectu eiuſdem ſubiecti ſecundum ſpeciem, de quo accidens affirmari & negari ſimul queit, vt ſimitas affirmatiuè & negatiuè ſimul dicitur de eodem naſo, non quidem numero, ſed ſpecie, eo quod aliquis naſus eſt ſimus, & aliquis non eſt ſimus: ly ſucceſſiuè ponitur reſpectu eiuſdem ſubiecti numero; nam quædam accidētia eo quod determinatum ſubiectum non concernūt, ſunt apta nata affirmari & negari de eodem ſubiecto ſed ſucceſſiuè, vt eſſe album, vel non album de Sorte.

Sed dubitatio nec parui quidem momenti, nunc oritur, quomodo Accidens inſeparabile contingat eidem ſubiecto ſiue ſpecie, ſiue numero ineſſe & non ineſſe, ſeu affirmari & negari. Albedo nāque in Cigno, & nigredo in Coruo inſeparabiliter inſunt: quod ſi per ineſſe & non ineſſe expenatur affirmari & negari, non contingit tamen accidens inſeparabile affirmari & negari de eodem ſubiecto neq; ſimul, neque ſucceſſiuè: non enim eſt verum quod Cignus ſit ſimul albus & non albus aut nunc albus, & tēporis ſucceſſu nō albus; & Coruus ſimul niger, & non niger, vel nunc niger, & poſtea non niger; nā ſicut albedo ineſt Cigno inſeparabiliter, ita nigredo inſeparabiliter Coruo inheret: quod ſi quis obijciat, ſimitatem de eodem naſo ſecūdum ſpeciem, ſimul affirmari, & negari, reſpondeatur non eſſe parem rationem de ſimitate reſpectu naſi; & de alijs accidentibus, quia cum ſimitas & curuitas ſint paſſiones conſequentes naturā naſi, tanquam ſubiectum determinatū, ideo earum altera neceſſario ineſt, ita vt naſus ſit ſimus vel aquilus, atque ex materiali diſpoſitione contingit hunc naſum eſſe ſimum, illum verò aquilum: ſed albedo conſequitur inſeparabiliter omnia indiuidua Cignorum, & nigredo omnia indiuidua Coruorum, ergo huiuſmodi accidens inſeparabile, non cōtingit eidē ſubiecto, nec ſpecie, nec numero, nec ſimul nec ſucceſſiuè ineſſe & non ineſſe, ſiue affirmari & negari; quia hæc predi-

A catio eſt inſeparabiliter vera Coruus ſemper eſt niger, & Cignus ſemper eſt albus. Auerroes, has, vel ſimiles rationes fortè intuitus, tùm primo topicorum, tū ſuper Porphyrium, arbitratur, priorem accidentis definitionem, vtriq; accidenti ſeparabili nempè & inſeparabili conuenire, hanc verò poſteriorem ſeparabile accidens tantùm comprehendere, eo quod accidens inſeparabile non contingit non ineſſe, cum ſemper inſit.

Sed Auerrois poſitionem à veritate
B alieniſſimam eſſe, pluribus medijs manifeſtare, difficile haud eſt. ſi quidem Porphyrius in initio huius capitis, primam accidentis definitionem aſſignat, cū dicit, accidens illud eſſe, quod abſque ſui ſubiecti corruptione adeſſe & abeſſe poteſt: qua aſſignata, illico ſubdit eiuſdem accidentis diuiſionem in accidens ſeparabile, & in inſeparabile, atque vnicuiq; huius diuiſionis membro eandem definitionem congruere, iam elucidatū eſt: & ſtatim ſubdit hæc verba, Definiunt au
C tem ſic quoq; ex qua verborum connexione, quid aliud innuere Author intendit, niſi quod hæc Definitio eidem accidenti competit, cui & primam cōuenire fuerat oſtenſum? at in prima, vtrunq; accidens Porphyrium deſcripſiſſe, omnibus notū eſt, ergo pariter & in ſecunda vtrunque accidens complectitur.

2 Preterea Porphyrius aſſignādo tertiam definitionem accidentis, ait eſſe illud, quod neq; eſt genus, neq; ſpecies, &c. tunc quæritur an hæc negatiua definitio
D conueniat omni accidenti ſeparabili videlicet, & inſeparabili, quemadmodum prima conuenit, aut non; ſi non, hoc eſt falſiſſimum, quia ſicut de accidente ſeparabili verum eſt dicere, quod non eſt genus, neque ſpecies, ita & de inſeparabili: ſi ſic, ergo & ſecunda etiam ei cōueniet, alioquin inter primam & tertiā definitionem, quę omni accidenti conueniunt, quandam aliam in tam paruo methodo potuiſſet, quæ non niſi accidenti ſeparabili conueniret; quod aſſertum, abſurdum eſtimatur.

3 Præterea, ſi prima definitio accidē-

ti inseparabili congruit, ergo & secunda eidem accidenti conuenit, imo multò fortius quàm prima: probatur primo sequela, nam idem est dicere, accidens abesse & adesse, quod in prima definitione ponitur, & asserere Accidens inesse & non inesse, quod in secunda concluditur; sed per Auerroem adesse & abesse vtrique accidenti conuenit, ergo inesse & non inesse similiter. at quod fortius congruat, ex duabus particulis in definitione appositis, liquidò apparet: prima ex ly inesse; nam hęc accidentis naturā magis exprimit, quia accidentis esse, est inesse, vt in lib. 7. met. scribitur: secunda ex ly contingit, ex qua intelligitur, quod si accidens insit, contingit quod possit non inesse, & si non insit, quod possit inesse: vnde illud verbum contingit, potentiam infert accidentis ad inesse & nō inesse; quę quidem potentia cum sit logica, neque aliud ponat, nisi non repugnantiam, ideo nullam difficultatē præ se ferre debet: & hæc ex Caietani doctrina sumuntur.

1 Sed Contra hanc interpretationē, nouæ dubitationes consurgunt, quarum prima est hæc; si secunda accidentis definitio, omni accidenti conuenit, igitur in quo distinguitur á prima, in qua dicitur ipsum posse adesse & abesse?

2 Præterea si Accidens inseparabile semper inest, & inseparabilitati repugnat posse non inesse, igitur quomodo abesse potest?

3 Præterea si hęc secunda definitio sumitur ex Arist. in lib. 1. topic. c. 4. ergo est de accidente separabili tantùm; Consequētia probatur, quia Aristoteles ibi apponit exēpla, de sedere, & de album esse, & inquit quod nihil prohibet, idē sedere & non sedere; albū esse, & album nō esse, quæ sunt accidētia separabilia, ergo, &c.

Ad primum respondent Ammonius & Caietanus, quod cū illa verba, inesse & non inesse, sint idē quod affirmari & negari, ideo hæc secunda magis explicat naturam accidētis, eo quòd illud verbū, contingit, potentiam logicam exprimit, quam prior definitio non explicuit: quasi dicant, in priori insinuatur quod Accidens de facto adsit, & absit, & hoc accidenti inseparabili conuenire non ita clarè apparet; secunda verò per illud verbum, contingit, insinuat quod si accidens insit, contingit non inesse; & si non insit, contingit inesse.

A

Ad secundum respondetur, vt in superiori lectione dictum est, videlicet, quod sicut secundum nostram considerationem possit intelligi Accidens inseparabile non adesse pręter subiecti corruptionem, ita cum eadem conditione potest intelligi accidens non inesse, quāuis semper insit: vnde de eodem formare possumus propositiones negatiuas, remouendo illud inseparabile predicatum à subiecto, absque hoc quod subiecti ratio remoueatur.

B

Ad tertium respondetur, quod & si exempla ab Aristotele posita, videantur arguere accidens separabile tantùm; tamen ex illo verbo quod subdit, (nihil prohibet) colligunt expositores quod etiā accidens inseparabile cōprehendat; inquiūt enim, accidere potest vt aliquod subiectum habeat accidēs inseparabile, vt Coruus nigredinē, & Cignus albedinē: sed nihil prohibet, Coruum non esse nigrum, vel Cignū non esse album, idest nihil prohibet intelligere Coruum non esse nigrum, vel Cignum non esse albū; si eorum natura spectetur, absq; hoc ratio subiecti remoueatur: Præterea vt Caietanus notat, hæc secunda definitio accidentis sumitur ex primo topic. de verbo ad verbū, vbi Aristoteles definit vniuersaliter accidens, quatenus est predicabile ab alijs prædicabilibus distinctum, sub quo Accidens inseparabile etiam contineri, nemo est, qui dubitet, & hęc sufficiant.

C

D

Dilucidatio 4.

Tex. Et quod neq; genus est, neque differentia, neq; species, neq; Proprium, semper autem est in subiecto subsistens.

QVod Porphyrius in his verbis, aliam accidentis definitionem afferat, quę in ordine erit tertia apud omnes in confesso habetur; & quod ex officina Arist. cap. 4. primi libri topicorum ea desumpserit, non est ignotum his, qui in phylosophia versantur: & quoniam per negatiua verba eam explanat, ideo inquit Accidens esse illud, quod neque est genus, neque differētia, neq; species, neq; Proprium: at quia ea quę per negationē describuntur, non ita omninò negatiuè describuntur, quin aliquid positiuum in illis ponatur, eo quia simplex negatio, aut paruum, aut nihil, rei naturam innotescere facit; ideo subdit, semper autem est in subiecto subsistens: & est, ac si dicat, quamuis Accidens nō sit genus, neq; differentia, neq; species, neq; Proprium, tamē est prædicatum accidētale, quod extra substantiam nunquā reperitur. Circa hanc definitionem est primò animaduertendum, quod Aristoteles in lib. 1. topic. c. 4. apponens in priori loco hanc negatiuā definitionē accidentis, in qua reliquorum prædicabilium natura, à ratione accidētis negatur, & quæ apud Porphyrium in ordine est tertia; ac in posteriori loco, apponens eam, quā Porphyrius in secundo loco assignat, scilicet, accidens est quod contingit eidem in esse, & non inesse: statim sub infert, quod harum duarum accidentis definitionum, hæc secunda est melior, quā prima; cuius dicti rationem reddit, dicens, quia ad cognoscendum quod Accidens non sit neq; genus, neq; differentia, neq; species, neq; Proprium, necessarium est, vt quis prius sciat, quid sit genus, quid differentia, &c. sed ad secundam intelligendam, præscire alia, non est necessariū, quia secunda sufficiens est per se ad manifestandum ipsum definitum: ex quibus verbis elicitur Contra Auerroem, quod si ea definitio, in qua dicitur Accidens esse illud, quod contingit eidem inesse, & nō inesse, est melior ac perfectior quā sit illa, in qua asseritur, quod accidens non est neque genus, neque species: & hęc omni accidenti, cùm separabili, tùm

A inseparabili conuenit, eo quod Aristoteles eo in loco definit vniuersaliter accidens, quatenus est vnum predicabile ab alijs distinctum, & sub quo, omnia accidentia comprehendi non est dubium; ergo & alia definitio, omnia accidentia separabilia videlicet, & inseparabilia complectitur, quod ab Auerroe inculcabatur, vt in superiori lectione elucidatum fuit.

Pręterea sciendum, quod cum tria priora pręidcabilia, Genus, species, &
B differentia, sint pręedicata essentialia, & in primo modo dicendi per se pręedicentur: Proprium autem pręedicetur per se, in secundo modo dicendi per se, vnde propositionem per se, & conuertibiliter constituit: Accidens verò prædicatur purè accidentaliter, & nullam propositionem in aliquo modo dicendi per se constituit, neq; conuertibiliter predicatur de subiecto cui accidit, ideo rectè dicitur, quod non est neq; genus, neq; species, neq; differentia, neque Proprium.
C Pręterea Circa vltimam particulam, notat Caietanus, non solùm ea de causa esse appositam, ne definitio esset omnino negatiua, sed etiam ad excludenda prædicata repugnantia, quæ in subiecto numquam subsistunt, sed ab illis, quibus repugnant semper procul sunt: & cū subiectum sit duplex, inhesionis scilicet, & prædicationis, nunc de subiecto prædicationis est sermo, vt omnia logicè intelligantur; etenim quemadmodū Accidens secundum rem nō nisi in sub-
D iecto inhæsionis substentatum inuenitur, ita prædicatum accidentale vt sic, substentante subiecto indiget, alioquin accidentale non esset; quemadmodum adiectiuum si substantiuo non indigeret, adiectiuum non esset.

Præterea sciendum, quod sicut discrimen est inter negationem & priuationē, vt habetur in post pręd c. de oppositis, ita discrimen reperitur inter definitionē quę datur per terminos negatiuos & priuatiuos: negatio negat simpliciter actū & aptitudinē, priuatio verò & si neget actum, relinquit tamen aptitudinē: sic de-

sic definitio negatiua negat actũ,& aptitudinem alicuius alterius rei ab ipsa natura definita;priuatiua autem & si neget actum,relinquit tamen aptitudinẽ:nunc quando Porphyrius inquit, quod Accidens est,quod neque est genus,neq; species,neque Differentia, neq; Proprium, quia hęc definitio est negatiua , ideo est intelligendum Accidens neque actu,neque aptitudine aliquid horum esse.

Tex. Omnibus autem determinatis,quæ proposita sunt, (dico autem genere,specie,differẽtia,Proprio,& Accidente) dicendum est quæ eis cõmunia sunt, & quæ propria.

TAndem in hac postrema parte huius capitis epilogat ea , quę in toto tractatu dicta sunt, & inquit se seruasse ea , quæ in prohemio pollicitus erat, se tractaturũ,nempè quid sit genus , quid species,quid differentia, quid Proprium, & quid accidens;quę omnia satis superque elucidata fuere: superest modo , vt quæ his quinque predicabilibus sunt communia , & quæ vnicuique Propria promantur; & hæc in sequenti capite sunt pertractanda: & in his verbis Porphyrius huic suo tractatui finem imponit.

Disputatio quinta.

Dubitationes aliquot, circa duas vltimas accidentis definitiones elucidantur.

Dilucidatio I.

SCribitur ab Arist. in c. I. sexti libri topicorum , in explanatione tertij loci,quod facilius est quod libet fecisse , quam benè fecisse ; quod dictum Auicẽnas fortè in- A tuitus ausus est Porphyrium reprehensione dignũ , omnium ante oculos proponere, eo quod in assignata accidentis definitione, non benè ipsum accidẽs definiuit: & negatiuam definitionem , quã Author dixit Accidens non esse neque genus , neque speciem , neque differentiam, neque Proprium , quadruplici reprehensione dignam ostendit.

1 Definitio assignatur cognoscendi gratia,inquit Aristotel. topic lib. 6. c. I. in explanatione quarti loci : sed per negatiuam definitionem nihil innotescit, B ergo accidẽns non debuit negatiuè definiri:minor probatur. definitio explicat esse rei , sed negatio dicit potius quid res non est,quam id quod est. igitur, &c.

2 Præterea,eadem definitione negatiua , etiam & reliqua predicabilia definiri possent:exempli causa,si dicatur, genus est illud,quod nõ est neque species, neque differentia, neque Proprium,neque accidẽs, semper est in subiecto subsistens, idest in suis inferioribus ; quia vt C Aristoteles scribit in lib. 7. met. text. 43. genus non est præter suas species , & ita de cęteris suo modo intelligatur , ergo hæc definitio cum sit communis , nec quidem vel benè assignatur.

3 Præterea in eadem definitione dicitur, quod Accidens est semper in subiecto subsistens , ergo prima & secunda definitio non sunt veræ , in quibus dicitur quod adest, & abest,vel contingit eidem inesse,& non inesse.

4 Præterea Porphyrius in cap. de geD nere inquit eam definitionem rectè assignari,quæ nihil diminuti , aut superflui continet, sed in hac negatiua duæ particulæ superfluæ apponuntur, ergo nõ rectè assignatur:minor hoc modo manifestatur,prima particula superflua est ly in subiecto , nam cum accidens ideo dicatur accidens quia ad aliud cadit , statim intelligitur id ad quod cadit esse subiectum: altera est ly subsistens,quia intellecto quid nomine accidentis signatur,illico scitur quod accidens non est per se subsistens , eo quod substantiarum est Proprium per se subsistere.

5 Preterea Color est accidens, & tamen color est genus albedinis & nigredinis & aliorum colorum; simulque est qualitatis species; ergo falsum est quando dicitur Accidens non esse neque genus, neque species.

6 Præterea contra illam definitionē, in qua dicitur Accidens contingit inesse, & non inesse, sic arguitur: si hæc definitio est vera, sequitur quod Accidens sit minus predicabile, quàm cętera predicabilia; sed consequens est falsum, ergo & illud ex quo sequitur. falsitas primò probatur ex hoc, quod accidens de pluribus predicatur; quā aliquod aliud predicabile, sequela sic manifestatur, illud quod semper predicatur de aliquo, est magis predicabile quàm illud, quod de nullo semper predicatur, sed aliquando sic, & aliquando non; sed genus, species, differentia, & Proprium semper de eodem predicantur, nam genus predicatur semper de speciebus, species de indiuiduis, differentia de speciebus, Proprium de specie, cuius est Proprium: accidens de nullo semper prędicatur, quia contingit eidem inesse, & non inesse.

7 Præterea Anima Sortis non est aliquod illorum quinque predicabilium, & tamen potest adesse corpori, & abesse; contingit eidem inesse & non inesse, ergo definitio conuenit alijs à definito.

Solutiones horum argumentorum, ex his quę in explanatione capitis dicta sunt, satis colliguntur; verumtamen vt tironum mentibus doctrina lucidior inseratur, ad quodlibet ipsorum sigillatim solutio est afferenda: sed ad solutionem primi, sciendum ex Ammonio in predicamentis quod tria sunt entium genera, perfectissima népe, media, & infima; nec non Phylosophorum morē fuisse, quandoque negatiuè describere ea entium genera, quæ vel primi, vel tertij ordinis sunt: vnde Aristoteles in predicamentis describens naturam substantiæ, quæ est perfectissimum genus, negatiuè eam describit dicens esse, quæ neque in subiecto est, neque de subiecto aliquo dicitur: & in libro 7. met. tex. 8. describens

A primam materiam quæ natura imperfectissima censetur, per negationem eam describit dicens materiam esse, quæ per se ipsam neque quid, neque quantū, nec aliquid aliud dicitur, quibus ens determinatur: pariter quia in genere predicabilium Accidens est infimæ perfectionis, eo quod nullam predicationem in aliquo modo dicendi per se, constituit, vt reliqua predicabilia efficiunt, hinc ob illius imperfectam naturam per negationem definitur. vnde ad argumentum

B conceditur accidens per negationē definiri; sed dicitur quod Definitio negatiua est duplex, vna pura in qua nihil positiui apponitur, & per hanc nihil innotescit; altera in qua aliquod positiuum ponitur, & per hanc definiti natura aliquo modo innotescit: ad propositum, accidentis assignata definitio non est simpliciter negatiua, quia in ea ponuntur illæ particulæ (semper autem est in subiecto subsistens) per quas innotescit accidens esse aliquam naturam in alio exi

C stentem; conceditur nihilominus, affirmatiuam esse meliorem.

Ad secundum conceditur quod & reliqua predicabilia, eadem negatiua definitione definiri possunt; sed quia in genere prædicabilium sunt perfectioris naturę, quàm sit accidens, quasi quædam media inter perfectissima entium genera, & infima, hinc est quod affirmatiua definitione definiuntur: quod si negatiue definita fuissent, tunc ipsorum natura quo ad hoc saltem innotuisset, quod

D semper sunt in subiecto, idest in suis inferioribus subsistentia, vt genus in suis speciebus, species in indiuiduis, & ita vnumquodque modo sibi conuenienti.

Ad tertium negatur consequentia; & ad illius confirmationem respondetur, quod illa particula (semper) duobus modis exponitur, vno modo vt distribuat pro omnibus partibus temporis, ita vt omne accidés perpetuetur in subiecto, cui inest, & sic propositio est falsa; quia ipsum accidens quandoque corrūpitur: alio modo vt distribuat pro partibus temporis durationis ipsius accidentis,

dentis,ita vt sit sensus,semper est in subiecto subsistens,idest quamdiu durat, & hic sensus est verus: nam accidēs quamdiu est, semper est in subiecto, nec sine subiecto esse potest, quia accidentis esse,est inesse,vt in lib. 7. met. scribitur.

Ad quartum negatur minor quo ad ambas partes; & respondetur quod & si accidens sit illud,quod ad aliud cadit,& quod per se nō subsistit, tamen quia hæc in definito explicite non ponuntur, ideo in definitione explicari debuerunt, vt accidentis natura distinctè cognosceretur.

Ad quintum negatur secūda pars antecedētis, scilicet quod color sit genus, vel species: & ad illius probationem respondetur, Colorem bifariam considerari posse; vno modo respectu suorum inferiorum. v. g. albedinis, nigredinis, & aliorum colorum, de quibus prædicatur in quid; & penes hanc considerationem est genus illorum, quemadmodum respectu qualitatis, sub qua continetur, est species: alio modo consideratur respectu subiecti, cui inest, & de quo prædicatur in concreto, & iuxta hanc considerationem non est genus nec species, sed prædicatum accidentale, & hoc modo à Porphyrio definitur.

Ad sextum distinguitur, quod Accidens esse minus prędicabile cęteris predicabilibus, duobus modus intelligi potest, vno modo intensiuè, & ita est minus prædicabile, quia rei naturam non indicat, neque aliquo modo demonstrat: alio modo extensiuè & ita nō est minus, imò magis predicabile, quia non habet determinatum subiectum genericum, specificum, aut numericum, de quo predicetur, vt supra dictum est.

Ad septimum respōdetur, quod aliud est, aliquid esse in aliquo, vt forma in materia; vel vt accidens in subiecto: nā accidētis subiectum est ens in actu; formæ verò substantialis subiectum est ens in potentia: Anima autem est in corpore, vt forma in materia: & hoc modo solnuntur dubitationes, quę circa accidentis definitionem contingerant.

A

Disputatio sexta.

An Accidens sit vnum de numero Vniuersalium à proprio distinctum.

Dilucidatio I.

B

Argumenta ad partem negatiuam adducuntur.

DISPVTATIO, quam in hoc loco apponimus, nō propterea examinatur, quia apud omnes Porphyrij expositores, in aperto & in cōfesso sit, Proprium ab accidēte communi distingui; ipsumque accidens vnum de numero quinque Vniuersalium esse: sed quia nonnulla argumenta sunt, quorum solutiones à iunioribus haud facilè C percipiuntur, ideo ad clariorem intelligentiam, hanc bimembrem quęstionem discutiendam proponimus; cuius altera pars est, an Proprium & Accidens sint duo distincta predicabilia; altera verò an Accidens sit vniuersale, & primo probatur quod Proprium ab Accidente non distinguatur.

Aristoteles in libro 5. met. tex. 14. inquit à sufficienti diuisione, Omne ens aut est substantia aut Accidens, sed Pro- D prium est ens, & non est substantia, alioquin essentialiter prædicaretur; ergo est Accidens, & per cōsequens est pars subiectiua accidentis.

2 Preterea probatur quod omne Accidens sit Proprium; illud quod de aliquo enunciatur per se, in secundo modo dicendi per se, est Proprium; sed omne accidens tàm separabile, quā inseparabile, enunciatur de subiecto, cui inest, in secundo modo dicendi per se, ergo omne accidens est Proprium: maior est nota ex his quæ in lib. 1. post. c. 4. dicuntur: minor sic probatur, ratio secūdi modi

modi per se, est quando in ratione prædicati ponitur subiectum, sed in ratione cuiusque accidentis, ponitur subiectũ, igitur vnumquodque accidens enunciatur in secundo modo dicendi per se: minor est Aristotelis in lib. 1. physicorum in textu vigesimo octauo & in lib. 7. metaphys. textu 17. vbi ait, Accidentia per subiecta definiuntur.

3 Præterea, Proprium est accidens, & est in separabile, ergo est Accidens inseparabile: & ita ab accidente inseparabili, quod est Accidentis alterum membrum, non distinguitur.

4 Præterea, probatur quod Accidens non sit vniuersale; Vniuersale est de numero eorum, quæ dicuntur secundæ intentiones, sed Accidens non est de numero eorum, quæ dicuntur secundę intentiones, ergo Accidens non est vniuersale: maior, probatione non indiget; minor probatur, nulla res secundæ intentionis prædicatur per se, de re primæ intentionis, sed hæc est predicatio per se, qualitas est accidens, ergo, &c. minor adhuc probatur, hæc est prædicatio per se, qualitas est ens, vt elicitur ex libro quarto metaphysicæ: ergo cum ens non habeat alium intellectum, nisi substantiæ & accidentis, & substantia non predicetur per se de qualitate, sequitur quod Accidens prędicetur per se de illa.

5 Præterea nulla species vniuersalis verè inest singulari; sed Accidens verè inest singulari, ergo Accidens non est species vniuersalis: maior per inductionem probatur; hæ prędicationes sunt falsæ, hoc Animal est genus, hic homo est species: minor probatur, nã hæc prędicatio est vera, hæc albedo est accidẽs, eo quòd accidentis definitio nempe adesse & abesse ipsi conuenit.

6 Pręterea Vniuersalia sunt perpetua, inquit Aristoteles in libro primo posteriorum, sed Accidens non est perpetuum, ergo Accidens non est vniuersale: minor probatur, quia Accidens contingit inesse, & non inesse, vt Porphyrius in textu dicebat.

A 7 Pręterea Omne Vniuersale aut est genus, aut species, vt ex Porphyrij authoritate in prohemio patet; sed Accidens non est genus, neque species, sicut Porphyrius in tertia definitione accidentis dicit; ergo Accidens non est vniuersale.

Dilucidatio 2.

Proponuntur fundamenta, pro Conclusionibus eliciendis.

B AD solutionem horum omnium, quæ in argumentis inducta fuere; sit primum fundamentum ex D.Thoma, in q. vnica de spiritualibus creaturis, art. vlt. quod apud phylosophos, Accidens duobus modis sumi consueuit: vno modo vt à substantia contra diuiditur in ea diuisione, in qua ab Arist. in lib. 5. met. Ens in substantiam & Accidens diuiditur; & hoc modo accidens est nomẽ primæ intentionis; & quemadmodum Scotus in q. 34. vniuersalium scribit, Accidens hoc modo sumptum, est equiuocum ad nouem predicamenta, ita vt ipsa nouem genera accidentium, sub accidente tanquã sub quoddam communi continentur; & penès hanc considerationem, accidens Proprium & commune non distinguuntur, nam vtrunque est accidens, & sub genere accidentis positum: alio modo sumitur accidens, vt est idem quod predicatum per accidens, siue accidentale, distinctum contra quodlibet predicatum per se, siue in primo, siue in secundo modo dicendi per se; & hoc modo accidens est nomen secundę intentionis: & penès hanc considerationem Accidens sumptũ pro prædicato accidentali, distinctũ contra prędicatum per se, cõstituit quintum predicabile distinctum à quarto: & ratio huius distinctionis est, quia Proprium quartum prędicabile efficit predicationem per se, in secundo modo dicendi per se, vt dicitur in libro primo posteriorum capit. quarto, vnde hæ prędicationes sunt per se, in

C

D

secundo modo dicendi per ſe, homo eſt
riſibilis : numerus eſt par, vel impar : ſed
accidens quintum prædicabile, cõſtituit
predicationem purè per accidens, vt ſi
dicatur homo eſt albus, Coruus eſt ni-
ger : & hoc eſt quod Scotus dicit. ſ. Ac-
cidens vt dicit predicatum non eſſen-
tiale, nec per ſe, nec conuertibile, conſti-
tuit quintum Vniuerſale.

Sit ſecundum fundamentum: ſi Acci-
dens ſecundo modo ſumptum, id eſt vt
ſignificat predicatum purè accidentale
diſtinctum contra quodlibet predicatũ
per ſe, ſiue in primo, ſiue in ſecundo mo
do dicendi per ſe, eſſet idem cum acci-
dente primo modo ſumpto, prout ſcili-
cet à ſubſtantia cõtra diuiditur, & quod
ad nouem genera accidentium eſt com-
mune, tunc duo abſurda ſequerentur;
quorum primum eſt quod in nouẽ præ-
dicamentis accidentium non inueniren-
tur genus, ſpecies, differentia, Proprium,
quod eſt falſum: probatur primo conſe-
quutio authoritate Porphyrij dicentis
quod Accidens hoc in loco ab eo defi-
nitum, nõ eſt genus, nec ſpecies, nec Dif
ferentia, nec Proprium. falſitas probatur
tùm quia in omni genere eſt inuenire,
quid inquit Ariſt. 1. topic. c. 7. tùm quia
in omni genere reperitur ordo quinque
predicabilium, ſecundum ſub & ſupra.

Alterum abſurdum eſt, quod predi-
catum accidentale, in hoc quinto loco
poſitum, & contra reliqua predicabilia
diſtinctum, in nullo predicamento acci-
dentium inueniretur, quod eſt falſum :
ſequela primo probatur ex hoc, quia ta-
le predicatum eſſet idem Accidẽs in no
uem predicamenta diſpoſitum, & ita in
nullo eorum fieret hæc predicatio acci-
dentalis: falſitas deinde manifeſtatur, eo
quod predicata accidentalia non minus
reperiuntur in predicamentis acciden-
tium, quàm in predicamento ſubſtantiẹ;
vnde ſicut in prædicamento ſubſtantiæ,
hæc prædicatio eſt accidentalis homo
eſt albus; ita in predicamento acciden-
tis, hæc predicatio eſt accidentalis, figu-
ra, eſt aurea, albedo eſt marmorea.

Sit tertium notandum ex eodem D.
A Thoma ibidem: quod cũ Accidens duo-
bus modis conſideretur, vt iam dictum
eſt. ſ. primè intentionaliter, & ſecũde in-
tentionaliter : ſi ſumatur ſecundum pri-
mam conſiderationem, tunc non datur
medium inter ſubſtantiam & accidens :
ratio eſt, quia inter affirmationem & ne-
gationẽ non datur mediũ, vt in poſt pre-
dicamentis & in lib. 1. poſt. dicitur ; ſed
ſubſtantia & accidens ſe habent ad ens
tanquã affirmatio & negatio, ergo inter
ipſa nõ datur medium: minor probatur,
B Ens vel eſt aptum natũ eſſe in ſubiecto,
vel non, ſi primum, ſic eſt Accidens, nam
accidentis eſſe eſt in eſſe, vt in lib. 7. met.
ſcribitur: ſi ſecundum, ſic eſt ſubſtantia,
nam cõmune eſt omni ſubſtãtiæ in ſubie
cto non eſſe: ſed ſi ſumatur iuxta ſecun-
dam conſiderationem, ſic inter ſubſtan-
tiam & accidens, ideſt inter ſubſtantiale
predicatum & accidentale datur mediũ,
& hoc eſt Proprium: quod quidem Pro-
prium conuenit cum ſubſtantiali predi-
cato, inquantum ex principijs eſſentiali-
C bus ſpeciei emanat, qua propter per de-
finitionem demonſtrantem eſſentiam,
propria paſſio de ſuo ſubiecto demon-
ſtratur : cum accidentali verò conuenit
in hoc, quod non eſt eſſentia rei, nec pars
eſſentiæ, ſed aliquid præter ipſam: differt
deinde ab hoc, quia accidentale predi-
catum, non ex principijs ſpeciei, ſed in-
diuidui fluit quandoq; tamen ſeparabi-
liter, & quandoq; inſeparabiliter: & pro
his quẹ in his tribus fundamentis dicũ-
tur, videatur etiam Zimara in theore-
D mate 118.

Sit quartum fundamentum ex Scoto
in q. 34. vniuerſalium: ſicut præter mate
riam & formam, quæ sũt de eſſentia rei,
& accidẽtia ex illis principijs per ſe pro-
manantia, reperiuntur aliqua alia, quæ
nec per ſe, nec cõuertibiliter conſequũ-
tur eſsẽtiam: ſic preter predictos modos
predicandi in quid, vt genus & ſpecies: in
quale eſſentiale vt differentia; & in qua-
le accidẽtale cõuertibiliter vt Propriũ;
reperitur etiam alius modus predicandi
in quale accidentale nõ conuertibiliter,
quod predicatũ dicitur accidens & quia

modus predicandi sumitur à modo essendi in re, iuxta illud secúdi met.tex.4. vnumquodque sicut se habet ad esse ita ad dici, & accidens reale commune non est conuertibile cum aliqua substantia, fit etiam consequens quod idē accidens intentionale consequatur similem modum predicandi, scilicet in quale accidentale non conuertibiliter.

Sit quintum fundamentum; quemadmodum reliqua quatuor predicabilia, ad hoc quod sint de numero eorum, quę de pluribus prædicantur, & consequēter sint vniuersalia, sortita sunt ex operatione intellectus quod vnumquodq; illorū enuncietur de suis subiectis aut in quid, vt genus & species; aut in quale essentiale vt differentia; vel in quale accidentale conuertibiliter vt Propriū; ita Accidens hoc modo consideratum, idest quatenus predicatum accidentale designat, sortitū est ex eiusdem intellectus operatione, vt de infinitis subiectis accidētaliter enūcietur: quia Accidens non minus predicat de suis subiectis attributa accidentalia, quā genus, species, & Differentia, essentialia attributa de suis enuncient; & Proprium, ea quæ conuertibilia nuncupantur, predicet: ex quo fit vt & ipsū Accidens inter ea connumeretur, quæ Vniuersalia dicuntur, & hoc est, (ni fallor) quod à Scoto dicitur, nempe, quod Vniuersale descendit in hoc predicatum, quod dicitur accidens, per hūc modum predicandi, sicut in alia Vniuersalia per alios modos predicandi his expositis, conclusiones ponantur.

Dilucidatio 3.

Conclusiones elucidantur, & principalia argumēta soluūtur.

Sit igitur prima conclusio. Proprium & Accidens secundè intentionaliter sumpta, sunt duo prędicabilia ab inuicē distincta. Probatur hac ratione: Diuersi modi prędicandi de suis subiectis, distincta prędicabilia constituunt, sed proprio A & Accidenti intentionaliter sumptis insunt diuersi modi prædicādi de suis subiectis, ergo Proprium & Accidens sunt distincta predicabilia: maior propositio manifestatur, ex his, quę in tertio & quarto fundamento dicuntur; minor verò ex his quę in primo fundamento ponuntur scilicet, quod Proprium constituit predicationem per se, in secundo modo dicendi per se; & Accidens predicationem purè per accidens facit: præter illud quod proprium predicatur conuertibiliter de eo cuius est Proprium, Accidēs B verò non.

Sit secunda conclusio, Accidēs est de numero Vniuersalium, probatur hac ratione, illud quod est aptum natum prædicari de pluribus subiectis, secundū modum prædicandi suæ naturæ conuenientem, est Vniuersale: Sed Accidens est aptum natū prędicari de pluribus subiectis secundum modum suę naturæ conuenientem, videlicet accidentaliter, & non conuertibiliter, ergo Accidens est C Vniuersale: tota hæc ratio ex his, quę in quarto & quinto fundamento ponūtur, manifesta apparet: superest nunc, vt principalia argumenta soluantur.

Ad primum respondetur quod Proprium primè intentionaliter sumptum est accidens distinctum contra substantiam; si verò sumatur secundè intentionaliter; sic non est accidens quintū predicabile, quia hoc facit propositionē purè per accidens, Proprium autem predicationem per se, in secundo modo dicendi per se constituit, & iuxta hanc cō- D siderationē distinguuntur, vt dictum est.

Ad secundum negatur minor; & ad illius probationē respondetur quod quāuis omne Accidens definiatur per subiectum, cui inest, non tamē sequitur quod illud Accidens dicatur de illo subiecto in secundo modo dicendi per se; sed requiritur vlterius quod illud Accidens fluat necessario ex principijs essentialibus speciei; quod Proprio tantùm conuenit. Accidens verò commune ex principio materiali tantùm, oritur, vt dictum est.

Ad

Ad tertium negatur consequentia, si intelligatur de Accidente inseparabili communi: si autem intelligatur de Accidente inseparabili Proprio conceditur quod sit Accidens inseparabile; quia Proprium est Accidens inseparabile à specie, cuius est Proprium.

Ad quartum negatur minor, & ad illius probationem respõdet Scotus quod procedit quatenus Accidens est res primæ intentionis: nam si Accidens sumitur pro vno nouem generũ, hæc est per se, qualitas est accidens: sed si sumitur intentionaliter est vera tantùm denominatiuè, sicut & hæc homo est species.

Ad quintum etiam minor negatur, quia si Accidens sumitur secundè intentionaliter, illa propositio est falsa, hęc albedo est accidens; quamuis vt res primę intentionis sit vera: & quando dicitur quod accidentis definitio sibi conuenit; respondetur quod illa verba, scilicet adesse & abesse, in definitione posita, definiunt predicatum purè accidentale: in hac autem propositione albedo non est prędicatum, sed album.

Ad sextum negatur minor, ad illius probationem respondetur quod Accidens dupliciter consideratur; vno modo secundum esse particulare, quod habet accidentaliter in subiecto cui inest, & hoc modo corrumpitur & variatur in infinitum: alio modo consideratur secũdum esse vniuersale, sub quo intẽtio accidentis sibi attribuitur, & hoc modo est Ens necessarium & perpetuum, cum his conditionibus perpetuò sibi conuenientibus, vt possit adesse & abesse; vnde Accidens quatenus Acciden: , inuariabiliter adest & abest; vel contingit inesse, & non inesse.

Ad septimum negatur maior; quoniã non tantum Genus & species; sed etiam Differentia, Proprium & Accidens sunt Vniuersalia: ad authoritatem Porphyrij respõdetur quod Porphyrius in prohemio, de famosioribus ac notioribus mentionem fecit: vel dicatur quod Porphyrius de illis vniuersalibus tantũ mentionem fecit, quæ habent modum subsistendi per se, vt sunt genus & species: cętera autem habent modum existendi in alio: & sic ad principalia argumenta solutio habetur: atque in ipsorum explanatione, his nostris Disputationibus, & Dilucidationibus finem imponi volumus, ad prædicamentorum Doctrinam exponendam, scituq; necessariam, quàm ocius transituri.

Laus & Perennis gloria Deo Patri & Filio, Sancto simul Paraclito, in sæculorum sæcula. Amen.

INDEX

